


2 vols

a/s/

Pages torn
676–

HISTORIÆ PONTIFICUM ROMANORUM ET S. R. E. CARDINALIUM.

VITÆ, ET RES GESTÆ
PONTIFICUM
ROMANORUM
ET
S. R. E. CARDINALIUM
A
CLEMENTE X.
USQUE
AD CLEMENTEM XII.
SCRIPTÆ

A MARIO GUARNACCI
IN ROMANA CURIA XII. VIRO SIGNATURÆ JUSTITIÆ, ET SAC. CONGREGATIONIS FIRMANÆ A SECRETIS;

QUIBUS

PERDUCITUR AD NOSTRA HÆC TEMPORA HISTORIA EORUMDEM


AB


ALPHONSO CIACCONIO ORDINIS PRÆDICATORUM

ALIISQUE DESCRIPTA

A S. PETRO AD CLEMENTEM IX.

TOMUS SECUNDUS.






ROMÆ, MDCCLI.
Sumptibus VENANTII MONALDINI Bibliopolæ in via Cursus.

Ex Typographia JOANNIS BAPTISTÆ BERNABÒ, & JOSEPHI LAZZARINI.

PRÆSIDUM FACULTATE, ET PRIVILEGIO SUMMI PONTIFICIS.




CLEMENS XI. ALBANVS VRBINAS
PONTIFEX MAXIMVS
CREATVS DIE XXIII. NOVEMBRIS M.DCC.
Petrus Nelli pinx.
Obyt die 19. Marty 1721.
Hieronymus Rossi Incid.
Romę ex officina Dom.a de Rubeis hęredis Io. Iacobi, ad Templ. S. M.e de Pace, cum Priuil. Sum. Pont. et sup. perm.



CLEMENS XI.
PONTIFEX CCXXXXVII.

ANNO DOMINI 1700. LEOPOLDO JOSEPHO, ET CAROLO VI. ROMANORUM IMPERATORIBUS



CLEMENS XI. Sæculum excipit decimum octavum, quod nunc elabitur. Hoc quidem ærumnosum, molestisque obrutum laboribus, sed in robusta, qua electus fuit, ætate annorum 51. ingruentibus malis adeò validas objecit virtutes, ut ad hoc à Deo datus esse videretur, quod gravissimis Ecclesiæ temporibus parem animi magnitudinem afferre posset.

Innocentio XII., qui die 27. Septembris hujus anni sæcularis mortem objerat, Cardinales funebria justa persolverant. Novemdialibus item exactis, & re Sacrâ ad invocandum Spiritus Sancti præsidium solemniter habita, die octavo Octobris iidem Purpurati Patres Vaticanum Conclave ingressi sunt. Convenerant ad eligendum Summum Pontificem octo & quinquaginta Cardinales. Discordes tamen erant studiis, & voluntate. Diutina idcircò, atque incerta Comitia sibi quisque ominabatur. Sed duabus de causis res maximi momenti festinata, & absoluta fuit. Altera, quod hoc expiationis anno, in quo maximâ Peregrinorum multitudine Romam confluente, indecens erat turbulenta agere Comitia, & Catholicæ Ecclesiæ Antistitis electionem differre. Altera vero, eaque potissima, quod tertio decimo

Conclave Clem. XI.

A Kalendas Decembris tristissimæ receptæ sunt litteræ *Francisci Aquavivæ* Nuncii Apostolici in Hispania significantes *Carolum II.* Hispanorum Regem Matriti Kalendis Novembris è vivis ereptum: Quæ res diffidentium Patrum sententias composuit, & electionis negocium festinavit.

Mortuus *Carolus II.* Hispaniarum Rex.

Electorum enim animis obversabantur imminentes Europæ, ac præsertim Italiæ calamitates, & bellum in Insubriam, ac utriusque Siciliæ Regna certissimè inferendum. Ad ea

B siquidem vindicanda, quæ hæreditario Jure Hispani Reges possederant, utrinque certabatur. Galli, & Andegavensium Dux confecto à Rege Carolo testamento nitebantur; Austriaci vero Jure sanguinis, aliisque contra momentis contendebant. Hæc dum animo recolit Sacrum Collegium, de creando quam citissimè Summo Pontifice cogitat; & quamquam Cardinalis Albanus adeò præstare cæteris videretur, ut antequam Conclave ingrederetur, dignissimus Apostolatu apparuerit;

C tamen gravissimę obsistebant difficultates, atque initio cunctandum fuit, ut rite negocium perficeretur. Hac demum occasione nedum omnia expedita, sed etiam celeriter confecta sunt. Eadem die, qua receptæ sunt Literæ Hispanici Nuncii, unanimi assensu in *Joannem Franciscum Albani* injecti sunt oculi. Quatuor tantum horarum spatio res acta est. Vir enim quærebatur impiger, prudens, nec senio confectus, ut imminentibus calamitatibus firmo,

Eligitur Joannes Franciscus Albani.

ac constanti pectore posset obsistere; & quæ jampridem ætas gerendo Pontificatui minùs idonea videbatur, tunc opportuna, & maximè congruens est habita.

Ut vero transactum negocium *Joanni Francisco* nunciatum est, ingemuit, increpavit Collegas suos, eosque constanter admonuit, ut in alios Apostolico pares Ministerio animum intenderent. Omnem insuper industriam addidit, atque modestia, & candore multa protulit, ut eos à præconcepta sententia dimoveret. Cardinales quo magis precibus, & suasionibus contendebant, minus expugnabant. Triduo (quod credi vix potest) cunctatum est; ut non tam Comitia illa fuerint, quam lis, & contentio agitata inter ipsum recusantem, & Sacrum Senatum urgentem, & impellentem eum. Theologorum etiam exquisitum fuit Judicium, an invito vim inferre liceret; sed eorumdem Theologorum sententiis, ac sacrorum Librorum oraculis definita fuit lis, ac dirempta. Fractus tandem animo, atque omnium ferè vocibus perterrefactus, paruit divinæ voluntati, & Spiritui, qui loquebatur, obtemperandum esse intellexit. Latis deindè suffragiis die 23. Novembris nemine discrepante renunciatus est Pontifex; & in honorem S. Clementis, cujus ea die festivitas celebrabatur, *Clemens XI.* voluit nuncupari.

Ejus recusatio, atque aversus animus à Pontificia Dignitate.

Ubi vero Albani electio vulgata est, non modo Urbs tota ingenti perfusa est lætitia, sed Italia universa, omnesque Europæ Catholicæ Provinciæ, de magnanima Clementis repugnantia edoctæ, evectam ad Apostolatus fastigium modestiam, & humilitatem gratulabantur. Ipsi quoque Hæretici, qui facta Pontificum invidis oculis observare, & sanctiores eorumdem electiones aspergere solent injuriis, & mendaciis; audita *Clementis* creatione, ejusque per tot dies constanti recusatione, eum privatis, publicisque honoris, & laudis Testimoniis extulerunt. Quos inter Civitas Norimbergæ aureis, argenteisque Numismatibus perpetuam hujus rei memoriam posteritati commendavit (*a*). Unum ex his Numisma hanc ex Claudiano aptè desumptam Epigraphem exhibebat = *Solus meruit regnare rogatus* = Idem insuper Senatus Norimbergensis honorificentissimas scripsit Literas Viennæ in Austria *Friderico Vvolfio* è Societate Jesu *Leopoldi* Cæsaris Theologo, ut quoad Religio pateretur, Nuncius Apostolicus non ingratum hoc munus acciperet, & laudes novi Pontificis ex ore etiam hæreticorum intelligeret.

Ejus vitæ ratio in privata fortuna.

Joannes Franciscus Albani, ut in privata ejus vita recensuimus, ex Patricia Familia Civitatis Urbini die natus est 23. Julii anni 1649. Pater illi fuit *Carolus Albanus*, Mater vero *Helena Mosca* Patricia Pisaurensis. Avus ejus *Horatius Albanus* amplissima in Urbe Roma claruit Senatoria Dignitate. *Joannes Franciscus* in ætate annorum undecim Romam traductus à Patre, studiis impensè incubuit. Latinas, Græcasque literas perdidicit. Decimum septimum natus annum latinè vertit partem alteram Menologii Græcorum jussu Imperatoris *Basilii Porphyro-genetæ* confectam, nuperque repertam in Monasterio *Cryptæ Ferratæ* Tusculanæ Diœcesis. Item Homiliam *Sancti Sophronii* Hierosolymorum Episcopi in Beatos Apostolos Petrum, & Paulum in Latinum transtulit. Hanc Romæ Typis edidit, addita erudita Præfatione, qua duobus patefactis Sophroniis, cui verè tribuenda esset Epistola, aperuit. In Romana Universitate Jurisprudentiam didicit. Laurea tamen Doctorali in Patrio Urbini Lyceo ornatus fuit.

Romam redux Jurisprudentiæ, & Judiciorum usui animum applicuit, sub disciplina præsertim *Gasparis de Carpineo*, & Joannis Baptistæ *de Luca* postea amplissimorum Cardinalium. In omnibus ferè Urbis Accademiis adscriptus fuit, & in iis nitidas sæpè numero orationes recitavit. Vigesimum primum ætatis annum quum attigisset, Canonicus dictus est Ecclesiæ Sancti Laurentii in Damaso. Indè in ætate annorum 28. inter Præsules Romanæ Curiæ relatus, & ab *Innocentio XI.* utriusque Signaturæ Referendarius, & Sacræ Congregationis Consistorialis Consultor dictus est. Paucis post mensibus Reatinæ Urbi Gubernator præficitur, deindè ad Sabinos, & postremo ad Urbevetanos regendos deligitur. His vero muneribus prudenter, sanctèque functus, *Jo. Franciscus* Romam rediit, & à *Carolo* Cardinali Barberino Vaticanæ Basilicæ Archipresbytero Vicarius ipsius Basilicæ renunciatur. Paulòque post ab eodem *Innocentio XI.*, mortuo *Joanni* Cardinali *Slusio*, sufficitur in amplissimo munere Secretarii Diplomatum Apostolicorum, seu ut ajunt, Brevium Secretorum. Item Basilicæ Vaticanæ Canonicatu augetur. Ab *Alexandro VIII. Innocentii* Successore in iisdem muneribus confirmatur, & die 13. Februarii anni 1690. inter Cardinales refertur, & Diaconus dicitur *S. Adriani*. Aliis etiam augetur gravissimis muneribus, & plurium Religiosarum Familiarum Patrocinium sustinuit. Congregationibus adlectus est Rerum Consistorialium, Indulgentiarum, Sacrorum Rituum, Propagandæ Fidei, Examinis Episcoporum, Immunitatis Ecclesiasticæ, Visitationis Apostolicæ, & Indicis Librorum prohibitorum. Idem etiam *Alexander* in difficillimis Ecclesiæ negotiis *Albanum Consiliarium* adhibebat ferè quotidiè; ut in Constitutione, quâ acta Cleri Gallicani anno 1682. Parisiis congregati irrita habuit & cassa. Ejusdem *Albani* consilio usus est etiam *Innocentius XII.*, quum eadem acta Cleri Gallicani solemnius abolevit, & quum *Carolo II.* Hispanorum Regi de testamento conficiendo, & de vocando Andegavensium Duce in hæreditatem

(*a*) Polidorus in Vita *Clementis XI.* lib. 1. pag. 51. edition. Urbini anni 1727., ubi fuse referuntur hæc Numismata, atque Epistolæ recitantur Senatus Norimbergensis.

tem Hiſpanicæ Monarchiæ, ut fertur, auctor fuit. Mortuo eodem *Innocentio XII.*, priuſquam Conclave ingrederetur, Sacerdotali Caractere voluit inſigniri, & Diaconiam *Sancti Hadriani* in Titulum Presbyteralem *Sancti Silveſtri in Capite* immutavit. Actis deindè Comitiis, expletâque, ut recenſuimus ejus mirifica electione, quum nondum Epiſcopali poteſtate eſſet auctus, à Cardinali Bullionæo Portuenſium Antiſtite, viceſque obeunte Epiſcopi Oſtienſis, qui paucos ante menſes vita deceſſerat; die 30. Novembris in Vaticana Baſilica Epiſcopus conſecratur, & die 8. Decembris in eadem Baſilica ſolemni ritu coronatus eſt.

Initia ſui Pontificatus.

Initia ſui Regiminis ab effuſis in Deum precibus, editiſque præclaris Religionis exemplis feliciter auſpicatus eſt. Præſtantiora Urbis Templa ſæpenumero inviſit, morientibus Sacramenta miniſtravit, Noſocomia convenit, in Xenodochio Sanctiſſimæ Trinitatis pedes lavit Peregrinorum, eoſque effuſis juvit eleemoſinis; & exeunte anno ſæculari Sanctam Vaticanæ Eccleſiæ Portam ritè clauſit. Demum albo inſidens equo, more veteri, ſolemnique pompa, ac majeſtate è Vaticano in Lateranum proceſsit, ut Romani Epiſcopatus poſſeſſionem caperet. Quod nonniſi ineunte anno 1701. factum eſt; ut enim majori magnificentia publici per Urbem fierent apparatus, protracta idcirco aliquamdiu fuit Summi Pontificatus aditio.

Portam Sanctam claudit.

Magnâ animi conſtantia Imperii habenas ſuſcepit. Aſylorum abuſum ſubſtulit; Regumque Oratores commonuit ne in hoc officii munere deficerent. Satellites, alioſque Juſtitiæ Miniſtros quacumque obambulare, & ſine impedimento tranſire juſſit, ut flagitioſos homines inſectarentur. *Fabium de Abbatibus Olivieri* virtutis magis commendatione, quam propinqua ſibi conſanguinitate acceptiſsimum, Apoſtolicis Diplomatibus præfecit. *Fabritium* Cardinalem *Paulutium* primum ſui adminiſtrum dixit, ſeu Secretarium Status. *Joſepho* Cardinali *Sacripanti* Præfecturam contulit Datariæ Apoſtolicæ. A Supplicibus Libellis *Curtium Origum* dixit, qui Auditoris Cameræ Apoſtolicæ erat Locumtenens Generalis; pluresque alios egregios Viros in ſui adjutorium elegit. Sua tamen ipſe manu emergentia in dies negocia conſcribebat, atque ut opportunè provideret, in Commentarium referebat. In Pontificio Palatio nihil intemperans, nihil rationi, aut modeſtiæ diſſonum permiſſum eſt: Aliis ipſe ſuo exemplo prælucens, in familiarium ſuorum mores inquiſivit, eoſque ad rectam vivendi methodum accomodavit. Sacris majoris hebdomadæ diebus peccatorum confeſsiones excipiebat, incruentum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrabat, quandoque etiam ad populum Homilias habebat.

Optimos ſibi adminiſtros eligit.

Nonnullos alios Aulæ Romanæ Præſules variis addictos muneribus, majoribus auxit dignitatibus juxta eorum merita, ac labores. Hanc etiam ſervavit Juſtitiæ methodum in diſtribuendis quamplurimis Sacerdotiis, ſeu annuis Eccleſiarum proventibus, quibus initio ſui Pontificatus Dataria Apoſtolica abundabat. Soli à Pontificia beneficentia ejus conſanguinei remoti ſunt. Nec eos Beneficio aliquo affecit, nec dignitate aliqua cumulavit, niſi pluribus elapſis annis, quibus eorum integritatem, doctrinam, & fidem rigidiſſimè probavit. *Annibalem*, & *Carolum* ejus Fratris filios in Seminario Romano, ubi morabantur, manere voluit, ut ſtudiis naviter incœptis diligentius incumberent. *Horatium* Papæ germanum Fratrem, ejuſque Uxorem *Bernardinam Hondedeam* Patriciam Piſaurenſem à quocumque honoris titulo abſtinere juſſit, neve gradus, aut ornamenta Viris Principibus dari ſolita, ſibi attribuerent; neve publicis ſeſe immiſcerent negociis, neve privatorum Nobilium ordinem excederent.

Ejus ſeveritas in ſuos.

Urbis felicitati, & totius Eccleſiaſticæ Ditionis bono quâcumque proſpexit. Artium quoque nobilium incrementis conſulens, Accademiam in æde Capitolina inſtituit Picturæ, Sculpturæ, & Architecturæ, atque aureos mille annuos Dotem perpetuam illi attribuit.

Accademiam inſtituit Picturæ, ſculpturæ, & Architecturæ.

At verò imminentia Europæ, ac præſertim Italiæ mala, ſecum animo revolvens ob mortem *Caroli II.* Hiſpanorum Regis, ingruentia ubique bella avertere omni ſtudio conatus eſt. Graves *Leopoldo* Cæſari, graves Gallorum Regi conſcripſit Literas, ut ab armis abſtinerent, neve Europæ tranquillitatem eriperent. Suam ipſe operam, curamque ſequeſtram ſpondebat, qua divina fretus miſericordia arduum negocium, aleæque plenum periculoſæ componere ſperabat; ſed irrita prorſus ſpe Chriſtianæ Reipublicæ Reges à propoſita concordia averſos vidit. Repente bellum conflatum eſt. Nec Inſubriam modo invaſit, conterminaſque Regiones, ſed Pontificiis etiam Provinciis graviſſima attulit incommoda. In tanta rerum perturbatione ſpem quidem certam *Leopoldus Cæſar*, & *Ludovicus* Gallorum Rex *Clementi* fecerant, ut Pontificiæ Ditionis Oppida à belli incendio, imo & à militum excurſionibus exempta forent; ſed promiſſis penitus poſtpoſitis, repentè in Ferrarienſem Ducatum Auſtriacos milites irrupiſſe audit. Quare graviter cum Cæſare conqueſtus eſt, fidemque tot nominibus debitam, & ſæpius exhibitam imploravit. Mulcebat Cæſar Pontificis querelas, & Auſtriaci Ductores Exercitus blandis verbis rem diutius protrahebant. Nunc Milites à Finibus Ferrarienſibus recedebant, nunc redibant, nec minori audacia.

Principes bello diſſidentes conatur componere.

Belli initia.

Auſtriaci in Pontificias Provincias excurrunt.

Ut majoribus Pontifex malis occurreret, obviamque licentiam compeſceret, validum conſcripſit equitum, peditumque numerum. Tunc vero Galli, & Hiſpani idoneam rebus ſuis augendis occaſionem inveniſſe rati, omnibus ſtimulis Pontificem urgebant, ut in fœdus ſecum coiret. Ajebant enim reprehendi mi-

Galli, & Hispani Pontificē urgent, ut fœdus cum ipsis percutiat.

minime posse patientiam ejus, si non ultroneus, sed lacessitus arma sumpsisset. Præterea pactiones honestissimas spondebant, nec Sanctæ Sedi dumtaxat, sed ipsis Papæ consanguineis maximè utiles. Novam se Pontificio Imperio provinciam ex Neapolitano Regno detrahendam adjecturos esse pollicebantur. In eodem Regno Neapolitano *Philippus* Andegavensis Albanæ Familiæ exhibebat ditionem aliquam cum oppidis Papæ affinibus congruentem. Plura alia ad incrementum Sanctæ Sedis, & Pontificiæ authoritatis paciscebantur.

Sed frustra.

Sed non hæc mens erat Pontifici. Injurias quidem propulsare cupiebat, sed neutri ex competitoribus adhærere, nec propagandi imperii cupido, nec ampliandæ consanguineorum fortunæ consilium illi incesserat. Rumor tamen in vulgus efferebatur, Pontificem cum Gallis, & Hispanis fœdus percussisse. Quæ vox eo magis percrebuit, postquam *Jacobus II.* Angliæ Rex in Galliis degens, *Bervicii* Ducem ad Pontificem allegaverat, ut Regis lætitiam testaretur ex Albani ad Apostolatum assumptione susceptam, & ut initi Sacerdotii diutissimam felicitatem apprecaretur. Sed hæc fama temere efferebatur, nihilque prorsus veritatis habebat, nisi mutuam Pontificis, & Angliæ Regis amicitiam.

Legatio Jacobi II. Angliæ Regis ad Pontificem nuper electum.

Cæsar, & Hispani certatim Investituram petunt Regni Neapolitani.

Intereà tam Cæsar, quam Hispani tributum Pontifici, quotannis pendi solitum cum Asturcone, quem *Chinèam* dicunt certatim offerebant, ut Investituram à Sancta Sede reportarent pro Regnis utriusque Siciliæ. Pontifex verò adhibito etiam Cardinalium consilio nullam declinans in partem, eumdem censum utrimque exhibitum recusavit. Ne vero ipsa Tributi detrectatio juribus obesset Sedis Apostolicæ, pridiè Festi SS. Apostolorum Petri, & Pauli suas evulgavit literas, quibus denuntiabat tempus hujusmodi pendendi censum inter Belli clamores, & in præjudicium ejus Supremi in illis Regnis Dominii, minimè labi.

Papa vero censum utrimque exhibitum recusat cū declaratione ne detrectatio officiat Sanctæ Sedi.

Marchio Brandeburgenus Regis Prussiæ nomen assumit.

Assumpserat hoc anno *Fridericus Marchio* Brandeburgicus nomen, & Insignia Regis Borussiæ, inscia Sede Apostolica, & despecto antiquo jure, quod Sacro, & Militari Theutonicorum Ordini in illa Provincia competere vetera documenta confirmabant. Factum improbavit *Clemens XI.*, datisque literis nedum *Leopoldo* Cæsari, sed etiam omnibus Catholicis Principibus, eos vehementer hortatus est, ne eidem Marchioni Brandeburgico Regios honores, nequidem officii gratia vellent tribuere (*a*). Catholicos Populos Armeniam, Thraciam, & Syriam incolentes, maximis juvit Beneficiis; Hi enim quum à Mahometanis crudeliter vexarentur, & præsertim Missionarii ab eorum Apostolico Ministerio prohiberentur, obtinuit, ut liberè veritatem Fidei profiterentur: Et impetratâ Cæsaris, & Sarmatiæ Regis, necnon Venetæ Reipublicæ authoritate, piissimam afflictis tranquillitatem, tutumque Orthodoxæ fidei cultum restituit. Novos etiam in Persidem Evangelicæ Legis præcones misit, eosque peculiaribus Literis Regi commendavit.

Sed actum improbat Pontifex.

Catholicos Armeniæ, Thraciæ, Syriæ, Beneficiis afficit.

Missionarios mittit in Perside.

Et ad Synarum Imperiū Carolum Thomam de Tournon.

Præcipuâ tamen cura angebatur Pontifex ob ea, quæ ex India, & Synarum Imperio sibi referebantur. Resciverat ipse Catholicam Fidem in illis Regionibus ad ultimum penè discrimen adductam esse propter quosdam illorum Populorum inveteratos ritus, qui maximè ad Idololatriam accedebant. Quodque gravius erat, noverat eosdem ritus à quibusdam Evangelicæ Prædicationis Ministris per desidiam, & conniventiam, vel per malam conceptam opinionem comprobari. Dolebat idcirco maximam illarum animarum perniciem, dolebat grave dedecus authoritati Sanctæ Sedis quasi obveniens ex aliena socordia, dolebat denique, & sæpius repetebat se optatissimum iter maturare non posse, ut ad fines extremi orbis pro Dei gloria, & creditarum sibi gentium salute, desideratam subiret provinciam. Ut vero eosdem ritus abolere decreverat, & revera abolevit, & abrogavit, si ex veridica sui Nuncii relatione impios eos novisset, & puritati veræ Fidei adversantes, ità virum elegit integritate vitæ, prudentià, & sanctitate præclarum, ut veritatem absque ulla dissimulatione, aut fuco sibi detegeret, & quæ deindè Pontifex decrevisset, impavidè exequeretur. Fuit hic vir *Carolus Thomas Maillard de Tournon* ab ipso Pontifice renunciatus Patriarcha Antiochenus, & Visitator Apostolicus ad Indos cum potestate Legati de Latere, qui se, vitamque suam obtulit in testimonium veræ Fidei. Hic innumeros labores, ærumnas, & tormenta pro Deo passus eosdem Synenses ritus Romæ abrogatos ad Synas etiam improbavit, irritosque dixit, & demum invictus Christi Athleta gloriosissimè obiit Macaj anno 1710, ut latius in ejus vita recensemus.

Nuntios mittit ad præcipuos Europæ Reges, ut de Pace agant.

Dum hæc pro Religionis incremento apud remotissimas gentes strenuè Pontifex gerebat, nullum omittebat paternæ charitatis officium, ad imminentes Europæ calamitates propulsandas. Ut publicæ tranquillitatis negotium maximè urgeret, ad præcipuos Europæ Reges Nuncios extra ordinem misit viros genere, & virtutibus præstantes. Nempè *Horatium Spadam* Archiepiscopum Thebarum ad *Leopoldum* Cæsarem; *Laurentium Fliscum* Archiepiscopum Avenionensem ad Regem Galliarum, & *Antonium Felicem Zondadarium* Archiepiscopum Damascenum ad *Philippum* Hispanorum Regem. Ipse Philippus Borbonicus hoc anno ineunte vere ex Hispania Neapolim appulerat, statimque cubicularium suum Romam allegaverat Marchionem *Lovillæum*, qui suam Pontifici reverentiam, & obsequium testaretur. Pontifex verò veterem sequutus morem,

Et Cardinalem Barberinū Neapolim ablegat, ut Philippum V. Hispanorum Regem excipiat.

Ca-

(*a*) Epistolæ, & Brevia Clementis XI. Tom. primo ubi extant omnes hæc Epistolæ.

Carolum Cardinalem *Barberinum* Neapolim misit ab Latere Legatum, ut suo nomine Principem Maximum adiret, eique Apostolicam Benedictionem impertiret. Lignum etiam vivificæ Crucis Domini Nostri Jesu Christi aurea theca pretiosis ornata gemmis occlusum, dono misit. Molestè tulit Cæsar Legatum ad Philippum Regem Pontificio nomine missum; Licet idipsum nuper actum fuisset à S. Sede cum Rege Romanorum, & tamen Cæsar *Horatium Spadam* Nuncium Papæ extraordinarium excipere recusavit.

Idque Cæsar molestè tulit.

Sed jam Gallorum, & Germanorum copiis Italia tota tenebatur. Veritus Clemens, ne Civitates Parmæ, & Placentiæ militaribus paterent excursibus; easdem Pontificio præsidio communivit, & arces firmavit, ut ipsa saltem antiqua Ecclesiæ Feuda aliquali reverentia haberentur. Ut vero tutior regioni conditio facta fuit, tunc Pontificium præsidium Clemens removit. Graves etiam hoc anno in Urbe Roma calamitates irrepserant. Inter Familiares Comitis de *Lamberg* Cæsarei Oratoris, & Cardinalis *Jamsonii* de *Fourbin* diræ exortæ sunt rixæ. Sicarii utrimque accersuntur, exules, & id genus alii audacia, criminibusque notati homines. Pluries manus conserere ausum est, pleraque per vim patrata sunt non sine sanguine, & cæde, nec sine tumultu incertæ Plebis, quæ in contraria partium studia scindebatur. Latè furens incendium Pontificis authoritate restinctum est, & reorum, atque tumultuantium debita animadversione compressa est temeritas. Et quæ inter Regios Ministros superfuerat indignatio, collocato non procul ab eorum ædibus delectorum militum præsidio, dissipata est. Sic in Latio, & Hernicis quamplures nefarios homines viatoribus infestos, & qui ex cæde, & rapto vivebant, compressit, & sumpto de iisdem supplicio penitus delevit.

Clemens præsidio Pontificio munit Parmam, & Placentiam.

Romæ rixæ inter Ministros Austriacos & Gallos.

Sedantur authoritate Pontificis.

Sicarios in Latio, & Hernicis grassantes delet.

Neque hic aggestorum infortuniorum finis hoc anno fuit. Ex nivium liquescentium affluentia, & imbrium copia adeo excrevit Tyberis amnis, ut latè patentes circum campos, & imas Urbis partes undis obruerit. Magna animantibus pernicies fuit, & plura ædificia aquarum impetu vel rupta sunt, vel disjecta. Viæ etiam in Urbe, & cryptæ vinariæ aquis submersæ, non sine magno Romanorum incommodo. Verebantur præterea medici, ne ex diuturna, putidaque alluvione, aer corrumperetur. Publicas *Clemens* indixit supplicationes, nec semel ipse in subterraneam Templi Vaticani cryptam secessit, fusisque ad Apostolorum tumulum precibus, incruento litavit Sacrificio. Pias ejus lacrymas respexit Deus, brevique decrevit Tyberis, suoque receptus defluxit alveo.

Tyberis excrescit, imasque obruit Urbis partes.

Nec minora ineunte anno 1703. emerserunt portenta. Siquidem die 13. Januarii hora ferè prima cum dimidia noctis, Italia penè universa horrifico Terræ motu concussa est. In Umbria plura Reatinæ ditionis oppida magna ædificiorum ruina fœdata sunt. In Sabinis Nursia, Cassia, aliaque iis vicina Castra ferè funditus corruerunt. Plura centena hominum ruinis oppressa perierunt. Spoletum, & Asculum Urbes, huic exitio proximæ, damni fuerunt participes. Roma ipsa eodem prorsus concussa motu contremuit. Tantus Urbem invaserat terror, ut imbribus, ventisque Populus omnis expositus, plateas, & aperta inquirens spatia, vacuas domus reliquerit: Preces Pontifex multiplicavit, publicasque iteravit supplicationes. Dumque placando Numini in Pontificio sacello cum Cardinalibus intentus erat die 2. Februarii, iterum Roma, Italiæque magna pars simili quatitur Terræ motu. Novo urgente periculo penè omnes aufugerunt; *Clemens* cum paucis, qui remanserant, ante Altare procubuit impavidus, Divinamque iram tot hominum peccatis lacessitam, lacrymis, fusisque obsecrationibus placare non destitit.

Italia ferè cuncta Terræmotu concussa.

Provida idcirco Clementis consilia.

Veris periculis quum Civitas angeretur, falsis etiam terroribus est agitata. Siquidem die 3. Februarii, sublustri nocte (quod credi vix potest) publicus invaluit rumor, Romam ad decimam noctis horam horribili Terræ motu fore evertendam. Ignoti homines per Urbem vagantes, foresque domorum pulsantes, denuntiabant imminens Romæ excidium. Idcirco nomine Papæ clamabant, ut quisque caveret sibi, ut domum relinqueret, ac se reciperet in tuto, quia Roma paucas post horas ruinis foret submersa. Extemplo perculsi Cives è suis tectis prosiliunt mæsti, & palantes, & quasi de proximo excidio palpitantes. Plateæ, horti, & aperta loca statim completa sunt totius ordinis hominum; senes, trepidæ Matres cum pueris, debiles, & claudi, Patricii cum Plebeiis admixti ædes, palatia deseruerunt, & pretiosa quæque, nullo custodiente. Ubi vero Pontifici tanta Urbis perturbatio nunciata est, statim populum certiorem fecit de vocis falsitate; mandatum est, ut milites, ac velites per compita, ac vicos equis vecti discurrerent, edicerentque nocturnos illos concursatores temere Pontificio abusos fuisse nomine. Vanam deponerent formidinem, & Divina freti misericordia ædes singuli tuto repeterent. Sic liberata metu Urbs pristinam induit tranquillitatem. Postridie vero, res mira! nullum tota Civitate memoratum furtum, nullum perpetratum flagitium; tantus omnes terror invaserat. Quas vero Clemens ad Deum placandum supplicationes instituerat, easdem amoto periculo intentius adhibuit pro gratiarum actione. Oppida, Civitates, Provincias flagello tactas opibus, & consilio levavit.

Parisiis prodierat hoc anno libellus quidam (*a*) multiplici noxiæ doctrinæ veneno re-

Nova Janseniani erroris in Galliis semina.

fer-

(*a*) Titulum habet hic liber - Cas de Cosciençe proposè par' un Confesseur de Province, touchant un' Ecclesiastique, qui est sous sa Conduitè, & resolu par plusieurs Docteurs de facultè de Theologie de Paris.

fertus, qui emendicatis, captiosisque subtilitatibus, Jansenianos errores iterum instaurabat contra ea, quæ *Innocentius X.*, *&* *Alexander VII.* in Jansenii Propositiones evulgaverant. Docebat hic liber = *Salva Catholicę veritatis integritate credi posse Jansenii errores non esse veros in facto, licet in Jure veros esse, & rite à S. Romana Ecclesia damnatos fuisse profiteretur* = Addebatque ulterius = *quoad Pontificias Constitutiones recipiendas sufficeret* B *reverentiam internam* = Hanc autem reverentiam interius promissam exterius facto, & fraudolentis quæstionibus violabat, & violare docebat; atque apertâ tergiversatione ipsos Jansenianos errores iterum propugnabat. Librum hunc quadraginta Theologorum Sorbonicorum subscriptione munitum, damnavit Pontifex, validisque ad Regem Gallorum, & *Ludovicum Cardinalem de Noailles* conscriptis Literis, authores Libelli conquirendos, & rigidè puniendos esse declaravit.

Damnatur à Clemente XI.

Accademia C Sorbonica, ubi querelas rescivit *Clementis XI.*, non sine subscriptorum nota, factum improbavit. Sorbonæ nomen dolosè, ac falso fuisse usurpatum, & aliam prorsus Accademiæ esse mentem, & voluntatem. Author Libelli habitus fuit *Ludovicus du Pin*, qui in ultimam Maritimæ Brittaniæ oram jussu Regis exilio mulctatus est.

Galli Pontifici Maximò obsequuntur.

Sanior illorum quadraginta Theologorum pars, quos inter aderat celebris *Natalis Alexander* ex Ordine Prædicatorum, D imprudentem agnoscentes lapsum, librum expressè condemnarunt. Decreta hinc Sedis Apostolicæ nedum alacri Cardinalis de Noailles observantia, sed etiam univoco Regis, & Regni assensu exequuta sunt; & clariori Sanctæ Sedis sententia sequenti anno 1705. novi isti errores damnati sunt Apostolica Constitutione, quæ incipit = *Vineam Domini Sabaoth* =.

Clemens Jansenianos errores etiam apud Batavos insectatur.

Nec diversimodè apud Batavos hanc Jansenianæ pertinaciæ luem *Clemens* insectatus est; & E *Petrum Coddaeum* Archiepiscopum Sebastenum, & Vicarium in Batavis Apostolicum de collusione cum Jansenianis hæreticis suspectum, ab officio removit. Non parum tamen in illis Regionibus Rei Catholicæ obfuit *Paschalis Quesnellius*, qui noxiis editis Libellis temeritatem hæreticis auxit.

Plura ubique Terrarum sancita pro Religionis incremento.

Pontificis verò sollicitudo ad universum Orbem protracta in Moesia, & Epiro Dioeceses lustrari curat, & ab utriusque Provinciæ Episcopis Concilium haberi voluit. Multa gravia, F quibus Lotharingiæ, & Barrii Ducatus premebantur, *Clemens* substulit, & Codicem Leopoldinum, ubi municipales Leges adservabantur, tanquam libertati Ecclesiasticæ infensum damnat, & reprobat. In Ægypto, & Æthyopia parta Religionis incrementa amplificat, & faventibus Patriarcha Alexandrino, & Rege Æthyopum honorifica ad Pontificem cum Literis decernitur Legatio. Plures in illis Regionibus Missionarii, & verbi Dei Præcones mittuntur. Maronitas à finitimis Romanæ Fidei hostibus oppugnatos sublevat. Persis multifariam benemeretur.

Novæ in Italia calamitates.

At vero Angli, & Batavi instructissimâ classe ad Portum Ligurni appulerant; & ipsi cum *Leopoldo* viribus, & consilio juncti, Viennæ sub idem tempus *Carolum* Archiducem Austrię in Hispanorum Regem pronuntiaverant. Regios illi honores, & insignia decernere tamen detrectavit *Clemens*, validis impulsus rationibus. Hinc novæ cum Cæsare simultates, & diffidia exoriuntur. Rursus in Ferrariensem Agrum Germani irrumpunt; Germanos vero insequens *DuxVindocinensium*, seu de *Vandomo*, Gallorum copias eodem impellit.

Carolus Hispanorum Rex Viennæ salutatur.

Eum tamen Pontifex non agnoscit.

Ager Ferrariensis iterum ab exteris militibus obrutus.

Clemens utriusque exercitus Ducibus denuntiat, quod nisi infra dies octo loco cederent, publicè excommunicatos, & hostilia quæque se subituros intelligerent. Paruere primum Germani deindè & Galli, qui licet prius relicta ab Austriacis loca occupassent, tamen admonitus Dux de *Vandomo* à Ludovico Rege, abiit & ipse, & Regio nomine reverentiam Sanctæ Sedi debitam patefecit.

Nuncius Apostolicus Vienna pulsus.

Celebritati Viennæ habitæ, quum *Carolus* Archidux Austriæ Rex Hispanorum salutatus est, adesse noluit *Jo. Antonius de Via* Nuncius ad Cæsarem Apostolicus, Pontificiis obsequens mandatis; more itaque penè hostili Vienna pulsus fuit Nuncius Apostolicus, nullisque Literis, aut officiis exorta tam importunè discordia à *Clemente* componi potuit.

Moritur Leopoldus Imperator.

Interea die 5. Maii obierat *Leopoldus* Imperator studio Christianæ Fidei, & rebus præclarè gestis in ævum memorabilis Princeps. *Joseph* Romanorum Imperator Patri successerat, qui iisdem insistens suspicionibus, easdem diffidii caussas cum Pontifice alebat. Nec nova defuit occasio, quin utrinque subortæ simultates potius augerentur.

Novæ contentiones super precibus primariis Imperialibus.

Imperatorio siquidem diplomate Cæsar denuntiaverat omnibus iis, qui in Germania Jure conferendi cujusvis generis Sacerdotia potirentur, ut commendatis à se Clericis Beneficium cujuscumque illud esset naturæ tribuerent. Id postulationis genus improbavit *Clemens* ob concordata jampridem inter *Nicolaum V.*, *&* *Fridericum III.*, & Germanos præscripta: Neminem Imperatorum Romanorum has misisse per Germaniam preces, nisi accedente Sanctæ Sedis authoritate; Præterea novâ etiam dixit, & inusitata conceptas formulâ.

Eas improbat Clemens.

Datis idcircò Literis Imperatori, Episcopis, aliisque Ecclesiarum Ministris eas inanes declaravit. Certis etiam admonitus nuntiis de insigni dignitate Electoris Imperii favore Hannoverani Ducis heterodoxi tribuenda juxta Ratisbonensis decreta Concilii, permolestum id sibi accidisse multiplici Testimonio patefecit; & cum *Josepho* Augusto Cęsare, & cum Archiepiscopo Moguntino graviter conquestus est, quia conatui Ecclesiæ pernicioso pro viribus non obstitissent. Eamdem Ratisbonensem sententiam irritam, & inanem dixit, ut, quantum in se erat, indemni-

Dux Hannoveranus in Conventu Ratisbonensi Elector Sacr. Rom. Imperii declaratur

tati

Factum improbat Clem. X.

tati Ecclesiæ, & Sanctæ Romanæ Sedis consuleret.

Adversa, qua præsertim hoc anno 1706. *Clemens* angebatur valetudine, Apostolicas tamen curas non deseruit ad Religionis incrementum. Ipsomet tempore, quo Crurium humore noxio vexabatur, & acerbiore morbus ingruebat sensu, *Franciscum Ticinensem*, ex ordine Minorum Cappuccinorum ad se accivit, qui Vir Apostolico functus Ministerio ex Africa redierat, & officia *Petri* Regis Congi, & *Mariæ* Reginæ humanissima attulerat.

Scribit Regi, & Reginæ Congi.

Ipse felicem Catholicæ Religionis Statum, & progressum in illo Regno, aliisque finitimis denunciabat. Iisdem *Clemens* peramantes conscripsit Literas, ut eos ad Catholicæ Fidei Propagandæ studium magis incenderet. Numerum Missionariorum auxit, & Regi sacra dona misit pretiosæ existimationis.

Nobiles Æthyopes comiter excipit.

Excepit etiam humanissimè Nobiles quosdam Æthyopes Religionis caussa Romam perventos, eosque idoneis auctos muneribus dimisit.

Novos mittit Missionarios ad Imperium Magni Mogolis & ad Tartariam Sinensem.

Ad Imperium Magni Mogolis, & ad populos Tartariæ Synensis quamplurimos Evangelii Præcones allegavit, ut consilio auctor fuerat memoratus egregius Vir *Carolus de Tournon*.

Ejus in Sarmates cura.

Subortis in Sarmatia malis occasione belli à *Carolo* Svecorum Rege illati, providus occurrit, & *Augustum* Saxonum Ducem consilio opitulatur, Regionemque hæretico invasam exercitu, ne in fide nutaret, neve ullum Catholica Religio detrimentum caperet, maximè cavit.

Tanta, & tam vasta Catholici Gregis sollicitudo, curam haud minorem Domi exigebat ob ardens quotidiè magis crudele bellum in Italia.

Germani Ferrariensem & Bononiensem agrum occupant.

Abscissa omni spe firmandæ pacis cum Cæsare, Germani milites iterum in Ferrariensem, & Bononiensem agrum irruperant, eorumque Duces, hybernis fixis stationibus, ad eosdem alendos milites tributa populis imperabant. Ratus Pontifex longè aliam esse Cæsaris mentem, imò, & Principis *Eugenii* de Sabaudia supremi exercitus ductoris; nec passuros se esse, ut tot malis opprimerentur Pontificiæ ditionis oppida; Eidem Principi Eugenio in Insubribus agenti, prudentem virum allegat *Dominicum Riviera* Patricium Urbinatem, qui aliquibus positis conditionibus obtinuit, ut hybernantes copiæ ex Agro Pontificio recederent.

Dominicus Riviera ad Principem Eugenium missus.

Germanus exercitus in Regno Neapolitano.

Sed hyeme exacta amicus Germano exercitui datus est transitus, ut paratam à Cæsare expeditionem in Regnum Neapolitanum expleret.

Comaclum Urbs à Germanis capta.

Hac vero feliciter absoluta, quum Cæsar Neapolitanum Regnum suo adjecisset Imperio; pars Austriaci Exercitus in Æmiliam reversi in Ferrarienses vicos irrumpit, & nullo Pontifici indicto bello, Comaclum Urbem improviso intercipit. Ferraria quoque eodem forte belli impetu occupata fuisset, ni Cardinalis *Casonus* Provinciæ Legatus consilia deturbasset.

Cardinalis Casonus Ferrariam præsidio munit.

Is enim tria peditum millia è finitimis Regionibus collegit, validoque præsidio Urbem munivit.

Clemens Bellum parat.

Clemens vero, ubi non semel, sed frustra exprobavit Cæsari injuriam Sanctæ Sedi illatam de ineundo Bello, licet invitus, voluntatem suam Sacro Senatui aperuit. Ne subditis tributa indiceret, ex abditiori arcis Sancti Angeli custodia quingentorum aureorum millia deprompsit. Ex subjectis Provinciis viginti millia equitum, peditumque conscripsit. Ex ditione Avenionensi tria millia evocata, & ex Helvetiis quinque millia cooptata sunt; supremum vero Belli Ducem dixit Comitem *de Marsiliis*.

Belli eventus.

Cæsar vero offensus quotidiè magis, Diploma Viennæ evulgaverat, quo Parmam, & Placentiam Imperii fundos dixerat. Germani Ferrariam, & Urbini Arcem circumseptam tenuere, sed irrito conatu. Æmiliam tamen universam, & Umbriam pervagantes molestis velitationibus agros, incolasque vexabant. Paria ferè in Latio, & in Picæno illata sunt damna ex Germanorum copiis, quæ ab Neapolitano Regno cursitabant. Præsidiarii idcircò milites juxta Neapolitani Regni fines missi sunt. Firmatum, vallatumque Palianum, aliaque eidem Regno vicina oppida. Levi pugna velitatum potius, quam certatum est vario Marte.

Pax statuitur.

Sed paullo post certis jactis conditionibus firmata pax fuit inter Pontificem, & Cæsarem. Harum præcipuæ hæc sunt, ut *Joseph* Imperator, *& Carolus Romanorum Rex Decreta ab ipsis Mediolani, atque Neapoli evulgata, adversus Romani Pontificis authoritatem, & Immunitatem Ecclesiæ revocarent, & irrita haberent. Cæsarei Milites citissimè ex Ecclesiæ Provinciis discederent. Suos nuper scriptos cum exteris Ducibus Papa dimitteret. Utriusque partis captivi, & Bellica tormenta utrinque restituerentur. Comacli controversia obnitente Duce Mutinæ, qui Ministros Romam miserat, ut rationes suas promoverent per Cardinales à Pontifice deligendos, celeriter, & amicè componeretur. Pontifex Carolum Archiducem Austriæ recognosceret in Hispanorum Regem.* Id tamen Pontifex præstitit ad normam Constitutionis Clementis Papæ V. caventis = *Si quem Summus Pontifex sub titulo cujuslibet Dignitatis, nominet, honoret, seu tractet. Per hoc in dignitate illa ipsum approbare non intelligatur* =.

Philippus V. quasdam hujus pacis conditiones indigne fert.

Sic pristinæ reddita est Ecclesia tranquillitati; sed acriter Philippus Hispanorum Rex offensus est, quod Carolo Archiduci Austriæ Regii honores fuerint decreti, tametsi cum tanta cautione, ut nihil cuiquam addi, vel detrahi posset.

Expellit Antonium Zondadarium Nuncium Apostolicum.

Quare statim *Antonium Zondadarium Archiepiscopum* Damascenum, & Apostolicum Nuncium è suis Regnis expulit, abruptamque amicitiæ, & cujusvis commercii occasionem penitus declaravit. *Clemens* vero calamitatibus obsistens, & curis quacumque ingruentibus, libros à Viris doctis elaborari jussit, quibus prætensa ab Austriacis, & Estensibus in Urbes Comacli, Parmæ, & Placen-

tiæ

tiæ Jura penitus retunderentur. Sic illud Concordiæ caput diu protractum est. *Annibali Albano* Fratris filio, quem ad Cæsarem, aliosque Grmaniæ Principes Pontifex miserat, ut in pace generali, de qua jam Hagæ evulgati fuerant *Articuli præliminares*, Religionis jura tueretur, hoc etiam negotii genus illi demandaverat, ut de Comacli restitutione Imperatorem urgeret. Ipsimet viri Principes, & Electores Imperii suadebant, ut Comaclum Ecclesiæ restitueretur; sed tenax propositi Cęsar rem in aliud tempus differendam decrevit. Eoque ipso die, quo negotii protractionem constituit, morbo correptus, paucis superstes diebus decessit. Obiit igitur Joseph Imperator die 15. Aprilis anni 1711. pluribus editis Christianæ pietatis, & integerrimæ Religionis argumentis; & si gravibus testimoniis est adhærendum, *Hercules Ludovicus Marchio de Prie* eo tempore Cæsareus Romæ Legatus, præcipuas *Josephi* Literas asservabat, & quæ in commissis habebat, ultro exequi cunctabatur, ut solemniori apparatu Cæsaris reverentiam, & ejus in Catholicam Religionem patrocinium Pontifici testaretur.

Annibalem Albanum Fratris filium Viennam Clemens allegat.

Moritur Joseph Imperator.

Carolus igitur *Josephi* germanus Frater electus est Imperator plaudente, omnique officii genere suffragante ipso Pontifice, qui ut rem proveheret, *Annibalem Albanum* Pontificium extra Ordinem Nuncium Francofurtum ad Mænum, ubi conventus habebatur, allegaverat. Utque nullum deesset Pontificiæ benevolentiæ test imonium eumdem *Carolum* ex Hispania in Germaniam redeuntem, Apostolica Legatione Mediolani jampridem exceperat. Ad hoc munus obeundum delegerat Pontifex *Josephum Renatum* Cardinalem Imperiali, qui tamquam Papæ de Latere Legatus Mediolanum convenerat, officiisque ultro, citròque transactis arctius concordiæ vinculum obfirmasse visus est.

Eligitur Carolus VI

Eum, ex Hispania redeuntem Mediolani excipit Cardinalis Imperiali Papæ de Latere Legatus.

Sed infelix nimium erat horum temporum conditio, & recrudescentibus in Europa bellis, nova Religioni dispendia, & novæ Pontifici calamitates adstruebantur. Deteriorque bello pax timebatur, in cujus decernendis conditionibus, maximam sibi partem hæretici vindicabant. *Clemens* effusas ad Deum preces iterare non destitit, & ut nova sibi, & quidem cælestia pararet præsidia, novos Christiano populo patronos quæsivit, novisque Sanctorum nominibus Ecclesiæ Fastos auxit. Inter Sanctos igitur retulit *Pium V.* Pontificem Maximum ex Ordine Prædicatorum, *Andream Avellinum* Clericum Regularem Theatinum, *Felicem Cantalicienſem* Cappuccinum, & *Catharinam Bononienſem* ex Ordine Minorum.

Quatuor Beatos inter Sanctos refert.

Interea non levia in Siciliæ Regno ob violatam Ecclesiæ Immunitatem exorta erant dissidia. Parvo ex principio, magnum conflatum est incendium. Quippè quum Regii Ministri certum leguminum genus ex Episcopalibus collectum prædiis insuetæ vectigalium solutioni reddidissent obnoxium, ab Episcopo Liparensi *Nicolao Maria Tedeschio* offensæ immunitatis Ecclesiæ habiti sunt rei; Catholica item communione interdicti, & à Sacris remoti sunt. Regii Ministri pænis ab Episcopo inflictis parere recusarunt, & prætextu authoritatis *Monarchiæ Siculæ*, quidquid ab Episcopo gestum fuerat, pro infecto habuerunt. Pontifex vero nedum Ecclesiæ libertatem læsam condoluit, sed quod gravius est *Monarchiæ Siculæ* Tribunal abhorruit, ex quo Episcoporum sententiæ ad examen vocabantur, & Pontificia authoritas pro hac Monarchia Sicula negligebatur.

Acres in Siciliæ Regno contentiones ob violatam Ecclesiæ Immunitatem.

Origo contentionis.

Hujus Monarchiæ Siculæ Pontificium quoddam Diploma affertur *Urbani II.* Hoc quidem jampridem ignotum, emersit anno 1513. studio *Joannis Lucæ Barberii*, qui antiqua ad Siciliam spectantia diplomata in unum volumen congessit, & *Caput Brevium* appellavit. Ex hoc Codice suspectæ penitus fidei *Rogerio* Siciliæ Comiti, & cuidam illius Regni Tribunali amplissima præsumitur data potestas in universam Ecclesiæ Jurisdictionem; sed hoc assertum Pontificium Diploma, ignoto penitus depromptum loco, & tamquam nullam veritatis imaginem præseferens, ab eruditis viris pro falso, & commentitio habitum, nil ultra profecto continet, quam quod vivente eodem *Rogerio*, ejusque filio *Simone*, illiusque legitimis hæredibus, ipsimet Legati Apostolici munere fungerentur, nullum autem apparet perpetuæ hujus Legationis vestigium, quin ad effrænes potius Siculorum abusus coercendos, & ut *Rogerius* mandata Sanctæ Sedis fideliter exequeretur, concessum videtur. Sequentium vero temporum series ostendit plurimas in illo Regno Pontificias Legationes, quoties oportuit, à Viris sacris fuisse obitas, & ad Romanum Pontificem Siculorum provocationes interpositas fuisse. *Clemens* igitur ea omnia, quæ ab hoc prætenso Monarchiæ Tribunali in Liparensem Episcopum gesta fuerant, irrita habuit, & cassa, & violatores Immunitatis Ecclesiasticæ Catholica communione ab Episcopo orbatos, tamquam tales ab omnibus Christifidelibus haberi mandavit. Et quoniam Monarchiæ Ministri audacioribus factis semper obsistebant, eosdemque Regios Ministros, Pontificiis licèt irretitos censuris, Sacramentorum participes fieri per vim, & nefas, nec sine Christifidelium horrore jusserunt; Hinc Pontifex novo suo Decreto nonnullos alios facinoris authores, ipsumque Monarchiæ assertum Judicem à fidelium similiter communione removit.

Expenduntur Tituli prætensæ Monarchiæ Siculæ.

Pontifex gesta ab Episcopo Liparensi confirmat.

Regiis Ministri præceptis Papæ inobsequentes.

Magna Europæ felicitate inita fuerat anno 1713. Ultrajectina pax cum Gallis, Hispanis, Lusitanis, Allobrogibus, Batavis, & Anglis. In concordiam tamen cum Borboniis Carolus Imperator eo anno non venerat; & tamen Allobrogum Dux Siciliæ Regnum à *Philippo V.* relictum possidendum acceperat. At vero licet ii, qui sub *Philippo Hispanico* tot novitates perpetraverant, conscientiæ stimulis abacti au-

Pax in Ultrajectinis comitiis sancita.

Sicilia Allobrogum Duci obvenit.

audacia facta detestati fuerint; quos inter adnumeratus fuit *Carolus Spinula* Marchio *de los Balbases* olim Pro-Rex, & *Franciscus Miranda* præcipuus intemperantis Monarchiæ Judex, aliique plures, qui errorem agnoscentes, precibus impetrarunt, ut Catholicæ Ecclesiæ restituerentur (*a*), non tamen sub novo Principe exorta dissidia componi potuerunt. Quinimmò ejus Ministri iisdem prorsus inhærentes vestigiis, in eos, qui Sanctæ Sedi obsequebantur, carcere, exilio, aliisque pænis animadverterant. Ex uno Sacerdotali Ordine extorres tresdecim supra quadringentos Romam concesserant (*b*), quos omnes eximia *Clemens* liberalitate excepit, & juvit. Episcopi Liparensis, Catinensis, & Agrigentinus pari exilio mulctati. In eadem Civitate Agrigenti populus ipse tantorum scelerum horrore perculsus, in Regios Magistratus seditionem concitavit non sine sanguine, & cæde.

Ejus Ministri dissidia fovent oborta.

Plures Episcopi exilio pul.

Nec temporis diuturnitate jurgia, & dissensiones siluerunt; nec etiam cunctando res est restituta. Atque ut brevi cuncta perstringam, quæ pluribus sequentibus annis & factis, & scriptis utrinque in vulgus editis, Christi fideles fatigarunt; satis sit commemorare, quod anno 1715. Pontifex hanc prætensam in Regno Siciliæ Apostolicam Legationem, & Monarchiam abolevit, ejusque Tribunal suppressit, ut constat ex ejus Constitutione, quæ incipit *Romanus Pontifex*. Quumque in dies mala ingravescerent, in Pontificatu tandem *Benedicti XIII.* restincta sunt. Is enim piissimus Pontifex non nihil remittens ex juribus Sanctæ Sedis, ut optatam in illo Regno tranquillitatem induceret, alteram anno 1728. edidit Constitutionem, qua lites, tenaci nimium animo sustentatas, penitus ademit (*c*). In hac porro Constitutione reservatis judicio Sanctæ Sedis causis majoribus, cæteras Causas Ecclesiasticas sub methodo ibidem præscripta in illa Insula agitari, ac perfici jubet. Judicem verò in Ecclesiastica dignitate constitutum, & à Siciliæ Regibus pro tempore eligendum, constituit cum amplissima facultate, ut in pluribus casibus sententias Ordinariorum in gradu appellationis cognoscat. Hæc origo, hic finis fuit tamdiu inveteratæ discordiæ.

Clemens Monarchiam Siciliæ abolet.

Et quoniam in annum verè calamitosum incidimus, ratio temporis postulat, ut historiam maximarum quæstionum tamdiu in Gallia disceptatarum, & quæ judicium Papæ efflagitarunt in celebri Constitutione *Unigenitus*, ordine referamus. Hoc tamen breviter, nec quantum rei gravitas pateretur, sed historice tantummodo exequemur, ut earumdem disceptationum ambages vitemus, quæ longa excrescerent in volumina; & quoniam hoc anno emersit ipsa Constitutio *Unigenitus*, omnia propterea exponemus, quæ illam præcesserunt, quæque illam consequuta sunt, ut uno

Historia Constitutionis Unigenitus.

Paschalis Quesnelli Origo, & motes.

obtutu intueamur, quæ diversis sparsa temporibus abruptam, molestamque narrationem efficerent.

Pascalis Quesnellius homo fervidi, & intemperantis ingenii, primum ex Diœcesi Parisiensi, deindè ex toto Galliarum Regno ejectus, & exul in Belgium confugerat; Ibi aliquandiu latuit vix paucis amicis notus. Inventus tandem, ac pravæ doctrinæ causa à Meklinienſi Archiepiscopo in carcerem conjectus, gregalium suorum opera effracto pariete in Batavos concessit. Hic priora amplificans studia *Petrum Coddæum* Archiepiscopum Sebastenum à Sancta Sede damnatum, & exauthoratum, defendere omni ope conatus est; & sparsis in vulgus libellis, commentitio tamen, & mutato nomine, Catholicis molestus erat. Præterito vertente sæculo prodierat Parisiis quidam ejus liber titulum præferens = *Le noveau Testament en Francois avec des reflexions morales &c.* = seu = *Abregè de la Morale de l' Evangile, des actes des Apostres, des Epistres de Saint Paul &c.* = Librum damnaverant nonnulli pietate, & doctrina prestantes viri, quos inter *Humbertus* Archiepiscopus Meklinienſis, qui in causa Quesnelliana plures in eodem Libro propositiones exhibuit *erroneas*, *Schismaticas*, *hæreticas*: Et Aptensis Episcopus Quesnellianum opus publico vulgato edicto tamquam impium proscripserat. Præterea in Italia, & in Hispaniis, in Lusitania, atque etiam in Belgio, uti exitiosus reprehendebatur liber, tametsi multi illum in Galliis commendarent, & tamquam utilissimum oscularentur. *Clemens* vero perspicuis edoctus argumentis de operis pernicie, ipse quoque die 10. Julii 1708. illud speciali Decreto damnavit = *tamquam vitiatum exhibens textum novi Testamenti, nec sine temerario ausu alteri versioni Gallicæ conforme, quam* Clemens IX. *Pontifex Maximus jampridem damnaverat.* =

Librum Quesnelli damnaverant primu multi Galliarum Episcopi.

Damnatur etiam à *Clemente* XI.

Liber à saniori Gallorum censura damnatus, multo magis damnabatur, postquam in eum Romana Sedes animadverterat; præsertim vero *Joannes* Lucionensium [a] Episcopus, *Stephanus* Rupellensium [b], & *Franciscus Bergerius* Vapincensium [c] pariter Antistites, Pastoralibus monitis Anonymi Librum prohibuerant, ut eamdem exhibentem doctrinam, quam in *Cornelio Jansenio* Iprensium Episcopo Sancta Sedes jamdudum damnaverat. Contra vero *Ludovicus* Cardinalis *Noaillius* Archiepiscopus Parisiensis, qui, dum Catalaunensium [d] esset Episcopus, jampridem Librum probaverat, ægerrimè tulit Episcoporum scripta Parisiis vulgata, ac si turpem sibi hæretici, & Jansenistæ maculam inferrent. Adversis igitur & ipse publicatis literis palam fecit Antistitum mandatum in Librum Anonymi, erroneum, maximequè esse vitandum.

a Luçon

b Rochelle.

c Gap in Delphinatus.

d Chalons

A Cardinali de Noailles approbatur.

(*a*) Vita Clemen. XI. Urbini edita anno 1727. lib. 4. pag. 276. (*b*) Ibidem pag 305., & 306.
(*c*) Hæc Bulla incipit - Fideli, ac prudenti dispensatori.

Hinc scissæ in utramque partem sententiæ.

dum. Scissi ergo in utramque partem Parisiensium animi crebræ, ac continuæ adstruebantur quæstiones, an verè liber noxius esset, an vero, ut aliis placebat, admirandus, & salubris.

Fatigabantur in dies magis Christifidelium aures ex hoc perpetuo dissidio in maximo Religionis negotio. Nedum Religiosi viri, & Christi servitio addicti; sed quilibet etiam de populo, ipsæ mulieres de abstrusis *Divinæ Gratiæ* mysteriis, de *Prædestinatione*, de *Libero arbitrio*, privatim, & publicè contendebant. Optimi Galliarum Episcopi, atque ipse Rex *Ludovicus*, ut tanto animarum detrimento occurrerent, Summum Pontificem exorarunt, ut Quesnellianum Librum perpetuis dignum tenebris, & aliàs generatim damnatum, clarius, iterumque damnaret. Et quoniam plerique temeritatem quidem in Libro agnoscebant, sed nonnullas in illo sparsas propositiones defendebant, ac si parvi essent errores, & ad quid minimum reduci posse viderentur, Idcirco omni ope à Pontifice impetrarunt, nedùm ut Librum proscriberet, sed ut peculiari censura noxias ex illo Propositiones excerperet, & singillatim detegeret, easque Apostolico Decreto interdiceret. Piis Galliarum Regis precibus, optimorumque Antistitum in id sedulo incumbentium obtestationibus, censuit Pontifex annuendum. Delecti censores ab omni prorsus partium studio alieni, frequentes habiti sunt congressus, pluriesque singuli in utramque partem referentes, & differentes auditi. Ad Judicium vocatus non fuit, ut *poscebat Quesnellius*, ne mos Ecclesiæ constans mutaretur, quæ ubi Libros, aut Doctrinas publicè evulgatas damnavit, auctores ipsos minimè in Judicium vocare consuevit. Vocasset eum certè, ubi noxa fuisset irroganda personæ. Post sedulam ergò, ferè biennio, actam excussionem, viginti tribus etiam institutis Cardinalium, aliorumque Theologorum consessibus, ipso semper adstante Pontifice, tandem hoc Anno 1713. sexto idus Septembris suam edidit Constitutionem, quæ incipit = *Unigenitus Dei Filius* = quam in toto Orbe Catholico servandam mandavit. In eaque centum, & unam Propositiones damnavit ex nominato Quesnelli libro.

Rex, & optimi Galliarum Episcopi à Papa effiagitant, ut clarius Librum condemnet.

Quare ad Judicium vocatus non fuit Quesnellius, ut se defenderet.

Pontifex Apostolica Constitutione Librum condemnat.

Missam à Pontifice in Gallias constitutionem *Ludovicus* Rex Parisiis promulgari jussit, omnibusque obsequii, & reverentiæ argumentis Galliarum Clerus evulgatam complexus est. Ipsemet Cardinalis de *Noailles*, ubi primum certior factus est, de promulgando adversus *Quesnellum* Pontificio diplomate, datis ad Episcopum Aginnensem [a] Literis, promiserat se eamdem Constitutionem, & Apostolica Decreta, omni cum veneratione excepturum. Ubi vero universa Galliæ indicta sunt comitia, ut ab Ecclesia Gallicana Constitutio solemniter exciperetur; offuciis niti cœpit, ancipiti sermone loqui, & auspicandis, conficiendisque comitiis moras nectere.

[a] Agens.

Quum eamdem Constitutionem evertere non posset, illam eludere tentavit, *dicendo*, quod peti possent à Sancta Sede aliquæ damnatarum Propositionum expositiones. Incassum tamen, quia qua debuit reverentia, & nulla adjecta conditione à Comitiis Gallicanæ Ecclesiæ excepta est Constitutio, cautumque fuit, ut celeri exequtioni mandaretur.

Excipitur à Rege, & ab Universo Clero Gallicano.

Promulgatâ in toto Regno Constitutione, quam quadraginta numero Archiepiscopi, & Episcopi, in anteactis Comitiis probaverant, septem dumtaxat Episcopi dubietati, & suspicionibus adhæserunt Cardinalis de *Noailles*, centum vero, & ultra in toto Regno eamdem Constitutionem amplexi sunt. At vero Archiepiscopus Turonensis [a] *Matthæus* de *Herveau* omnium primus publici, & aperti dissidii signum extulit. Vix enim suæ restitutus Diæcesi edictum promulgavit, quo palam fiebat = *veneratione quidem dignam esse Apostolicam Constitutionem, sed non esse excipiendam, antequam petitæ damnatarum propositionum expositiones ab Apostolica Sede exhiberentur* = Simile paulo post mandatum evulgavit Cardinalis de Noailles. Idemque prorsus præstiterunt illi pauci Episcopi, qui diffidentibus accesserant. Merito idcirco eorum mandata offensioni fuerunt Summo Pontifici, à quo damnata, & censuris sunt perstricta.

[a] Tours

Archiepiscopus Turonensis Constitutionem impugnat.

Nec tamen Cardinalis Archiepiscopi Parisiensis, nec aliorum paucorum Antistitum illi adhærentium recusatio efficere potuit, quin obsequium, & reverentia Gallici Regni erga Apostolicam Constitutionem in dies magis augeretur. Sorbonæ Academia minimè istis difficultatibus deterrita, turbis sedatis, quas Jansenii, & Quesnelli Sectatores exciverant, anno 1714. Constitutionem excepit, & retulit in Regesta, mandavitque universis, ut debitâ illam prosequentes obedientiâ, nemo aut voce, aut scriptis auderet impetere. Id ipsum sancivit supremus Parisiensis Senatus, quem *Parlamentum* dicunt. Et tamen non deerant aliqui turbulenti, & pervicaces, qui mordacibus in vulgus editis scriptis, *Quesnelli* Librum perditissimè propugnabant; sed longius in dies progressa licentia, corruptas Quesnellianorum voluntates & fraudes detexit. Quippè ut de vanis hæreticorum ausis proficeret Ecclesia Dei, tot brevi tempore emerserunt egregia volumina optimorum scriptorum, Italorum, Hispanorum, Germanorum, ac ferè totius Orbis Catholici, ut veritas, quam asserit eadem Constitutio *Unigenitus* in aperto posita sit, & pravitas damnatarum *Quesnellii* Propositionum perspicuis Sanctorum Patrum testimoniis, & Ecclesiasticæ Disciplinæ monumentis demonstrata. Ad hoc miserum redacta est diffugium Quesnellianorum loquacitas, ut qui inter eos fatalia ejus scripta usque in hunc diem defendere conatur, non valens amplius negare veros damnatarum Propositionum errores, hoc solum dicat, quod illæ propositiones falsæ quidem erant, & dam-

Sorbonica Academia excipit Constitutionem.

Item, & Senatus Parisiensis

Constitutio plausu excipitur.

nan-

Argumentum Jansenistarum probat veritatem Constitutionis Unigenitus.

nandæ juxta primam Quesnelliani Operis editionem, non autem juxta posteriores editiones correctas, seu fuco illinitas jussu Cardinalis de Noailles (a). Sed quid est hoc nisi palam fateri veram damnatarum Propositionum improbitatem? Eas damnavit *Clemens XI.*, prout jacebant in editione an. 1693., & 1694. Et hæc erant genuinæ *Quesnellii* Propositiones, non vero illæ, quæ ex ore Cardinalis de *Noailles*, vel ex ejus correctione de novo efferebantur. Quare si Jansenistæ fatentur Propositiones sic impressas ritè damnatas esse, nihil ad quæstionem pertinet, si juxta alias (cæterum suspectas) editiones, damnari non potuissent, propter illita ad obtegendos errores medicamenta.

Poterat *Clemens XI.*, si suasionibus annuisset Galliarum Regis, sibi inobsequentes compescere, eorumque voces perpetuo, felicique silentio obruere. Decreverat enim Rex exilio, & gravioribus pænis diffidentes mulctare, ac delere; sed Regis iram mollivit Pontifex, ejusque decreta opposita mansuetudine temperavit. Nec enim decet in maximo Religionis negotio, vim adhibere; sed animos flectere opus est, & objecta veritatis imagine errores depellere. Nonnullos tamen eorum, qui Pontificiæ Constitutioni obluctabantur, *Ludovicus* Rex extorres egit, alios aliis pænis coercuit. De animadvertendo quoque in Cardinalem de *Noailles*, aliosque obnitentes Episcopos constituerat. Eumdem Cardinalem de *Noailles* morti proximus a suo conspectu repulit. Plurima cum Romano Pontifice egit consilia de ineunda ratione restituendæ Gallicanæ Ecclesiæ tranquillitatis, & de exscindendis dissidiis, quæ eam miserè lacerabant. Hæc omnia apud Pontificem agebantur curâ Marchionis de *Amelot*, à Christianissimo Rege Romam allegati. Sed quo tempore hæc omnia pertractantur; & de indicendo, habendoque, quatenus opus esset, Gallicæ nationis Concilio, cui Apostolicus præsideret Legatus, intempestiva Regis mors inchoata abrupit negotia.

Ludovicus Rex inobsequentes plectit.

Marchio de Amelot Romam allegatus à Rege Christianissimo

Obiit invictus Rex Kalendis Septembris anni 1715. *Philippus* Aurelianensium Dux, qui Regni Rector evaserat, non idem fovebat studium alendæ Catholicæ tranquillitatis. Brevi mutata penitus fuit rerum facies. Qui exilio mulctati fuerant, tamquam innocentes revocantur. Cardinalis de *Noailles* Quesnello blandientium longè primus; Regio, ac sanctiori *conscientiæ* consilio præficitur. Universitatis Parisiensis Doctores Pontificiæ Constitutioni obsequentes vexantur, impetuntur. Decretum, quo Constitutio *Unigenitus* ab Academia Sorbonica suscepta erat, revocatur, & per immane dedecus eradendum pronunciatur. Cardinalis de *Noailles* fretus patrocinio Philippi Ducis Aurelianensis, memoratæ Pontificiæ sanctioni infensior in dies

Moritur Ludovicus XIV.

Sub minori Regis ætate hæresis proficit.

Constitutio Unigenitus rejicitur ab Academia Sorbonica

Cardinalis de Noailles provocat ad futurum Concilium.

A evasit. Ad futurum Concilium provocavit. Quatuor in tota Gallia Episcopi id ipsum præstiterant. Cæteri horrore perculsi, constanti magis animo eidem Constitutioni adhærebant. Et ne sera posteritas resciret hanc Galliæ pervicaciam, & inobedientiam Romano Pontifici in rebus Fidei, summa opè nixi sunt, ut verbo, & scriptis ingrata inobsequentium Coepiscoporum monumenta obruerent. Ipsi tamen inobsequentes Episcopi, ipsisque faventes Janseniani, Romanæ Ecclesiæ, & Summi Pontificis Decretis acrius insultabant. Vulgabant præterea opellas, actorum Ephemerides, nuncias Epistolas, calumniis, erroribus, putidisque mendaciis refertas, ut Apostolicam Sedem & Orthodoxam Fidem impeterent. Hujusmodi solent operibus hæreticorum Typographorum fervere præla; Et hæc eadem est, quæ nostrum etiam tenet sæculum, Religionis, & honestatis negligentia.

Et cum eo quatuor alii Episcopi.

Libelli sparguntur in Sanctam Sedem injuriosi.

Clemens quum frustra Academiam Sorbonicam ad sanam mentem advocasset, omnia illi jura, honores, & privilegia à Summis Pontificibus concessa ademit, donec aliter Sanctæ Sedi videretur. Damnavit etiam Provocationem ad futurum Concilium à Cardinali de Noailles, ejusque asseclis interpositam. Injurios Libellos, Decreto Quæsitorum Fidei, Romæ in Platea Sanctæ Mariæ Super Minervam per summam ignominiam publicus Carnifex combussit. Philippus Dux Aurelianensium, ne res ad ultimum adduceretur discrimen, anno 1717. Regis nomine edictum evulgavit, quo utrinque diffidentibus silentium indixit. Sic ille vulneribus medelam afferre posse putabat; sed perperam; nam *Clemens* datis ad Ducem Literis, edictum quam maximè improbavit. Ajebat enim = *Quod specioso restituendæ Regno tranquillitatis obtentu, discordiam ipsam fovebat, & à Sacrorum Canonum institutis, & à majorum exemplis aberrabat. Mali cum bonis, obedientes cum obluctantibus injustè miscebantur. Errori impunitas dabatur; veritati silentium indicebatur. Silentium profectò aberrantibus, & pervicacibus imponi debuisse: At non intercludenda libertas erat prædicandæ veritatis* =

Clemens revocat privilegia Academiæ Sorbonicæ

Damnat provocationem ad futurum Concilium

Edictum Regis in Galliis imponit silentium utrique parti.

Clemens improbat edictum.

Interea *Clemens* nulli deerat officio, ut aberrantes, & præcipuè Cardinalem de *Noailles*, in viam redire flecteret. Exeunte mense Martio anni 1718. gravissimam illi propria manu epistolam scripsit, atque omnia adhibuit caritatis, & paternæ sollicitudinis argumenta, ut debitam Apostolicæ Constitutioni obedientiam suaderet. Et tamen ille magis pertinacem animum obdurabat. Re igitur desperata, quum ab aliis piissimis Episcopis ex Galliis, & ex Belgio, & Batavis Summus Pontifex certior factus esset, quod ex Romanæ Ecclesiæ silentio mala ingravescebant; ne suo deesset muneri, acrioribus uti tandem re-

Clemens suis Epistolis Cardinalem de Noailles ad sanam mentem, & concordiam invitat.

Sed frustra.

Promulgat aliam Constitutionem, quæ incipit - Pastoralis Officii.

(a) Hoc etiam hodie argumento utuntur Jansenistæ, nempè - Liber cui titulus - Histoire des Papes &c. à la Haje 1732. Tom. 5. pag. 431. vers. 35. - Anecdotes sur la Constitution Tom. 1. pag. 70.

remediis constituit. Quinto Kalendas Septembris ejusdem anni 1718. Pontificium edidit Diploma cujus exordium = *Pastoralis Officii* =, quo universis per Orbem sparsis Christifidelibus denunciavit, eos omnes, qui famigeratæ Constitutioni *Unigenitus* obedientiam exhibere recusaverant, etiamsi Episcopali, vel Cardinalitia dignitate fulgerent, eos se uti filios Romanæ Ecclesiæ non agnoscere, sed ut contumaces, & refractarios reputare. Illos proindè à se, & à Sancta Romana Ecclesia segregatos declaravit, nullamque cum illis communionem Ecclesiasticam (donec resipiscerent) existere posse significavit.

Ex qua inobedientes a Communione S. Sedis segregat.

Dux Aurelianensium Concilia pacis init.

Deterriti non parum ex Pontificia constantia inobsequentes Galliarum Episcopi, atque ipse Aurelianensium Dux, consilia pacis inibant. Nunciabant Pontifici, quod si super eadem Constitutione *Unigenitus* aliquæ adjicerentur explicationes, tunc certè ab omnibus in Regno, & pacificè exciperetur; sed & has petitas expositiones constantissimè Pontifex rejecit; intelligebat enim, & palam profitebatur, quod altercandi occasio ex iis potiùs augeretur; quod tricæ non ex Pontificio Decreto, sed ex dissidentium artibus, & ex eorum inscitia oriebantur. Cæteri Galliarum Antistites ferè universi, qui eidem Constitutioni adhærebant, ultro se obtulerunt, ut auditis dissidentium difficultatibus, ipsi explicationes ederent, ex quibus facilè patere posset perniciosi Libri, & extractarum ex eo centum, & unius Propositionum æquissima censura. Id porrò præfati Episcopi sapientissimè præstiterunt; atque ipsa Constitutio *Unigenitus*, quæ in toto ferè Catholico Orbe excepta fuerat, & ab Episcopis aliarum Nationum, à clarioribus Universitatibus egregiis scriptis defensa extiterat, vindicata etiam fuit horum excellentium Antistitum pietate, ac doctrina. Eorum quidem zelum Pontifex commendavit, sed facto assensum suum non præbuit, ne videretur Apostolica Sedes in iis, quæ ex Cathedra decernit, ullius explicatione, auxilio, aut interpretatione indigere.

Petit à Pontifice explicationes Bullæ.

Sed rejicitur.

Optimi Galliarum Episcopi easdem explicationes parant.

Sine tamen speciali approbatione Papæ.

Exindè tamen diu quæsita pax emersit, maxima cum dignitate Sanctæ Sedis. Quippe idem Dux Aurelianensium præteritis edoctus malis, omni officii, & instantiæ genere Cardinalem de *Noailles* adegit, ut Pontificiam amplecteretur Constitutionem. Quod præstitit quidem, sed parens necessitati, nec levia ambiguitatis argumenta relinquens. Deindè vero publico Regis edicto cautum fuit die 4. Augusti anni 1720., qnod in toto Galliarum Regno eadem Constitutio exciperetur, & fidissimæ daretur exequutioni, vetitâ quacumque provocatione ad futurum Concilium. Provocationes verò à paucis illis dissidentibus Episcopis hactenus interpositæ, irritæ censeantur ac nullæ. Odiosa *Novatorum* vel *Jansenianorum* nomina, ne deinceps usurpentur, prohibet; & ne quid facto, aut scripto contra eamdem Constitutionem evulgetur, aut quispiam moliatur, vetat.

Edicto Regis iterum excipitur Apostolica Constitutio.

Et provocationes ad futurum Concilium annullantur.

Hic processus, hic finis fuit hujus acerrimæ dimicationis, quæ tamdiu Romanum exagitavit Pontificem. Veridica hujus brevis narrationis facta, nedum Catholici, sed etiam Janseniani, aliique dissidentes comprobant (a) Dein cæteri profecto Pontifices, licet sæpius tentati, nihil de novo addiderunt in hac molesta conflictatione, quæ multiplici etiam Christianissimi Regis imperio frænata est ad honorem Sedis Apostolicæ, & ad Catholicæ Religionis incrementum. Ad nihilum vero redacta est post mortem Cardinalis *de Noailles*, qui obiit in sinu Catholicæ Ecclesiæ veniam à Romano Pontifice efflagitans, eamdemque Constitutionem purè, & simpliciter excipiens, prout publico ejus Pastorali mandato palam fecit. Sic Regia pietate cum Pontificia authoritate conspirante; ab omni in præsens, non solum metu, sed penè etiam metus suspicione Romana Ecclesia conquiescit.

Sub insequentibus Pontificibus prorsus extincta est controversia.

Cardinalis de Noailles moriens ad unum contagit Matris Ecclesiæ.

Tanto dilatandæ Religionis Clemens fervebat zelo, ut nullo deterritus impedimento, ad omnes Catholici Orbis partes ejus Pastorales curas intenderet. Anno 1713. inita fuerat, ut supra memoravimus, Ultrajectina pax. Ex ea magnorum Principum Legati inexhaustis laboribus Gallos, Hispanos, Lusitanos, Anglos, Batavos, & Prussos tamdiù inter se dissidentes feliciter conciliaverant. Ne quid verò Catholica Fides detrimenti caperet ex hæreticorum conatibus, *Dominicum Passioneum* ingenio, & eruditione præstantem, eò Pontifex allegavit. Eumque Romam reversum rursus sequenti anno 1714. ad Comitia Badæ in Ergovia misit, in quibus *Caroli* Imperatoris, & *Ludovici* Gallorum Regis toties incassum quæsita concordia, tandem firmata fuit. Clementis studia, & egregii *Passionei* labores non parva Catholicæ Reipublicæ compendia attulerunt. Septentrionales quoque Missiones amplificandas curavit; nova Sacrorum Ministrorum præsidia contulit, iisque alendis non exiguam pecuniæ vim adjecit, ut veritas Evangelica in sua puritate annunciaretur. Pio huic operi *Carolus* etiam Imperator consulens, Pontificis flexus precibus, & suasionibus, majora contulit emolumenta. Sic Pontificia, & Cæsarea liberalitate Hamburgi, Haltenæ, Hafniæ, & Volfembutelæ, quondam stantes, ornatæque Ecclesiæ, tunc vero labentes, & ruinosæ reparatæ sunt. Fundi etiam fructiferi adjecti, quorum annuo proventu, pii illi Sacerdotes viverent, sacroque Ministerio sedulo incumberent.

Allegat Dominicum Passioneum ad Comitia Ultraj. & ad Rhenum.

In Germania aliisque regionibus Septentrionalibus Missionarios allegat.

Ecclesias reparat.

Alexandrinum Patriarcham *Samuelem Capa-*

(a) Inter Catholicos Vid. Vit. Clem. XI. edit. Urbini anni 1717. pag. 282., 284., 286., 287., 288., 317., & seq., & alibi passim. Idem Bullas ejusdem Pontificis, & ipsius Epist., & Brevia. Hist. de la Constitution de l' *Afiteau*. Inter Jansenianos vid. *Histoir* de Papes edit. a la Haje 1734. in Vita Clem. XI. ead. Germaniæ edita Tom. III. *Cathechisme* Hist., & Dogmat. par. 2. *Histoir.* de la Constitution. §.44.

pasulem, qui ejurato Schismate ad Catholicam communionem convolaverat, hoc eodem anno 1713. libentissimè *Clemens* excepit. Opus quidem hoc fuit maximè commendandum *Fratris Laurentii à S. Laurentio* ex ordine Minorum, quos Observantes dicunt. Is enim quum custos esset Hierosolymæ Sacri Templi, & Cœnobii Dominici sepulcri, omni rationum vi *Samuelem* perpulit, ut Schismatis errores agnosceret, & Orthodoxam fidem amplecteretur. Ipse *Samuel* Patriarcha *Joannem Mazet* ex eodem Ordine Minorum Observantium Romam transmisit, ut ejus nomine obedientiam Romano Pontifici, tamquam supremo Catholicæ Ecclesiæ Capiti exhiberet, erroris veniam impetraret, & Patriarchalis dignitatis confirmationem cum Pallii, aliisque honoris insignibus exoraret. Id totum gestum fuit frequenti in Consistorio, maximaque solemnitate.

Patriarcha Alexandrinus ad Catholicam cõmunione convolat.

Ejus Legatum libenter excipit Clemens.

Tantis exagitatus curis amplificandæ Religionis, & tuendæ Pontificiæ dignitatis, nulli tamen deerat officio comitatis, & benevolentiæ, quo Catholicos Principes prosequeretur. Cum *Elisabetha Farnesia Odoardi* Parmensium Ducis Filia *Philippus* Hispaniarum Rex, post mortem primæ Uxoris, nova anno 1714. Sponsalia contraxerat. *Ulyssem* igitur Cardinalem *Gozzadinium* de Latere Legatum dixit, ut novam Reginam ejus nomine salutaret, ipsique Res sacras, & Ecclesiasticam in Hispaniis immunitatem commendaret. Rosa aurea, cereoque Agno Paschalibus diebus consecrato, aliisque piis donis eamdem Reginam auxit. *Joanni* quoque Lusitanorum Regi haud exigua paterni amoris specimina exhibuit. Nato enim Brasiliæ Principi, ut fascias offerret, *Josephum Firraum* Nuncium extra ordinem allegavit.

Philippus V. nova contrahit sponsalia cum Elisabetha Farnesia.

Reginæ mittitur Cardinalis Ulysses Gozzadinus de Latere Legatus. Nuncium extraordinarium, ad Lusitanos mittit Josephum Firraum.

Nova interea Christianæ Reipublicæ parabantur discrimina, novæque exindè sollicitudines Pontificem urgebant. *Achmetes* enim Turcarum Imperator pacis à Fratre *Mustapha* cum Christianis Principibus jampridem sancitæ pertæsus, magna volvebat animo, cædesque, & incendia cogitabat. Tantas ex Europa, Asia, & Africa, terra, marique copias paraverat, ut vel solo numero terrorem injiceret. Ubique Clemens aderat ope, & consilio, ut Christianos Principes adjuvaret, eosque in sacrum fædus adduceret. Ad unius Caminiexsianæ Arcis paranda munimenta, decem aureorum millia donavit. Pari beneficentia Venetæ opitulatus est Reipublicæ. Cæsarem vero, & Poloniæ Regem adhortabatur, ut sacrum fædus jam antea percussum, strictius in Turcas sancirent; sed immanissimus hostis, Christianorum consultationes prævertens, Venetam Rem publicam repentè adortus est. *Teno* capta Insula in Mari Ægæo præcipiti irruptione Peloponnesus undecumque invaditur. Unius circiter mensis spatio Imperio Turcarum hoc Regnum adjectum est, amplitudine, atque ubertate soli conspicuum, & quod Veneti non sine magno plurium annorum sumptu, & labore præteritis bellis acquisierant. Præterea paucas, quas in Cretensi Regno Veneti Civitates possidebant, eas tamen munitissimas, *Amphymaliam* nempè, & *Chersonesum*, hostes interceperunt. *Clemens* tot mala, ut averteret, quæ infelici exitu Europam hoc anno vexarunt, larga è sacris redditibus nummorum præsidia Venetis contulit: Pontificias triremes, aliasque tumultuario studio comparatas, bellicas naves instruxit. Deindè exemplo, & precibus Christianos Principes commovit ad opem eidem Reipublicæ ferendam.

Bellum Turcicum

Auxilia Christianis Principibus à Pontifice collata.

Turcæ Peloponnesum occupant.

Et varias Cretici Regni Civitates.

Tantis agitatum curis *Clementis* animum, nil minus res synicæ, & turbatus in illo vastissimo Imperio Religionis status occupabant. Edicta Apostolicæ Sedis adversus Synenses Ritus strenuè quidem, & usque ad mortem promulgata à Cardinali de *Tournon*, eludebantur, & Sacris Catholicæ Fidei Ministeriis per vim per fraudem Idololatria miserè admiscebatur. Ut igitur noxia Religioni dissidia extingueret; & credentium fidem ad unitatem redigeret suam edidit Constitutionem, quæ incipit = *Ex illa die* = qua omnibus etiam Archiepiscopis, & Episcopis præcipit, ut responsa Apostolicæ Sedis adversus eosdem Synenses ritus ante decennium sancita, omnimodè, atque inviolatè observarent. Qui secus agerent Episcopi à Pontificalium muniorum exercitio, & ab ingressu Ecclesiæ submoti essent. Hac eadem pœna irretitos pronunciavit eos verbi Dei præcones, qui non ante jurejurando pollicerentur, hanc ipsam Constitutionem exequuturos. Bina hujus Constitutionis exempla ad *Joannem* Lusitaniæ Regem Pontifex misit, enixè rogans, ut suis in illis Regionibus Administris, præsertim vero Goæ, & Macai versantibus, imperaret, ut exequutioni mandatorum Apostolicorum faverent.

Synenses Ritus iterum damnatur.

Et adversantes Apostolico Decreto gravibus pœnis cohercet.

Decretum hoc transmittit etiã Joanni Lusitaniæ Regi.

Infelix etiam hic annus fuit morte Invictissimi Galliarum Regis Ludovici XIV., quo erepto spes iterum Jansenianis affulsit, ut majori licentia Ecclesiam Dei divexarent.

Mors Ludov. XIV.

Novis revera, ut innuimus, conatibus Galliam turbarunt, & quæsitis asseclis in Anglia, & apud Batavos toto *Clementis XI.* Pontificatu pervicaciter dimicarunt. Altera *Clementi XI.* ex obitu *Ludovici XIV.* calamitas obtigit. Quam enim Christianissimus Rex diu paraverat classicam expeditionem, ut *Jacobum III.* Magnæ Britanniæ Regem ad Avita Regna reduceret, maturare non potuit. Eum Britannici Regni verum hæredem jamdiu palam agnoverat. Illi præterea anno 1708. instructissimam classem adiunxerat, & in Scotiam navigare jusserat, quo idem Princeps a nobilibus indigenis accersebatur ad Regnum. Sed quum morbus solventem ex portu Regem subito oppressisset, omnem Belli apparatum, & maximam proborum hominum spem interceperat. Numquam tamen *Ludovicus* magnus a pro-

Jacobus III agnitus hæres Magnæ Britanniæ

In Scotiam cum classe petiturus morbo corripitur.

a promovenda *Jacobi III.* fortuna animum abjecerat; Sed morte præreptus, magnanima consilia infecta reliquit. Externis igitur destitutus auxiliis *Jacobus* Rex, non tamen animo concidit, nec ab ingenita sua virtute descivit. Iidem Scotici Regni Magnates, qui contra leges patrias multifariam opprimebantur ab Anglis, ad avitum capessendum Imperium eum è Galliis evocarunt. Ille hoc anno 1715. Octobri Mense, parvo stipatus agmine, trajectusque navicula, in Scotiam appulit ignotus hosti. Secretis *Jacobi* Literis, & Mariæ Reginæ ejus Matris de Arcano *Clemens* admonitus fuit. Publicis, privatisque ad Deum precibus conantem adjuvit; Grandem etiam nummorum vim contulit. *Philippo* Hispaniarum Regi excelso *Jacobi* fautori potestatem fecit, ut in militares comparandas suppetias grandem illam auri summam converteret, quam multorum annorum spatio ex redditibus diu vacantium Episcopatuum, & Beneficiorum inter nota dissidia contraxerat. Dum hæc parabantur per maximam imprudentiam Scotiæ Primores sine ulla cunctatione belli aleam experti sunt! Et moræ impatientes, quo tempore in Regno, & alibi validæ adstruebantur opes, inopportunè pugnam commiserunt. Triplici instructo exercitu feliciter primum congressi sunt per montium juga. Sed nimia acti festinatione, ubi in apertum prosilivere, atque in casum universæ dimicationis venere, brevi fracti sunt, ac profligati. *Jacobus* interea Rex maximis terra, marique perfunctus periculis in Galliam remeavit, tutum *Duci Hannoveriano* relinquens imperium.

In Scotia tamen peregit à Primoribus Regni vocatus.

Nullo successu in Galliam redit.

Turcæ interea felicibus elati successibus, majora anno 1716. moliebantur. *Corcyræ* Insulam valida obsidione cinxerant. Et ut hoc potirentur Italiæ propugnaculo, quadraginta peditum, equitumque millia, in terram exposuerant, & fortissimam classem Urbi objecerant. Veneti contra decenti præsidio locum firmaverant, atque arces munierant; aucto ulterius navium numero, instructissimam classem paraverant. Hanc *Clemens* auxerat duabus triremibus, & quatuor majoribus bellicis navibus. Alias quinque Pontificia mercede conductas Equitibus Hyerosolimitanis commendavit, earumque regimen viris strenuis ex eodem ordine demandavit. Ad has naves conducendas, alendasque æs alienum tercentorum millium aureorum contrahi jussit ex annuis redditibus Vaticanæ Fabricæ dissolvendum. Hispaniarum Rex quinque Triremes, & sex majores naves; Lusitaniæ item Rex sex majores naves immiserant. *Raymundus de Perillos* magnus Ordinis Hierosolymitani Magister suam adjecerat classem. *Cosmus* quoque Magnus Etruriæ Dux quatuor Triremes, & duas Genuensis Respublica obtulerant. Hæc omnia *Clementis* studio, & Christianorum Principum zelo parata hosti terrorem injecerant. A maritima Corcyræ oppugnatione Barbari abstinuerant, navalem declinantes pu-

Corcyra à Turcis obsessa.

Auxilia Venetis data a Pontifice, aliisque Christianis Principibus.

A gnam, quam nostri appetebant. Timidi, ac circumspecti sibi ipsis cavebant, & solum navigia Venetis suppetias adferentes deturbabant. Terrestri tamen obsidione urbem crudelissime vexabant. Non semel impressione facta, ac belli impetu inter suorum cædem, ac sanguinem valida loci propugnacula, ac munimenta cœperant; sed invicta defensorum virtute rejecti, latiori accepta clade, parta relinquere sunt coacti. Sic pluries pugnatum est, donec nostrorum alacritate, & militari B peritia Ducis *Sculemburgii* Supremi in Arce moderatoris sæpius attriti, ac retusi, Urbem metu, atque obsidione solverunt.

Corcyra ab obsidione soluta.

Majus tamen Christianæ Reipublicæ emolumentum obveniebat ex fœdere, quod adversus Turcas *Carolus* Cæsar cum Venetis instauraverat. Omni abrupta mora lectissimo exercitu hostem in Pannonia minitantem prævenerat. Eugenius ex Allobrogum Principibus Austriaci ductor exercitus die 4. Augusti ingenti prælio Turcas in Hungaria vicerat non procul C à Petrovaradino, & usque ad internecionem profligaverat. Captis ad extremum Castris ipsis, & Ducum tentoriis, ærario cunctoque bellico apparatu, & centum octoginta Bellicis tormentis, totidemque vexillis, insignem Cæsari nunciavit triumphum. Rerum feliciter hoc anno gestarum citatis equis Nuncii ad *Clementem* pervenerant. Publicas idcirco preces pro gratiarum actione in Basilica Liberiana Pontifex indixit. Partam in Pannonia victoriam Cæsarei Milites prosecuturi post col- D lecta hostium spolia recta Temesvariam petunt, ut Urbem munitissimam oppugnarent. Et licet in tertium usque mensem obsidio protracta fuerit, tamen oppidum una cum Arce in deditionem receptum est. Plura etiam minoris ordinis oppida expugnata sunt. Invicta vero *Eugenii* Principis virtus laudibus maximoque honore à *Clemente XI.* cumulata est. Galeam, & ensem solemni auctum benedictione dono illi misit, ut Romani Pontifices consueverunt erga Duces egregios, & Christianæ E Reipublicæ Defensores.

Cæsar fœdus instaurat cum Venetis adversus Turcas.

Dux Eugenius è Sabaudia Supremus Belli Dux.

Insignem de Turcis Victoriam refert.

Et Temesvaria potitur.

Pontifex Galeam, & ensem illi immittit.

Interea Pontifex surarum ulcere, & consueta spirandi difficultate laboravit hoc anno. Ubi vero paulisper remissa fuit morbi vis, die 7. Maii *Joannem Franciscum Regis* è Societate Jesu inter Beatos adscripsit. Præclara item merita recolens Lusitani Regis, & valida subsidia adversus Turcas conlata, enixis annuit ejus precibus pro Regalis Sacelli honore amplificando. Hanc Cappellam Divo Thomæ Apostolo sacram, atque in Regio sitam F Palatio præstanti Dignitatum, & Canonicorum numero insignitam novam Metropolim constituit. Ita Ulyssipone divisa Urbe, pars Orientem spectans veteri Archiepiscopatui Ulysiponensi reliquit; Pars vero, quæ ad occidentem vergit, novæ Metropoli adscripsit. Fines utriusque Diœcesis distinxit; atque utrique suos constituit Episcopos suffraganeos. Occidentalem Ulysiponensem Metropolitam

Pontifex morbo corripitur.

Convalescit.

Joannem Franciscum Regis inter Beatos adscribit.

Urbem Ulyssiponæ in duas Diœceses distinguit. Ecclesiam S. Thomæ in Metropolitanam erigit.

Præ-

Ejusque Archiepiscopum Patriarcã dicit.

Præfectura Regiæ Cappellæ, ac Jurisdictione in Universos Clericos, aliosque Ministros potiri jussit. Præterea sæpiùs instante Rege, eumdem Archiepiscopum Patriarcham dixit adinstar Veneti. Omnia illi contulit privilegia, & honoris prærogativas, quibus idem Venetiarum Patriarcha vel jure, vel consuetudine gaudet. Usum quoque purpureæ vestis indulsit, quo Archiepiscopi Salisburgenses utuntur, & plura alia attribuit effusissima liberalitate decoris ornamenta, & Jurisdictionis insignia. Ampliora Rex petebat, sed adduci numquam potuit Pontifex, ut novo Præsuli majora decerneret, ne Nuncii Apostolici læderetur authoritas, aut Ecclesiæ Hierarchia turbaretur.

Auxilia rursus Venetis data a Christianis Principibus.

Pro relatis hisce muneribus Lusitanus Rex vices cumulatè rependit sequenti anno 1717., majorique fervens zelo juvandæ Christianæ Reipublicæ, ad augendam Venetorum classem undecim maximas naves subsidiarias misit. Easdem Magnus Etruriæ Dux, & Ordinis Hierosolymitani Magister, quas instruxerant anno præterito, suppeditarunt. Eadem quoque auxilia *Clemens* obtulit, sed majore lectorum militum numero. Pluries in mari Egæo dimicatum est magna Venetorum contentione.

Pluties Veneti pugnant in Mari Ægeo.

Hi ferè totum belli pondus substinuerunt, & scientia, & virtute militari, Barbaris præstitere. Plenissimam retulissent victoriam, si opportunè fuissent auxiliaria classe suffulti; nunquam propterea in universi certaminis discrimen ventum est.

Bellici in Hispania apparatus.

Grandia quoque subsidia Hispanus Rex pollicebatur, nuntiabatque adfutura. Sexdecim naves à Gadibus in Orientem solverant; novas præterea copias, novosque pedites, equitesque evocaverat. Tantus belli apparatus, plerisque admirationem injecerat. Ipse *Clemens XI.* in maximam suspicionem venerat, ne Catholicus Rex Cæsari nondum pacificatus insueti quidpiam moliretur; profectò molestum nimis fuisset Christianæ Reipublicæ, si quid hoc tempore pertentasset. Etenim Eugenius Princeps acrius adversus Turcas in Pannonia expeditionem urgebat.

Princeps Eugenius Taurunũ obsidet.

Taurunum obsidione cinxerat; neve obsidio protraheretur, extremam belli aleam tentare decreverat. Christianus Exercitus ab immani hostium numero penè circumfluebatur, ut obsessus magis, quam obsessor videretur. Proxima montium juga Barbari occupaverant, omnibusque interclusis itineribus, nihil inferri, aut afferri sinebant. Princeps Eugenius Barbarorum consilia, minasque antevertit. Copias è vallo tacitus educit; hostesque intra fossas, & aggeres tuto agentes repentè aggreditur.

Pugna propè Taurunum.

Peculiari Dei Beneficio inter æstivos calores die 16. Augusti, densa nebula oborta est; amnesque, & imæ valles adeo caligaverant, ut Austriaci silenti agmine incederent obtecti. *Eugenius* Barbaros improvisus adoritur. Animo primum dejecti hostes, deindè solita obsistunt audacia, & pugnam restituunt.

Et Cæsareorum victoria.

At Cæsareorum virtute, & constantia tandem fracti, ac retusi prælium, & Castra deserunt. Turcarum fere triginta millia cæsa sunt. Ingens captivorum numerus, ærarium, Vexilla plurima, & supra centum quadraginta bellica tormenta Nostris diripienda relicta sunt. Urbs ipsa consternata suorum cæde, quum nulla proximi auxilii spe teneretur, postridiè victoris exorata fide in deditionem recepta est.

Hispanus Rex Sardiniam invadit.

Sed hic quoque annus detexit, quo spectabant bellica Hispani Regis consilia, & tanta rerum molimina. Obtentu enim ulciscendæ injuriæ, quam à Cæsareis Ministris in Civitate Mediolani sibi illatam *Philippus V.* asserebat, quum *Josephum Molines* jam XII. Virum Rotæ Romanæ, & mox Hispaniarum Quæsitorem fidei generalem renunciatum, & Hispanias petentem, in itinere compræhenderant, captumque retinuerant; naves, pedites, equitesque, omnem denique militarem apparatum quamcitissimè cogit. Exercitum, & Belli robora, quæ in Turcas, Maurosque evertendos spoponderat, in Sardiniam vertit. Imparatus Cæsar, & Bello distractus Turcico, credulitatem accusavit Pontificis, magisque fidem expostulavit *Philippi* Regis, quod importuno Christianæ Reipublicæ tempore, Christianorum triumphos remoraretur, & gloriæ Dei dilatandæ obsisteret. Hispani contra *Calari* quam citissimè expugnata illius Regni Metropoli, minores alias Civitates ad deditionem compulerunt; & brevi totam Insulam in suam redegerunt potestatem.

Et expugnat.

Diffidia Cæsaris cũ Pontifice.

Cæsar de amissa Sardinia certior factus, atque irâ exæstuans, nedum *Philippi* Regis, & Cardinalis *Alberonii* supremi Regni Hispanici Administri violatam fidem insimulabat; sed ipsius Romani Pontificis infidam mentem incusabat, dolosque ex condicto suspicabatur. Non jure tamen, nec rectè. Immemor enim esse non poterat maximi subsidii Principibus Christianis collati, magna *Clementis XI.* sinceritate, magnoque sumptu. Hisce tamen postpositis Nuncium Viennæ Apostolicum à sua præsentia, atque ab Aula removit.

Removet a sua præsentia Apostolicum Viennæ Nuncium.

Et alterum a Regno Neapolitano Nuncium.

Alterum Neapoli agentem quatuor, & viginti horarum spatio toto Regno jussit abscedere. Fructus præterea rerum Ecclesiasticarum vacantes quotannis seponi jussit; & Tribunal Fabricæ Divi Petri in eodem Regno constitutum delevit. Patienti tamen animo *Clemens* ærumnas tulit, & cum Cæsareo Romæ Oratore Comite *de Gallas* indoluit, & datis ad *Carolum* Cæsarem gravibus literis magnoperè questus est de tanta citra rationem concepta indignatione. Ne tamen eodem tempore suo deesset muneri, summa ope Catholici Regis animum ab incoeptis avertere conatus est.

Pontifex revocat gratias Hispano Regi factas.

At propositi tenax *Philippus* Rex, nedum tueri parta; sed in Siciliam arma victricia transferre statuit. Pontifex verò, ut Cæsari, & Orbi patefaceret, quam invito ferret animo moras Turcico Bello importunè interpositas, ubi precibus, & suasionibus flectere Hispanum

Re-

Regem non potuit, quotquot illi in certum tempus tribuerat sacra emolumenta, & ex redditibus Ecclesiarum subsidia substulit. Et *Julium* Cardinalem *Alberonium* primum Regii Consilii Administrum, & præcipuum in Carolum expeditionis (ut ferebatur) auctorem, ab Archiepiscopatu Hispalensi, ad quem ex Malacitano Episcopatu eum *Philippus* Rex transferre designaverat, constantissimè repulit.

Et Cardinali Alberonio negat Archiepiscopatum Hispalensem.

Carolus interea Imperator perspicuè tot factis edoctus de sincera Pontificis voluntate, abjectaque suspicione, Apostolicum Viennæ Nuncium ad solita revocavit officia. Nec multo post Præsulem *Vincentinum* Apostolicum Nuncium Neapolim redire jussit, integramque Jurisdictionem nullo prorsus læsam nomine restituit; unum Tribunalis Fabricæ Divi Petri negotium mansit infectum. Interim Cæsar invito prorsus animo, ac magnopere dolente Pontifice, inducias ad Passarovitzium cum *Achemate* Turcarum Principe pepigit, quas Veneti non improbarunt. Potissima iis adjecta fuit conditio, ut quæ quisque haberet oppida, Arces, & Insulas retineret. In reliquo iidem prorsùs fines, qui ante bellum fuissent remanerent. Sic Nobilibus Christianorum triumphis datus est finis. Sic ad pristinam Cæsar rediit amicitiam cum Romano Pontifice, & ad priorem erga Sanctam Sedem reverentiam.

Cæsaris cũ Pontifice simultates componuntur.

Cæsar inducias init cum Turcis.

Sed ita ferebat inflix illorum temporum conditio, ut cum uno Principe habere pacem non posset, nisi in alterius Pontifex suspicionem adduceretur. Sacra ex annuis Ecclesiarum redditibus emolumenta, quæ jampridem Hispano Regi concesserat, ut adversus Catholicę Religionis hostes converterentur, *Clemens*, ut innuimus, substulerat. Impium quippe illi videbatur, si ex iis civilis aleretur Christianorum discordia. Ast hoc etiam Papæ Judicium ægrè tulit *Philippus* Rex. Apostolicum proindè Nuncium *Pompejum Aldrovandum* negocio submovit, vetuitque Regiis Ministris, ne cum illo consuetudinem haberent. Hispanos Romæ agentes domum revocat. *Aldrovandus* autem veritus, ne Tribunali Nunciaturæ in Hispaniis sublato, vis aliqua eidem inferretur, neve Regno pelleretur, ab Hispaniis injussus discedit, atque iter in Italiam parat. Suæ *Aldrovando* rationes fortasse non defuerunt; ignotum tamen utcumque fuerit Arcanum, consilium ejus & Rex, & ipse Pontifex improbarunt. Bononiam Patriam suam petere, ibique subsistere jussus est.

Hispani Regis cum Pontifice dissensio.

Pompeius Aldrovandus Hispanus Nuncius Regis præsentia prohibitus.

Aldrovandus Italiam pergit.

Interea Cæsar Turcico solutus Bello perpactas inducias, in *Philippum* Siciliam invadentem arma converterat. Angli, Galli, & Allobrogum Dux cum eo fœdus percusserant. Propterea licet Indigenarum ope fultus Hispanus maximam Regni partem subegisset, fœderatorum tamen viribus terra, marique obrutus, & nedum in Sicilia, sed etiam in Hispaniis lacessitus, & deterritus, pacem quærere cogitur. Cæsari Siciliam, Allobrogum Duci Sardiniam possidendam reliquit. In hac pactione Juribus Sanctæ Sedis prorsùs neglectis cautum fuit, quod Parmæ, & Placentiæ Ducatus, si *Farnesiam* Familiam sine filiis masculis extingui contingeret, *Carolo* Principi, *Philippi V.*, *&* *Elisabethæ* filio deferretur. Negocium secretis agitatum consiliis improbavit *Clemens*, utriusque Urbis Dominus, ne Romanæ Ecclesiæ Jura tacitus violari permitteret.

Cæsar bellum Hispano denunciat.

Hispanus pacem quærit.

Pacis pactiones Juribus S. Sedis adversæ.

Sedulam dilatandæ Religionis curam non prætermittens ubere pecuniarum subsidio pauperes Batavos, Hybernos, & Scotos levavit; & *Caroli* Cæsaris, & Philippi Ducis Aurelianensis interposita authoritate, ut Christi nomen absque metu profiterentur, obtinuit. Iniquas etiam, quas ab Hęreticis Magistratibus patiebantur conditiones, amolitus est. Novos præterea Verbi Dei Præcones in Angliam misit. In Germania Ecclesiasticam Disciplinam, morumque honestatem, Clericorum præsertim vitio collapsam restituit. Encyclicas ad universos Germaniæ Episcopos scripsit Literas, ut in id sollicitè incumberent.

Novæ Clementis Pastorales Curæ 1719.

Synensium, Indorumque cura non minus Pontificem urgebat, augebantque sollicitudinem Nuncii, qui ex vastissimis illis Asiæ Regionibus Romam adventabant, edicentes ad ultimum penè discrimen Catholicam fidem adductam. Novas in Synis turbas excitatas adversus nuper editam Apostolicam Constitutionem incipientem = *ex illa die* = qua rursus Synenses ritus damnabantur. Minas, & terrores Europæis injici, præsertim vero Evangelii præconibus. Synarum etiam Imperatorem maximè indignatum ferebant adversus Apostolicam Sedem, gravibusque indictis pœnis, ne quis deinceps Catholicam fidem profiteretur, ajebant jussisse. Sparsum in Urbe rumorem posterius allatæ Lusitani Regis literæ conabantur avertere. Porrò ab illis significabatur cuncta omnia abesse pericula, quæ superiori anno Christianæ Legis asseclis ferebantur instare. Indis suis Ministris præsertim Goæ, & Macai morantibus Lusitanum Regem imperasse, ut remotis obicibus, memoratæ Constitutionis exequutioni sedulo faverent. Nova igitur Clemens allectus fiducia de non averso Synarum Imperatoris in Christianos studio, & de prona ejus erga Romanum Pontificem voluntate, novam ad Synas Legationem maturandam decrevit. *Carolum* propterea *Mediobarbam* Ticinensem, utriusque Signaturæ Referendarium, ad tantum munus elegit. Hunc Patriarcham dixit Alexandrinum, & Apostolicum Visitatorem cum potestate Legati de Latere ad Imperium Synarum, aliaque Orientalium Indiarum finitima Regna. Quatuor, & viginti selectos Evangelii Præcones illi adjunxit. Alios præterea Religiosos Viros, quasi Legati præcursores misit cum literis Imperatori denunciantibus novam ad ipsum Legationem decretam.

In Synis damnati errores pervicaciter defenduntur.

Constitutioni Apostolicę obsistitur.

Clemens Rei Orthodoxæ amplificandæ studens novum Visitatorem allegat ad Synas, & Indos.

Carolus Mediobarba Visitator.

Duorum fere annorum intervallo longissimum

Honorificè exceptus a Rege Lusitano.

Item à Synarum Imperatore.

Qui tamen in rebus Religionis durior apparet.

Re infecta Visitator redit in Italiam.

mum iter absolvit Legatus Apostolicus; plures Lusitani Regis expertus honores, & largitates. Ulyssipone in Synas pervenit. Ab Imperatore comiter, omnibusque in Apostolicam Sedem obsequii argumentis exceptus est; sed ubi de Religione agi cœptum est, constantem Imperatoris animum audit pro defendendis Synensium ritibus; Pontificis Apostolicas sollicitudines elusit, & aspernatus est. Durissimas conditiones proposuit, extrema Religionis dispendia minitatus est. Frustra, plurimumque adlaboravit Patriarcha, ut Imperatorem ad sanam mentem adduceret. Infelicem itaque Synensis Ecclesiæ Statum miseratus, iterum remenso mari, novisque objectus periculis in Italiam rediit sub Pontificatu *Innocentii XIII.*, cui rerum luctuosam seriem exposuit.

Concilium Ruthenorum Episcoporum in Sarmatia.

Juvatur à Clem. XI.

Et probatur ab Innocentio XIII.

Ruthenorum Schisma usque ab initio hujus Pontificatus in Sarmatia extinctum, mirificos Ecclesiæ Catholicæ proventus exhibuerat. Cogi hoc anno 1720. debebat Provinciale Concilium à Græcis Ruthenis habendum. Episcopi ex universa Regione convenerant, ut salubria decernerent, & diffluentes Ordinum, Plebisque mores corrigerent. Consilium probavit *Clemens*, juvitque propositum. Consessui itaque præsidere jussit *Hieronymum Grimaldum* Edessæ Archiepiscopum, & Apostolicum in Sarmatia Nuncium. Quatuor aureorum millia donavit, ut in Conventus expensis erogarentur; *& Leoni Kiskac* totius Russiæ Metropolitæ, aliisque Ruthenis Episcopis, Literis suis in animum induxit, ut strenuè pio operi insisterent, gravesque abusus præcipuè in electione Sacrorum Ministrorum evellerent. Acta absoluti Concilii ineunte *Innocentii XIII.* Pontificatu. Romam translata, & tamquam piè, sapienterque gesta à S. Sede probata sunt.

Pontifex amicitiam re integrat cum Rege Hispanorum.

Qui in Turcas Bellum movet.

a Ceuta

Et insignem de illis refert Victoriam

Hispanum quoque Regem anteactis querelis à Pontifice diffidentem conciliavit hic annus. Apostolicum Nuncium *Alexandrum Aldobrandinum* Rex honorificè excepit. Omniaque in Statum pristinum ejusdem Nunciaturæ Jura, & Emolumenta restituit. Ut Indultis etiam, & Pontificiis largitionibus frui posset de redditibus vacantium Ecclesiarum, ipsius Pontificis incitatus monitis in Africam contra Mauros arma converterat. Insignem etiam de illis victoriam retulerat; *Septensem* enim Urbem sexto supra vigesimum anno à Barbaris obsessam metu, & obsidione solverat, & sexto Idus Decembris commissa pugna, amplissimè de illis triumphaverat. Cæsis, fugatisque Maurorum copiis cunctam Regionem pristinæ libertati asseruerat: Hostesque semel, atque iterum majori apparatu bellum redintegrantes, turpiori affectos nota, iterato certamine superaverat. Partos virtute militum Christianorum triumphos, Scriptis propria manu Literis *Philippus* Rex Pontifici nunciavit, & plura illis erepta vexilla dono misit.

Morbus Pontificis ingravescit.

A Multiplici interea Clemens morbo, atque inveterato correptus, nec tam senio, quam curis gravissimis undique pressus, ineuntem annum vigesimum primum expertus est infestissimum. Noxius crurium humor in dies augebatur cum pertinaci dolore, & ineunte hyeme ex febre laborare cœpit. Nausea etiam, & stomachi flaccescentis irritatione cruciabatur. Diuturnâ, ac variante periodo, plures in menses luctatum est. Quando depulsâ febri paulisper convalescebat, Apostolicas curas resumebat, B nec ullam præterire occasionem patiebatur juvandæ Reipublicæ Christianæ. Orthodoxos Chaldæos multifariam à Turcis vexatos, missis aliquot nummorum millibus, & implorato Christianorum Principum patrocinio liberaliter adjuvit. Dissidia inter Maronitarum Patriarcham, & ejusdem gentis Antistites, allegato ad illos *Gabriele Eva* Monacho Syro-Maronita ex Ordine Sancti Antonii Abbatis, substulit, atque extinxit. Idoneis *Gabrielem* instruxit consiliis, addidit & Literas C Apostolicas, quibus universæ Nationis Antistitum, Principum, & Populorum authoritatem illi conciliaret, & fidem: sed brevi ex humanis Pontifex ereptus Maronitarum discordiam feliciter extinctam, ac diremptam, audire non potuit; nec tot aliorum laborum, quos extremo etiam hoc vitæ tempore pro Deo, & pro Catholica Ecclesia strenuè susceperat, fructus intelligere.

Catholicos Chaldæos à Turcis diversi modè vexatos juvat.

Et dissidia Maronitarum componit.

In ultimo Consistorio se proximè moriturum, prænunciat.

In postremo, quod die 28. Novembris habuit, Consistorio quasi instantem mortem prænunciaret, D Cardinales alloquens, apertè testatus est: *Se ad divinum Tribunal villicationis suæ rationem redditurum, brevi sistendum admoneri:* (a) Corporis interea viribus fractus quotidiè magis, pallore, ac macie perfusus cum S. Palatii Magistro, quem Sacramenti pœnitentiæ administrum selegerat, reliquos insumpsit dies. De Rebus Divinis, & de Sancta oppetenda morte cum eo disserebat. *Hannibali* Cardinali *Albano* modestum sibi in Vaticana Basilica sepulcrum parari jussit. Epigraphem E Marmori apponendam sibi ipse composuit humiliter in hæc verba conceptam.

Studet sanctè mori.

Sepulturæ locum designat, & modestum dictat Epitaphium.

D. O. M.

CLEMENS XI. PONT. MAX.

HUIUS SACROSANCTÆ BASILICÆ

OLIM VICARIUS ET POSTEA CANONICUS

SIBI VIVENS PONI IUSSIT

OBIIT DIE .... ANN. SAL. MDCCXX.

SEDIT IN PONTIFICATU A. XX.

ORATE PRO EO.

Huic Epigraphæ annum adjecit vigesimum, F atque quod si quid parum sibi superesset vitæ, facilè & dies, & mensis superapponi potuisset Die 17. Martii post oblatum Deo sacrificium, toto corpore rigere cœpit. Et licet remissior vespere febris esset, sequenti tamen die occultas vires exeruit. Conclamata jam salus erat. Admonitus de instante periculo, non ex-

Febre corripitur.

Mortis Nuncium excipit.

(a) Inter ejus Oration. 91. pag. 314.

expavit ad Nuncium mortis. Anteactæ vitæ noxias generali confeßione expiavit. Sacro Christi Corpore pro Viatico refectus, ac Oleo Sancto inunctus, Catholicæ Fidei professionem emisit. In lacrymas postridiè, piasque preces sæpe effusus, amorem, & misericordiam adstantium excitabat. Adstabant autem qui ab eo creati fuerant Cardinales, quotquot Romæ erant, & ingentem Christianæ Reipublicæ jacturam dolebant. Ingerebant aßiduè sanctissima monita Religiosi viri, doctrina, pietate, & muneribus præstantes, qui vicissim, statisque horis pium ministerium subibant.

Sacris ritè munitur.

Die Sancto Josepho sacro, quem sibi jamdiu peculiarem patronum assumpserat, quemque novo, ut vocant, Officio Christifidelibus venerandum obtulerat, & in cujus Anniversario die mori ipse exoptaverat, eodem inquam die 19. Martii placidißimè occubuit hora duodevicesima anni 1721., ætatis suæ 71. mens. 7. die 25. Vespere sequentis diei è Quirinali Palatio ejus Cadaver illatum est in Vaticanam Basilicam. Ibi Novemdiales exequiæ ritu solito peractæ sunt. Laudes ejus recensuit nitidißima Oratione *Vincentius Lucchesinius* vir pietate, & doctrina, atque editis voluminibus eximius. Corpus ejus in eodem Templo temporario tumulo priùs compositum est; Deindè revoluto anno sub Odæo ejusdem Basilicæ, ut ipse jusserat, & in præcipuum conditorium ab eo designatum à Cardinali *Hannibale Albano* solemni pompa translatum fuit. Ingens non modo Romæ, sed apud omnes Christianos Populos, etiam in dißitis Orbis partibus agentes sui desiderium reliquit. Eosdem etenim etiam in Africa, in Asia, & in America exquisierat, ut liberalitate juvaret sua, & Paterna sollicitudine recrearet.

Moritur.

Ejus Corpus ad Vaticanam Basilicam defertur. Et justa anima solvuntur.

Septuaginta egregios viros variis enunciationibus Sacro Cardinalium Cœtui adscripsit. Duas in S. Senatu Sedes vacuas reliquit. Laboris amantißimus, immensa gessit, & scripsit. Bullarium Romanum ex ejus Apostolicis Constitutionibus locupletiùs evasit. Ipsæ ejusdem Constitutiones in unum corpus collectæ, & Romæ impressæ anno 1723. magnum implent volumen. Illius Epistolæ, & Brevia selectiora duo alia similia volumina conficiunt. Alterum denique Homiliæ, & Orationes. In his autem universis maximum Religionis studium elucet, & æquitas, & prudentia cum doctrina certare videntur.

Clementis scripta.

Duos maximos Germaniæ Principes, scilicet *Antonium Ulricum* Brunsuvicensem, ac Luneburgensem Ducem, & *Fridericum* Augustum Electoralem Saxoniæ Principem, à Lutheranis erroribus abduxit. Cultum, & honorem Dei, præcipuè in Sacris Templis promovit. Vaticanæ Basilicæ plura id generis contulit Beneficia. Vaticanam verò Bibliothecam lectißimis ex Ægypto, Syria, & alibi conquisitis Libris ditavit. Lateranensem Ecclesiam marmoreis duodecim Apostolorum signis egregio artificio sculptis ornavit. Doctos homines, & nobiles disciplinas tutatus est. Ut novas artes in Urbem inveheret, egregios opifices undequaque accivit. Pictores, Sculptores, aliarumque artium Peritos honoribus auxit, & prœmiis. In Hospitio Sancti Michaelis ad Ripam Fluminis præstantes operarios admisit. Eos præsertim, qui Aulæa contexunt, & quidem tam concinnè, ac mirificè, ut acus Picturam superasse videatur. Ex Lana enim, serico, atque auro tam aptè figuras componunt, variasque formas inducunt, ut admirationem moveant intuenti.

Ecclesias reparat, & exornat

Novas artes Romæ invehit.

Statura Clemens procerus fuit; capite oblongo, alta fronte, vultu ad gravitatem composito, colore ad album accedente, nigrescentibus oculis, capillis in Juventute nigris, voce suavi, & clara. Animi vero Dotes acutum ingenium, tenax memoria illi fuerunt. Ab ira & odio alienus fuit. Comis, & perhumanus; Secreti tenax; Doctrinæ & eruditionis cupidus; studio idcircò intentus, & rigidus exactor temporis.

Clementis statura, & corporis habitudo.

Animi Dotes.

Cardinales LVIII., qui Comitiis interfuerunt, in quibus Clemens XI. electus est Summus Pontifex, ordine recensentur.

EPISCOPI CARDINALES V.

CLEMENTIS IX.

1 Emmanuel Theodosius Bullionius Episcopus Portuensis. Gallus.

2 Nicolaus Acciajolus Episcopus Prænestinus. Florentinus.

CLEMENTIS X.

3 Gaspar de Carpineo Episcopus Tusculanus; Et Urbis Vicarius. Romanus.

4 Cæsar Destræus Episcopus Sabinensis. Gallus.

5 Frater Vincentius Maria Ursinus Ordinis Prædicatorum Episc. Albanensis, & Archiepiscopus Beneventanus. Romanus.

PRESBYTERI CARDINALES.

INNOCENTII X.

6 Carolus Barberinus Tituli Sancti Laurentii in Lucina Archpresb. Basilicæ Vaticanæ. Romanus.

CLEMENTIS X.

7 Franciscus Nerlius Tituli S. Matthæi in Merulana. Florentinus.

8 Petrus Bonsius Tituli S. Eusebii Archiepiscop. Narbonensis. Florentinus.

9 Galeatius Marescottus Tituli S. Mariæ in Via. Romanus.

10 Fabritius Spada Tituli S. Chrysogoni Signaturæ Justitiæ Præfectus. Romanus.

INNOCENTII XI.

11 Joannes Baptista Spinula Tituli S. Cœciliæ. Januensis, nuncupatus Cardinalis Sanctæ Cœciliæ.

12 Savus Millinus Tituli S. Petri ad Vincula. Romanus.

Mar-

13 Marcellus Duratius Tituli Sanctæ Priscæ. Januensis.
14 Marcus Antonius Barbadicus Tituli Sanctæ Susannæ Episcopus Montis Falisci. Venetus.
15 Petrus Matthæjus Petruccius. Tituli Sancti Marcelli Episcopus Æsii. Æsinus.
16 Leander Colloredus Congregat. Orator. S. Philippi Nerii Tituli SS. Nerei, & Achillei. Pænitentiarius Major. Forojulien.

ALEXANDRI VIII.

17 Bandinus Panciaticus Tituli S. Thomæ in Parione Sacræ Congregationis Concilii Præfectus. Florentinus.
18 Jacobus Cantelmus Tituli SS. Petri, & Marcellini, Archiepiscop. Neapolis. Neapolitanus.
19 Ferdinandus de Abdua Tituli S. Balbinæ. Mediolanensis.
20 Toussanus De Fourbin De Jamson Tituli S. Agnetis extra Mœnia Episcopus Bellovacensis. Gallus.
21 Joannes Baptista Rubinus Tituli S. Marci Venetus.
22 Franciscus Judice Tituli S. Mariæ de Populo. Neapolitanus.
23 Joannes Baptista Costagutus Tituli S. Bernardi. Romanus.
24 Jo Franciscus Albanus Tituli S. Sylvestri in Capite. Electus Papa. Urbinas.

INNOCENTII XII.

25 Jacobus Antonius Morigia Tituli S. Cœciliæ. Mediolanensis.
26 Sebastianus Antonius Tanarius Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum. Bononiensis.
27 Jacobus Boncompagnus Tituli S. Mariæ in Via Archiepiscopus Bononiæ. Bononiensis.
28 Taddæus del Verme Tituli S. Alexii Episcopus Imolensis. Placentinus.
29 Frat. Thomas Maria Ferrari Ordinis Prædicatorum Tituli S. Clementis. Manduriensis.
30 Balthassar Cincius Tituli S. Petri in Monte Aureo Archiepiscopus Firmi. Romanus.
31 Joseph Sacripantes Tituli S. Mariæ Transpontinæ. Romanus.
32 Frater Henricus Noris Ordinis Eremitarum S. Augustini Tituli S. Augustini. Veronensis.
33 Joannes Baptista Spinula Tituli Sancti Cæsarei S.R.E. Camerarius, Cardinalis Sancti Cæsarei. Januensis.
34 Georgius Cornelius Tituli SS. XII. Apostolorum. Venetus.
35 Petrus Du Cambout de Coaslin Tituli Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio Episcopus Aurelianensis. Gallus.
36 Fabritius Pauluccius Tituli SS. Joannis, & Pauli Episcopus Ferrariæ. Forolivienssis.
37 Nicolaus Radolovicus Tituli S. Bartholomæi in Insula. Neapolitanus.
38 Joseph Archintus Tituli S. Balbinæ Archiepiscopus Mediolani. Mediolanensis.
39 Andreas De Sancta Cruce Tituli S. Alexii. Romanus.
40 Marcellus De Aste Tituli Sancti Martini in Montibus Episcopus Anconæ. Romanus.
41 Daniel Marcus Delphinus Tituli S. Susannæ. Venetus.
42 Sperellus de Sperellis Tituli S. Joannis ante Portam Latinam. Assisiensis.
43 Dom. Joannes Maria Gabriellus Ordinis Cisterciensis Tituli Sancti Bernardi Tifernas.
44 Ludovicus Antonius de Noailles Tituli S. Mariæ Supra Minervam Archiepiscopus Parisiensis. Gallus.
45 Joannes Philippus de Lamberg Tituli Sancti Sylvestri in Capite Episcopus Passaviæ. Germanus.

DIACONI CARDINALES INNOCENTII XI.

46 Urbanus Sacchettus Tituli Sancti Nicolai in Carcere Episcopus Viterbiensis. Romanus.
47 Benedictus Pamphilius Tituli S. Agathæ Signaturæ Gratiæ Præfectus. Romanus.
48 Joannes Franciscus Nigronus Tituli Sanctæ Mariæ in Via Lata. Januensis.
49 Fulvius Astallus Tituli SS. Cosmi, & Damiani. Romanus.
50 Franciscus Maria Medices Tituli S. Mariæ in Domnica. Florentinus.

ALEXANDRI VIII.

51 Petrus Ottobonus Tituli Sancti Laurentii in Damaso S. R. E. Vice-Cancellarius. Venetus.
52 Carolus Bichius Tituli S. Mariæ in Cosmedin. Senensis.
53 Joseph Renatus Imperiali Tituli S. Georgii. Januensis.
54 Aloysius Homodeus Tituli S. Mariæ in Porticu. Mediolanensis.
55 Franciscus Barberinus Tituli S. Angeli in Foro Piscium. Romanus.
56 Laurentius de Altieriis Tituli Sanctæ Mariæ in Aquiro. Romanus.
57 Henricus De la Grange D' Arquyan Tituli S. Eustachii. Gallus.
58 Vincentius Grimanus Tituli S. Agathæ. Venetus.

Cardinales absentes in hac Electione.

1 Ludovicus de Portocarrero Tituli S. Sabinæ. Hispanus.
2 Fr. Petrus de Salazar Ordinis Beatæ Ma-

riæ de Mercede Redemptionis Captivorum Tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem Episcopus Cordubensis. Hispanus.
3 Guillelmus De Fustemberg Tituli S. Honuphrii. Germanus.
4 Michael Stephanus Radzieouski Tituli S. Mariæ de Pace Archiepiscopus Gnesnen., & Sarmatici Regni Primas. Polonus.

A

5 Aloysius de Sousa Archiepiscopus Ulyssiponen.. Hispanus.
6 Franciscus Borgia. Hispanus.
7 Leopoldus Kolonitz Tituli S. Hieronymi Illyricorum. Germanus.
8 Stephanus Le Camus Tituli S. Mariæ Angelorum Archiepiscopus Gratianopolitanus. Gallus.

Cæteræ quatuor Sedes Cardinalitiæ vacabant.

Prima Cardinalium Creatio Facta

A

C L E M E N T E XI.

Die 17. Decembris Anni 1703.

Unicum Creavit Cardinalem, nempè Franciscum Pignattelli. Neapolitanum.





Franciscus Pignatellus Neapolitanus
Archiepiscopus Neapolis
S.R.E. Episcopus Cardinalis Sacri Collegij Decanus
Creatus à SS.mo D.N. CLEMENTE PAPA XI.
in Consistorio secreto die 17. Decembris 1703.

Dominicus de Rubeis Hæres Io. Iacobi, formis Romæ ad Templ. S. M. de Pace, cum Priuil. Sum. Pont.

I.

FRANCISCUS PIGNATTELLI Neapolitanus die natus est 6. Februarii anni 1652. Patrem habuit *Julium Pignattelli* ex Ducibus *Montis Leonis*. Matrem vero *Beatricem Carafa* ex Ducibus *de Noja*. Egregiæ Indolis adolescens studiis æquè, ac pietati impensè incubuit. Atque, ut animam verè Christianam nactus fuerat, nil ampliùs in votis habuit, quam religiosam vitam agere, & alicui Pio Instituto nomen dare. Theatinorum ordinem selegit, expletoque probationis tempore, ab illis Religiosis viris libentissimè exceptus est, ac solemni ritu sese votis illius Ordinis obstrinxit in Cœnobio Sanctissimorum Apostolorum Civitatis Neapolis. In Philosophiæ, & Theologiæ studio adeo profecerat, ut Magister postea factus, & sodalibus suis lector assumptus, utramque facultatem plures per annos docuerit.

Virum hunc & sanguinis claritate, & propriæ virtutis meritis commendatum *Carolus II.* Hispaniarum Rex ad Archiepiscopatum Tarentinum nominavit. Die 27. Septembris anni 1683., quo Pastorale munus assumpsit,

majora exhibere cœpit virtutis ſpecimina. Nedum enim Diœceſim luſtrare, mores lapſos corrigere, legeſque ſaluberrimas promulgare ſtudium illi fuit, ſed temporalia etiam Beneficia munificè contulit in Eccleſiam ſuam, cunctamque Diœceſim. Palatium quippè Archiepiſcopale, item & Seminarium penè à fundamentis inſtauravit, Eccleſiam Civitatis Majorem ſacris ſupellectilibus ornavit, Cappellam in honorem Beatæ Virginis ex integro erexit.

Franciſcus nedum Agnatus, ſed etiam affinis erat *Innocentio XII.* Romano Pontifici, qui in illa ſolemni ſuorum, & ſui ſanguinis abdicatione, abſtinere non potuit, quin egregium hunc Virum aliquibus ſaltem beneficiis cumularet. Hinc anno 1700. exeunte ejuſdem *Innocentii* Pontificatu ad *Auguſtum II.* Poloniæ Regem Nuncium Apoſtolicum allegavit. Tres per annos, quibus apud Sarmatas fuit, ſtrenuam navavit operam vindicandæ Sanctæ Sedis authoritati, & Propagandæ Catholicæ Fidei. Atque ejus præ cæteris præclarum extat monumentum, quod eo promovente, & maximoperè adnitente Ruthenorum Schiſma in Polonia aboletum fuerit. Rutheni, quos Roxolanos (*a*) Plinius vocat, Ruſſi indè cœpti ſunt nuncupari, utpotè quia vaſta eorum Regio ambitu ſuo univerſam illam Sarmatici Orbis partem contineret, quæ ab Oriente Mæotide, Taurica Cherſoneſo, & Tanai, à meridie Carpatiis montibus, ab Occidente vero Poloniæ, & Lithuaniæ finibus clauderetur (*b*) Ruſſi, & Rutheni poſtea appellati, viciſſitudinibus ut plurimum Eccleſiæ Græcæ ſunt obruti; & ubi eadem Græcorum Eccleſia in Schiſma relapſa eſt, ipſi quoque in eamdem ruinam miſerè relapſi ſunt; ſic in Concilio Florentino *Iſidorus* Ruthenorum Archiepiſcopus una cum celebri *Beſſarione Trapezuntio* Nicæno Archiepiſcopo Græcorum cum Latinis Concordiæ auctor extitit. Et ubi Græci à communione cum Latinis iterum defecerunt, in eoſdem iterum errores Ruthenos præcipites traxerunt. Rutheni tamen Eccleſiæ Romanæ magis amantes, rurſus ſub *Clemente VIII.* ad concordiam Sedis Apoſtolicæ recepti ſunt (*c*). At parum conſtantes, & finitimis erroribus decepti in antiquas ſeceſſiones abducti ſunt; ſed hi Rutheni, qui Poloniam incolunt, ſub Legatione noſtri *Franciſci Pignattelli*, iterum in ſinum Romanæ Eccleſiæ accurrerunt, & benigniſsimè excepti ſunt; & ne ex culturæ defectu iterum Sylveſcat ager, in Civitate Leopolitana Seminarium erexit, à Congregatione Propagandæ Fidei dependens, ut in ipſo *Rutheni* veritatem perdiſcant Religionis Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ, ejuſque doctrinæ immutabiliter adhæreant.

Tantam idcirco Vir iſte exiſtimationem nactus fuerat apud *Clementem XI.*, ut primam illi Sedem reſervaverit inter Cardinales à ſe creandos. Solus ergo promotus fuit die 17. Decembris anni 1703., & ut magis ſuam benevolentiam Pontifex ei teſtaretur, Biretum, atque inſignia Cardinalitia per Nepotem ſuum *Annibalem Albani*, poſtea ampliſsimum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem illi miſit. Archiepiſcopum etiam dixit Neapolitanum. Quum Romam perveniſſet, ibi perſtitit uſque ad annum 1707. aſſiduè occupatus in Rebus Eccleſiæ graviſſimis. Neapolim demum pervenit, quo tempore eodem Neapolitano Regno Auſtriaca Domus potita eſt. Prudentia, & manſuetudine initia novi Imperii mollivit, Cæſareoſque adminiſtros ſibi devinxit. Precibus, publiciſque indictis ſupplicationibus iram Dei quotidiè mala minitantem reſtinxit; & triginta per annos vaſtam illam rexit Metropolim dilectus, probatus, pacificus. Seminarium ampliavit, in mores Clericorum ſeverè inquiſivit. Synodum habuit Diecæſanam, quam Typis dedit. Collegium à fundamentis erexit pro infidelibus ad Catholicam Religionem converſis. Monaſterium item ædificavit pro Mulieribus, quæ à peccati jugo ad pœnitentiam reducuntur. In Eccleſia Sanctorum Apoſtolorum magnifico ſumptu Cappellam extruxit in honorem Beatæ Mariæ Virginis ſine labe Conceptæ. Demum Decanus factus Sacri Collegii pleuritidis morbo correptus interiit die 5. Decembris anni 1734., ſepultuſque eſt in eadem Cappella Sanctiſsimæ Conceptionis ab ipſo erecta *in Eccleſia SS. Apoſtolorum.* Congregationibus adſcriptus erat S. Concilii Tridentini, Epiſcoporum, & Regularium.

Comitiis interfuit Innocentii XIII., Benedicti XIII., & Clementis XII.

Se-

(*a*) Hiſtor. Lib. 3. cap. 5. (*b*) Sic Cromerius Chronic. rer. Polon. Lib. 1. cap. 10. 12. 14.
(*c*) Baron. in Annal. Tom. IX. pag. 658., & ſeq. edition. Lucenſis anni 1738.

Secunda Cardinalium Creatio

Die 17. Maii 1706.


CLEMENS XI.

Viginti Creavit Cardinales, qui fuerunt.

2 Franciſcus Martellius Patriarcha Hieroſolymitanus. Florentinus.
3 Joannes Baduarius Patriarcha Venetiarum. Venetus.
4 Laurentius Caſonus Archiepiſcopus Cæſareæ. Sarzanenſis.
5 Laurentius Corſinus Archiepiſcopus Nicomediæ Apoſtolicæ Sedis Theſaurarius. Florentinus.
6 Laurentius Fliſcus Archiepiſcopus Genuæ. Genuenſis.
7 Franciſcus Aquaviva Archiepiſcopus Lariſſeus in Hiſpaniis Nuncius. Neapolitanus.
8 Thomas Ruffus Archiepiſcopus Niceæ Pontificio Cubiculo Præfectus. Neapolitanus.
9 Horatius Philippus Spada Archiepiſcopus Lucæ. Lucenſis.
10 Philippus Antonius Gualtierius Epiſcopus Forocornelienſis. Urbevetanus.
11 Joſeph Vallemanus Congregationis Immunitatis Eccleſiaſticæ Secretarius.
Hunc in pectore ſervavit, & decimo quinto poſt menſe evulgavit, nempè die prima Auguſti Anni 1707.
12 Chriſtianus Auguſtus è Ducibus Saxoniæ Epiſcopus Aurinenſis. Germanus.
13 Rainutius Pallavicinus Almæ Urbis Gubernator. Parmenſis.
14 Joannes Dominicus Paraccianus. Romanus.
15 Alexander Caprara XII. Vir in Tribunali Rotæ Romanæ. Bononienſis.
16 Joſeph de la Tremoille XII. Vir ejuſdem Rotæ Romanæ. Gallus.
17 Gabriel Philippuccius in Signatura Juſtitiæ ſuffragium ferens. Maceratenſis.
18 Carolus Auguſtinus Fabronus Congregationis de Propaganda Fide Secretarius. Piſtorienſis.
19 Carolus Columna Pontificiæ Domui Præfectus. Romanus.
20 Petrus Priolus Cameræ Apoſtolicæ Clericus. Venetus.
21 Nicolaus Grimaldus Congregationis Epiſcoporum, & Regularium à Secretis. Genuenſis.



FRAN-



FRANCISCVS S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS
MARTELLVS FLORENTINVS
CREATVS DIE XVII. MAIJ MDCCVI.
Obijt die 26. 7bris 1717.

Anton Odatius Pinxit *Hieronymus Rossi incidit*

Dominicus de Rubeis formis Romæ ad Templum S. Mariæ de Pace cum Priu. Sum. Pont.

II.

FRANCISCUS MARTELLIUS Florentinus ex pervetusta, & claræ Nobilitatis Familia Florentiæ natus est die 19. Januarii anni 1633. Patrem habuit *Marcum* Senatorem amplissimum, Matrem verò *Lucretiam Franceschi* lectissimam Matronam. Piè, liberaliterque educatus, quum ad annum 15. pervenit, Canonicatum obtinuit in Metropolitana Florentina de Jurepatronatu ejus Familiæ. Literarum studia, quibus impensam huc usque operam navaverat, strenuè prosequutus est. In Universitate Pisana Philosophiæ, præsertim verò Jurisprudentiæ, tum Canonicæ, tum civili sedulo incubuit; atque in hac facultate Doctor renunciatus est anno 1656. Romam indè venit, quumque inter Aulæ Romanæ Præsules recipi exoptasset, anno 1661. Canonicatum dimisit favore *Laurentii Panciatichi* Civis sui, & de re Literaria optimè meriti.

A

Eodem anno 1661. in Pontificatu *Alexandri VII.* inter Præsules relatus Romanæ Curiæ, statim Gubernator Faventinæ Civitati datus est. Anno 1663. Ferrariam transfertur munere Pro-Legati Apostolici decoratus. Anno 1666. Spoletinæ præfuit Civitati; & demum in Pontificatu *Clementis IX.* Romam revocatus est, ut in Congregatione Sac. Consultationis suffragium ferret.

B

At *Clemens X.* Virum hunc multiplici probatum Magiſtratuum adminiſtratione, ad majora Sedis Apoſtolicæ munera promovere deſiderans, eum dixit Archiepiſcopum Corinthi, & anno 1675. ad Sarmatas miſit Nuncium Apoſtolicum. Fidus ibi Pontificiæ voluntatis interpres, Poloniæ Regem incitavit ad Bellum in Turcas ſuſcipiendum. Fœdus etiam cum Cæſare, & cum ſupremo Moſcorum Principe ad idem bellum acrius fovendum inivit. Hinc in Conventu Grodnæ habito inter Principum Oratores nitidam Latino idiomate Orationem recitavit. Hæc vero Poloniæ primum Typis data, deinde Italicè translata Venetiis iterum publici Juris facta eſt.


Sed Romam revocatus *Franciſcus* poſtquam tantis muneribus optimè functus fuerat, exiguum laboribus prœmium nactus eſt. Etenim ab *Innocentio XI.* Anno 1686. à Secretis dicitur Sac. Congregationis Immunitatis. Plures per annos magno tulit animo hoc infortunium. Vix tamen ad Apoſtolatum evecto *Innocentio XII.* Anno 1691, à Secretis Sacræ Conſul-

A tationis renunciatur, atque anno 1698. Titulo decoratur Patriarchæ Hieroſolymitani. *Clemens* vero *XI.* in hac ſolemni enunciatione diei 17. Maii anni 1706. primum illi locum attribuit inter Cardinales à ſe promotos: Titulumque adjecit *Sancti Euſebii*. Præterea Congregationibus eum adſcripſit Sac. Concilii Tridentini, Immunitatis Eccleſiaſticæ, Sacræ Conſultationis, & Sacrorum Rituum.

Novis etiam hiſce muneribus egregiè per-B functus, tandem annis, laboribuſque confectus, Romæ occubuit die 28. Septembris anni 1717. Ejus Cadaver, ut ipſe Teſtamento caverat, ad Eccleſiam Sancti Auguſtini translatum, ibique tumulatum fuit in Cappella ejus Familiæ Gentilitia cum hac brevi Epigraphe, ut ipſe pariter demandaverat.

D. O. M.
OSSA FRANCISCI
S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS MARTELLI
OBIIT IV. KAL. OCTOBRIS
C ANN. REP. SAL. MDCCXVII.
ÆT. SVÆ LXXXIV.





IOANNES S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS
BADVARIVS VENETVS
CREATVS DIE XVII. MAIJ MDCCVI.
Obijt die 17 May 1714

Antonius David Pinxit *Io. Iacobus Frey Incidit*

Dominicus de Rubeis Formis Romæ ad Templum S. Mariæ de Pace cum Priu. Summi Pont.

III.


JOANNES ALBERTUS BADUARIUS Venetus A die natus est duodecima Martii anni 1649. Præstantes, Patriciosque habuit genitores, nempè *Franciscum* Patrem, Matrem vero *Helenam Micheli*. Anno 1654. quinquennis è sinu Matris eripitur à Patruo *Alberto Baduario* Episcopo Cremensi, ut optimis puer disciplinis imbueretur. Pietatem primo, rudimenta indè didicit literarum. Anno 1663. ætatis ejus decimoquarto Clericalem arripit B vitam, & prima tonsura initiatur à Patruo; indè vero annuente *Alexandro VII.* Summo Pontifice pingui ditatur Sacerdotio quod idem Patruus ejus dimiserat. Mox in Pontificatu *Clementis X.* quum *Petrus Basadonna* Romam peteret, ut Galerum Cardinalitium acciperet, *Albertum Baduarium* Episcopum Cremensem, atque hunc *Joannem* illius ex Fratre Nepotem socios habuit itineris. Romæ hinc *Joannes* altiores hausit disciplinas, & Laurea doctorali ornatus fuit. Altero clementiâ Pontificis ditatus est Sacerdotio. Cremam inde redux, Archidiaconus dicitur illius Cathedralis, atque hæres ex Asse instituitur ab octogenario illius Patruo, qui anno 1667. morti concessit. At vero *Joannes* dimisso Cremensi Archidiaconatu, Patavium se contulit penes illius Urbis Episcopum *Gregorium Barbadicum*,

quem satis virtutum omnium, & sanctitatis fama commemorat. Ab eo Sacerdos dicitur, & Canonicus illius Cathedralis. Nec multo post Venetias revocatur, & ab *Aloysio Contareno* Serenissimo illius Reipublicæ Principe, Primicerius renunciatur Ecclesiæ Ducalis Divi Marci.

Varios hosce per gradus maximè *Joannes* creverat pietatis famâ, atque opinione virtutis. Adeout vacanti hinc Ecclesiæ Patriarchali Venetiarum, unanimi Patrum consensione, similique Romanæ Urbis plausu præficitur die 16. Septembris anni 1688. Pastorali regimini, & Cleri reformationi totus incubuit. Ecclesias omnes lustravit, Seminaria, & Virginum cœnobia. Populi diffluentes mores repressit, & pristinam severitatem invexit. Optimos animarum curæ Sacerdotes præposuit; doctrina, & pietate præstantes viros undequaque accersivit, atque ut alios erudiret, nova instituit Seminaria, & Academias aperuit. Pueros ipse edocebat Christianæ Fidei rudimenta in compitis, & plateis. In Ecclesiis vero frequens ex suggestu assurgebat Pontificali ornatus veste, piissimisque concionibus admirationem, & Populi lacrymas eliciebat. Verbi Dei præcones, aliosque Evangelicos ministros suo ipse sumptu alebat. Sibi præsertim severus frugali cibo, parvoque somno utebatur. Cilicio, aliisque macerationibus non sine sanguinis effusione debile corpus affligebat.

Jam vero apud Romanos Pontifices *Innocentium XII.*, & *Clementem XI.* maximi *Joannes* habebatur. Propterea *Clemens XI.* eum inter Cardinales referre, & Brixiensi admovere Episcopatui decrevit. Intellexerat enim *Clemens* non sine gravi mœrore, quosdam hæreticæ pravitatis Sectatores, & Quietistarum errore infectos, Brixiam pervasisse. Virum idcirco quærebat vigilem, ac pium, ut firmo, ac constanti pectore sceleri obsisteret, atque impietatem evelleret. Hac igitur die 17. Maii anni 1706. *Joannes* inter Cardinales relatus est, & Brixiensi Episcopatui admotus.

Paruit *Joannes*; Romam prius advenit; inde Venetias rediit, ut dilectæ ejus Sponsæ fletus exciperet, missionemque efflagitaret. Mox Brixiam perrexit, & quam Venetiis morum severitatem patefecerat, majori animi constantia novo Populo exhibuit. Studium omne, operamque suam contulit, ut aberrantes à fide exilio, variisque pœnis mulctaret. Spartam laudabiliter implevit, atque omnia prosperè evenerunt. Nec impios cominus modo insectatus est, sed eos procul etiam agentes exagitare non destitit; Jacobum quippè *Picenimum* apud Ræthos Calvinianum Magistrum, ejusque Scripta Italico idiomate Typis data, collectis undique doctorum hominum laboribus, iisque in vulgus editis, palam refellit. Nonnullos etiam Jansenistarum labe infectos viros, quos Gallorum exercitus nuper in Italiam advectus sparsim diffuderat, strenuè exagitavit. Hinc plurimorum subiit invidiam, & obtrectatorum molestias. Has patiens substinuit usque ad mortem. Nec umquam ab incœpto passus est dimoveri. Quin imo clarius emicuit severitate in impios, & in pauperes misericordia. Anno 1714. in Visitatione suæ Diœcesis quum plurimum adlaborasset, gravem in febrem incidit. Brevì latens morbus vires suas exeruit. Conclamata salus est. Sacris ritè munitus piissimè obiit Brixiæ die 17. Maii ejusdem anni 1714., atque in eadem Cathedrali sepultus est. Vixit annos 65. menses 2. dies 5. Mortem Sanctissimi Pastoris omnes omnium Ordinum Cives ingemuerunt. Ejusque tumulum Populus penè incredibilis pio tumultu, multoque fletu decoravit. Nonnulla etiam narrantur prodigia divina virtute ad ejus intercessionem patrata, quæ quum nondum certissimo testimonio comprobata sint, idcirco duximus omittenda. Nullam tamen iis fidem subducimus. Titulum Presbyteralem *S. Marcelli*, quem ab initio obtinuerat, anno 1712. quum iterum Romam advenisset, in alterum immutavit *S. Marci*. Romæ Congregationibus adscriptus erat Episcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Immunitatis Ecclesiasticæ, & Propagandæ Fidei.



Dominicus de Rubeis hæres Io. Iacobi formis Romæ ad Templum S. M. de Pace cum Priuil. Sum. Pont.

IV.

LAURENTIUS CASONUS Sarzanensis Nobilibus Parentibus *Nicolao* Comite de *Villanova* & *Elisabeth Petriziola* natalem adspexit lucem die 27. Septembris anni 1645. Paterna primum in domo officiis imbutus Christiani hominis, & rudimentis literarum, inde quatuordecim annos natus Romam traductus est. Die 9. Novembris anni 1659. Patribus Societatis Jesu in Seminario Romano datus est erudiendus. Impensam ibi Rhetoricis, Philosophicis, & Theologicis disciplinis navavit operam. Plena demum pubertate, e Seminario eductus, tutelæ, ac fidei creditus A est Præsulis præstantissimi, & consobrini sui *Augustini Favoriti*.

Sed dum in studio literarum actuosam prorsus degit vitam, in adversam incidit valetudinem. Medicorum consilio in Patriam reversus est. Plures ibi per annos consedit, usquedum è morbo recreatus anno 1672. Romam remeavit. Tutelæ iterum se commisit Præsulis *Augustini Favoriti*, iterumque atque impensius nedum Juri Canonico, & Civili evolvendo incubuit; sed jus etiam publicum introspexit, quod inter populorum rectores interce- B dit, eorumque vel fœderibus nititur, vel pactis.

Idem

Idem Præsul *Favoriti* erat *Innocentio XI.* ab Epistolis arcanis notis conscriptis. Multa præterea apud eumdem Pontificem gratià pollebat, & pro gravioribus Apostolicæ Sedis negotiis in consilium adhibebatur. Is eidem *Innocentio XI.* author fuit, ut Præsuli *Ludovico Bevilacqua* Patriarchæ Alexandrino ad Conventum Noviomagensem in Geldria properanti cum dignitate Nuncii extra ordinem Apostolici, *Casonus* daretur Comes. Convenerant eam in urbem pro sancienda pace maximorum Europæ Principum Oratores; quos inter Anglorum, & Batavorum, aliorumque Principum Protestantium aderant administri. Hi minime renuebant Romanum Pontificem inter Catholicos Principes dumtaxat, Pacis sequestrem esse.

Kalendis Junii ejusmet anni 1677. in Civitate Noviomagi exceptus est Præsul Bevilacqua plausu, ac comitate incredibili. Nec segne, nec vanum fuit ejus ministerium. Pax enim eodem volvente anno inita fuit, licet sequenti anno 1678. Mense Augusti fuerit evulgata. Nuncium autem Apostolicum *Casonus* juvit consilio, ac prudentia singulari. Quinimo ubi pax sancita, & constituta fuit, & Præsul *Bevilacqua* Romam revocatus est, Noviomagi in Urbe ipse aliquandiu substitit Fidus Pontifici, Principumque Oratoribus, etiam Acatholicis maximè acceptus; cum iis privatim egit, & gravia nonnulla, quæ adhuc supererant, negocia scitè, ac sapienter administravit, & summa opè nixus est ne quid Catholica Religio detrimenti acciperet.

Rebus ita compositis anno 1680. Belgium & Galliam peragravit. Postquam Parisios advenit, brevem moram indulsit explendæ cupiditati, ut maximæ illius Aulæ, Regnique sub Ludovico XIV. florentissimi & studia, & mores posset internoscere. Demum Romam redux Canonicatum obtinuit *S. Mariæ in Via Lata*. Majora illi pro laboribus prœmia pollicebantur. Ea tamen minime assequutus est nisi mortuo affine suo, sibique amicissimo *Augustino Favorito*. Ubi enim is die 13. Novembris anni 1682. Naturæ concessit; *Casonus* illi suffectus est in munere Secretarii Congregationis Consistorialis, & Sacri Cardinalium Collegii, atque a Secretis dictus est Epistolarum arcanis notis conscriptarum. Dimisso præterea priori Canonicatu, alterum obtinuit Basilicæ Liberianæ.

Omnia hæc munera uno, eodemque tempore *Laurentio* collata, gesta ab eo sunt toto Innocentii XI. Pontificatu. Mortuo Innocentio XI., ut ad Apicem Apostolici Ministerii *Alexander VIII.* assumptus est, statim Titulo Archiepiscopi Cæsariensis decoratus est, & Nuncius Apostolicus Regni Neapolitani est renunciatus.

Decennio, & ultra perstitit in hoc amplissimo Magistratu. Justitiæ administrandæ, cultuique Divino amplificando maximopere studuit.

A Anno interea 1700. è vivis erepto *Innocentio XII.* in Petri solium ascenderat Clem. XI. Hic vero & studiis eisdem, & vetustate amicitiæ *Laurentio* conjunctus erat. Grata etiam memoria recolebat, quæ tempore Pontificatus *Innocentii XI.* eidem *Laurentius* Papæ acceptissimus, in eum officia contulerat. Quare ut aliquam illi gratiam referret, anno 1701. Romam evocatum, Assessorem renunciavit Sanctę & Universalis Inquisitionis. Et postquam quinquennio hoc munere strenuè functus fuerat, B in hac solemni Cardinalium enunciatione eum in Sacrum Senatum invexit. Titulum illi attribuit Presbyteralem *S. Bernardi ad Thermas*, eumque Congregationibus adjecit Sancti Officii, Episcoporum, & Regularium, Immunitatis Ecclesiasticæ, Propagandæ Fidei, Indicis Librorum prohibitorum, & Rerum Consistorialium.

Anno 1707. Legatus de Latere dictus est Ferrariensis Provinciæ. Difficillimis temporibus, quibus Italia cuncta variam belli fortunam experta fuerat, & Gallos Hispanis fœderatos, C Cæsareosque vicissim de Hispanica Monarchia contendentes substinuerat, Provinciam administravit. Anno 1708. Germanus miles ubique victor, postquam Neapolitanum Regnum suo adjecerat imperio, Æmiliam, atque Insubriam repetens in oppida Ditionis Ferrariensis irrumpit, atque improviso *Comaclum* Urbem intercipit. Ferraria quoque eodem forte belli impetu vexata foret, ni Cardinalis Casonus Consilia Germanorum deturbasset. D

Is enim tria peditum millia collegerat, validoque præsidio, & commeatu urbem munierat, atque hostium conatus præverterat, qui laxiore obsidione Urbem sepiverant. Bellum hinc Cæsari indicere Pontifex adactus fuit. Quod tamen nec felix fuit, nec diuturnum. Brevi itaque Clemens nonnullorum Cardinalium, atque ipsius Cardinalis Casoni sententiæ adhærens consilia pacis inivit. Ea igitur sub quibusdam conditionibus sancita, & reddita Ferra- E riensi Provinciæ tranquillitate; parvo interjecto tempore *Fridericum IV.* Daniæ, & Norvegiæ Regem Ferrariam transeuntem, & Florentiam petentem, in quodam Palatio in id magnificè, nec sine suo gravi sumptu instructo, exceptum voluit. Cum eo prudenter egit, & ne ritus Cæremoniales præteriret, quos tamquam Cardinalis & Provinciæ Legatus servare adigebatur, in domo Nobilium *de Sacratis*, ubi Chorea publice indicta habebatur, uterque convenit. *Casonus* vero stans, & cum F Rege obambulans dextra, sinistraque manu vario sermone aliquam noctis partem transegit, atque omnem de loco honoratiori disputationem ademit.

Tantis interea functus laboribus, & suam ratus exonerasse fidem, *Casonus*, qui cœli Ferrariensis aerem expertus fuerat insalubrem, veniam a Pontifice efflagitavit, ut Romam redire posset. Indulsit Pontifex, ut Ferraria di-

discederet, triennio nondum, ut moris erat exacto; sed secunda eum Legatione ornatum voluit, & Bononiæ de Latere Legatum renunciavit. Decembri mense anni 1709. Bononiam pervenit. Justitiæ, publicæque utilitati undequaque prospexit. Urbi re frumentaria laboranti tempestivè consuluit, inlatoque undique frumento, annona convaluit. Animalium pestilentia, quæ finitimas oras invaserat, ne in Bononienses agros irrumperet, optimè cavit.

A

Hoc tamen illi factum præ cæteris memorabile existit, quod *Fridericum Augustum* Regium Sarmatiæ Principem, & Electoralem Saxoniæ, obtentu lustrandi Italiam, Bononiæ considentem, ejuratis Lutheranæ hæreseos erroribus, quibus imbutus adoleverat, in sinum Catholicæ Religionis exceperit. Magnanimus iste Princeps, nunc *Fridericus III.* Poloniæ Rex, & Saxonum Dux, studio *Joannis Baptistæ Salerni* è Societate Jesu, postea Cardinalis, & *Josephi Kos* Palatini Livoniæ ejusdem Principis educationi præpositi, se prorsus Catholicæ veritati dediderat. Die igitur 27. Novembris anni 1712. coram eodem Cardinali *Casono* tamquam uno ex Generalibus Christianæ Fidei Quæsitoribus, & Provinciæ Legato, Lutheranam hæresim detestatus est, & Catholicæ Fidei nomen dedit. Prudentibus tamen rationibus, & ne hæreticorum rabies extemplo excandesceret, hujus gloriosissimi Facti dudum memoria delituit, & nonnisi quam quinquennio ferè exacto evulgata est.

B

C

Casonus vero impatiens quotidie magis diutinam ab Urbe ferre absentiam, Pontificem magis in dies extimulabat, rogabatque, ut illi redeundi veniam indulgeret. Hanc tandem obtinuit mense Junio anni 1714., eodemque anno Romam remeavit. Congregationibus, quibus ab initio fuerat adjectus, aderat assidue. Novas vero Congregationes illi Pontifex superaddidit, scilicet Fabricæ Divi Petri, disciplinæ Regularium, & Aquarum.


D

Die 21. Januarii anni 1715. priorem Titulum dimisit, & quum podraga laboraret, per Procuratorem, qui fuit Cardinalis *Fabritius Paulutius*, Titulum optavit *S. Petri ad Vincula*. Anno 1717. Protector dictus fuit totius Ordinis Minorum Observantium, & Reformatorum Sancti Francisci. Et absente Cardinali *Thoma Ruffo* Collega suo, Comprotector etiam assumptus fuit *Paulinæ* seu *Burghesianæ* Cappellæ in Basilica Liberiana. Redituum Ecclesiasticorum, quibus cœteroquin minimè affluebat, pius, ac prudens extitit distributor. Ex iis in Ecclesia Patriæ suæ Cathedrali ad cultum augendum erga imaginem Sanctissimi Crucifixi nobile Sacellum extruxit, quod ex solido marmore, optimorumque artificum picturis nitidè, atque eleganter ornavit. In eo duorum Summorum Pontificum *Innocentii XII.*, & *Clementis XI.* marmorea mausolæa affabrè scalpta, & Româ advecta, pariter disposuit; ne memoria beneficiorum exolesceret, quæ hi duo Pontifices in eum contulerant.

E

Sed solitis podagræ doloribus, quibus *Casonus* angebatur, novum illi morbi genus superaccessit, quo Bononiæ subsistens corripi incœperat. Ex sanguinis calefactione, & æstu nonnullæ ad cutem emerserant pustulæ, quæ vario nomine à Medicis sive *Herpes miliarius*, sive *Psora* nuncupantur. Iis non sine erosione, ac pruritu molestissimè tenebatur. Variis adhibitis remediis parum profecit. Quinimo morbus retrorsum permeans, & intus agens, vires tandem exeruit suas. Anno 1720. spirandi difficultate laborans, quasi anhelator evaserat. Demum conclamata salus est. Sacris ritè munitus, piisque meditationibus defixus vivere desiit die 19. Novembris anni 1720., annum quum ageret 75. mens. 1. dies 2. Corpus ejus translatum, humatumque fuit ad suam Titularem Ecclesiam *S. Petri ad Vincula*, ut ipse Testamento suo caverat. Ibi solemni ritu, & adstante sacro Cardinalium cœtu justa exequialia peracta sunt.

Apud eximium Præsulem *Nicolaum Casonum* Clericum Cameræ Apostolicæ, & Cardinalis Laurentii ex Fratre Pronepotem nonnulla extant Scripta, & opuscula multiplici eruditione referta, nec invita Minerva exarata, quæ digna profecto habentur, ut typis cudantur.



LAURENTIUS S.R.E. EPISCOPUS CARDINALIS CORSINUS
FLORENTINUS SIGNATURÆ IUSTITIÆ PRÆFECTUS
CREATUS DIE XVII. MAIJ MDCCVI.
POSTEA CLEMENS XII.
CREATUS SUMMUS PONTIFEX DIE XII. JULIJ MDCCXXX.

Eq. Petrus Leo Ghezzius delin. *Gaspar Massi sculp.*

Laurentiu Philippu de Rubeis Calcographs Vatican. Filius q. Dominici Hæredis Io. Iacobi form. R. ad T.S.M. de Pac. cũ Pr. S.P.

V.

LAURENTIUS CORSINUS Florentinus die natus est 7. Aprilis anni 1652. Patrem habuit *Bartholomæum* Marchionem de Tresana, aliisque clarum Feudis, affinitatibus, & titulis, quos præsertim in Aula Magnorum Etruriæ Ducum obtinuerat. Matrem verò *Elisabeth Strozziam* Sororem Ducis de Bagnolo, quæ filium hunc septimestrem, ut fertur, edidit. Florentiæ pervetus fuit Corsinia Familia, & egregios omni ævo belli, domique protulit viros, quos inter *Nerium* quemdam, seu forsan *Raynerium* commemorat, anno 1295. ejusdem Florentinæ Reipublicæ Vexilli ferum, & caput. Commemo- A rat etiam *Andream* Episcopum Fesulanum, Sanctorum Canoni adscriptum, *Petrum* Episcopum primo Volaterranæ Civitatis (quæ hanc Familiam inter Patricias olim suas connumeraverat) indè Episcopum Florentinum, & ab *Urbano V.* anno 1370. inter Cardinales relatum; *Nerium* Seniorem ab *Alexandro VII.* anno 1664. eidem Cardinalium Ordini adjectum, aliosque in Romana præsertim Curia laudatos viros.

Horum *Laurentius* æmulator, posito in B Patria Literarum Tirocinio, Romam indè traductus est, ubi in Seminario Romano, altiores hausit disciplinas. Demum in Patriam

re-

reversus, Pisas se contulit, atque Jurisprudentiæ addiscendæ intentum animum adjecit, & Doctoratus insignia retulit, Ut magis in eadem Legali facultate proficeret, Romam iterum transfertur sub disciplina memorati Cardinalis *Nerii* Patrui sui. Quo demum è vivis erepto, rursum domi revocatur à Patre, qui parum eo tempore proclivis erat, ad idoneos filio parandos redditus, ut Præsul in Romana Curia reciperetur. Immani quippe sumptu Fratrem aluerat, Cardinalem scilicet *Nerium*, & Patruum ejus *Octavium Corsinium*, qui postquam magnam de se expectationem injecerat, immatura morte obierat ad *Ludovicum XIII.* Galliarum Regem Legatus Apostolicus. Naturæ tandem an. 1685. *Laurentii* Pater concessit. Quo mortuo parum hæsit filius. Statim in Urbem remigrat, ut exoptaverat, atque ut Ecclesiæ inserviret.

Locuples, & rei familiaris opulentus, sub *Innocentio XI.* Præsulum ordini adscribitur. Officium comparavit, quod sub *Regentis Cancellariæ* nomine, famigeratum in Urbe est. Alterum sub *Alexandro VIII.* coemit officium, Clerici nempè Apostolicæ Cameræ, quod tunc venale exponebatur. Ab eodem *Alexandro VIII.* Ædilis renunciatur, qui Romæ vulgari nomine *Grasciæ Præses* dicitur. Ut justitiæ quacumque prospiceret, *Pomponium de Vecchis* celeberrimum Urbis Jurisconsultum accivit Assessorem, atque ut vulgo dicunt, Auditorem suum. Aliosque eruditos homines familiares habebat. Atque hoc magnifico vitæ genere utebatur, ut pietati, & Justitiæ unicè consuleret.

Tanta *Alexander VIII.* viri integritate delectabatur, ut eum ad Cæsarem Nuncium Apostolicum designaverit. Archiepiscopum etiam dixerat Nicomediæ. At vero tunc primo oborta difficultate, qua Reges candidatorum scire nomina postulabant, ut gratus ipsis Legatus accederet. Huic vero contentioni quum maximè Pontifex repugnaret; hinc factum est, ut *Corsinius* controversiæ damnum subierit, & quasi dissidii pretium extiterit. Mortuo enim *Alexandro VIII.* sub *Innocentio XII.* litigium diremptum est, ac alius Corsinii loco Viennæ Nuncius suffectus est.

Anno 1696. jacturam rependit Pontifex. Atque ad eximium munus Ærarii, seu Thesaurarii Generalis Cameræ Apostolicæ *Laurentium* admovit. Hunc etiam Magistratum objerat Patruus ejus *Nerius*, quem postea Alexander VII. inter Cardinales adlexit. Maximum ea tempestate esse cœperat Ærarii munus; suppressis enim Titulis, & Dignitatibus, quibus olim Papæ affines intumescebant, plurimum auctoritatis eidem Quæstori, seu Thesaurario Generali accreverat. Hinc maris, ut dicunt, *Commissariatu*, hinc Castri Sancti Angeli Præfectura, Thesaurarii munus cœpit amplificari. Et tamen in tanto honoris incremento, graves non defuere *Laurentio* sollicitudines. Decocto

A enim quodam Triremium conductore (*Assentistam* dicunt) qui grandem debebat pecuniam Cameræ Apostolicæ, & controversia ad Judicem delata, ab aliquibus Censoribus *Corsinius* traducebatur, quasi imminentem debitoris decoctionem potuisset præcavere. At splendida magnanimitate litigium *Laurentius* sustulit, atque ultro, & sine Judicis voce, pecuniam à decoctore debitam persolvit. Simili integritate in dies obvenientes casus sustinuit, & munus implevit toto *Innocentii XII.*

B Pontificatu, alioque sexennio sub illius Successore Clemente XI.

Anno demum 1706. in hac solemni Promotione diei 17. Maii optatum laboribus premium est assequutus, atque inter Presbyteros Cardinales relatus est sub Titulo S. Susannæ. Munus jampridem laudabiliter gestum, aliquandiu retinuit cum titulo Prothesaurarii. Sed haud multo post fortè evenit, quod Ferrariæ in Carcerem conjecto quodam Conductore Comaclensis Lacus, qui cliens, & obnoxius

C erat imperio Prothesaurarii; validè *Corsinius* injuriam conquestus est apud Cardinalem *Corradinium* tunc Papæ Assessorem. Is vero quum de læsa Jurisdictione *Corsinio* satisfacere differret, conquæstio est ad Pontificem delata. Malo tamen remedium adhiberi negligebatur. Quare offensus Cardinalis *Corsinius* sponte Magistratu se abdicavit. Raro etiam in conspectum Papæ veniebat, nisi quantum Cardinalatus officium, & dignitatis authoritas postulabat. Dolebat Pontifex virum integritate

D gravem, tanta offensionis asperitate contendere: propterea biennio vix elapso ultro eum Ferrariæ de Latere Legatum pronunciat, ut inflictum illius Jurisdictioni vulnus, suo Princeps imperio mederi posset. Utrimque magnanimitate certatum est. Nam *Corsinius* aerem timens insalubrem, oblata Ferrariæ Legatione abstinuit, & humili gratoque animo Papæ beneficium agnovit, & ad pristinam cum Cardinali *Corradinio* concordiam reductus est.

Pluribus semper Cardinalis *Corsinius* distentus in Urbe fuit muneribus. Quippè Congre-

E gationibus adscriptus fuit Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Signaturæ Gratiæ, Rerum Cœremonialium, Boni Regiminis, Propagandæ Fidei, Sacræ Consulta tionis, Fabricæ Divi Petri, Indicis Librorum prohibitorum, Riparum, & levaminis Artis Agrariæ. Et sub *Benedicto XIII.* mortuo Cardinali Scotto eidem suffectus fuit in Præfectura Signaturæ Justitiæ, assumptusque fuit ad ferendum suffragium in Congregatione S. Officii.

F Protector etiam fuit Minorum Observantium, & Reformatorum S. Francisci. Protector etiam totius Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Virginis, Hospitii Sanctissimæ Trinitatis Peregrinorum, S. Jacobi Incurabilium, Sanctissimæ Annunciationis, aliorumque in Urbe Piorum Locorum. Protector etiam erat Accademiæ Quirinorum, aliosque coetus Literarios, virosque eruditione præstantes fovebat, dili-


ge-


gebatque. Quare tot assiduis distractus curis ferè semper Domus ejus patebat omnibus. Aditu facilis, non austerus, sed obvius, & jucundus. Homines calamitatibus obrutos, vel odio, aut malevolentia pressos ultra fidem tutatus est. Quandoque hinc plurimorum subivit inimicitias. Cæterum ipse splendidè vivebat. Præsules ferè omnes Romanæ Curię, aliique Viri nobiles ad eum quotidiè sub vesperum conveniebant. Ille vero sociabilis omnibus vario sermone primam noctem trahebat. Plura etiam ibi, & quidem ardua negocia conficiebantur, Sorbilla; nobilesque potiones

A

B

advenientibus cumulatissimè largiebatur. Nulla captus lucri cupiditate, & sine Ecclesiastici Instituti læsione magnificus, & sine ostentatione verè pius. Titulum *S. Susannæ* in alterum immutavit *S. Petri ad Vincula*, demum in ordine Episcoporum Episcopus Tusculanus emeruit. Hoc illi fuit vitæ genus, quum privatim egit. Sed ejus adnitentibus meritis, quum anno 1730. ad supremi Apostolatus apicem pervenerit, fusior de eo sermo habendus erit, ut facilè intelligamus, quanto animi candore utilitati ditionis Ecclesiasticæ, & Catholicæ Ecclesiæ incremento prospexerit.





VI.

LAURENTIUS FLISCUS Genuensis ex præclarissima, vetustissimaque Familia die natus est 21. Maii 1642., atque eadem die sacris lustralibus aquis ablutus fuit in Ecclesia Sancti Laurentii illius Urbis Metropolitana. Patrem habuit *Innocentium* ex Comitibus Lavaniæ, Matrem vero *Mariam Joannam Carmagnolam* lectissimam Matronam.

Ut liberalibus disciplinis imbueretur, Parmam missus est, & in Seminario Nobilium sub cura datus Patrum Societatis Jesu. Inde Bononiam traductus est in Collegio, quod *Fliscorum* nuncupatur, & est ejus Familiæ Gentilitium. Plena demum pubertate, ex eodem Collegio educitur, & Romam accitur à Cardinali *Jacobo Franzono*, cui arcto affinitatis vinculo propinquus erat. Ductui adhærens, & Patrocinio ejusdem Cardinalis, Præsulum Romanæ Curiæ amplexus est institutum.

Parvo interjecto tempore Pro-Legatus Urbini renunciatur. Inde regendis Ditionis Ecclesiasticæ Civitatibus admovetur. Quo in munere viginti, & ultra annis laudabiliter perstitit, & cultiores Imperii Ecclesiastici Urbes prudenti suo Gubernio administravit. Anno 1679. Viterbii Civitati Prætor datus fuit. Diuturno


hoc


hoc demum exacto curriculo Romam revocatur, & à Secretis dicitur Congregationis Sacrorum Rituum. A

Anno 1691. exeunte *Alexandri VIII.* Pontificatu Prolegatus dictus est Avenionis, & totius Status Venaisini. Atque eodem ferè tempore vacanti ejusdem Civitatis Archiepiscopatui est admotus. Postquam plures per annos prænobilem illam Ecclesiam piè administraverat; anno 1702. *Clemens XI.*, qui Catholicos Europæ Principes immani inter se bello dissidentes ad concordiam reducere nitebatur, B
eum ad *Ludovicum XIV.* Gallorum Regem Nuncium extra Ordinem Apostolicum allegavit; atque ex Archiepiscopatu Avenionensi, ad alterum in Patria sua vacantem Genuæ Archiepiscopatum eum transtulit. Demum anno 1706. postquam illum Romam revocaverat, in hac solemni Cardinalium enunciatione inter Purpuratos Patres recensuit. Titulum illi attribuit *S. Mariæ de Pace*. Eum præterea Congregationibus adjecit Episcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Propagandæ Fidei; & Sacrorum Rituum. C

Tot auctus meritis, tantisque Titulis decoratus, tandem ad regendam Genuensem Ecclesiam suam alacer se contulit. Viginti annis Apostolico Ministerio piè, ac prudenter incubuit. Tandem die prima Maii anni 1726. naturæ concessit annum agens octogesimum quartum. Solemni pompa, publicaque Serenissimi Magistratus, & Populi mœstitia in Metropolitana Sancti Laurentii, atque in Sacello S. Georgii conditum est in sepulcro Majorum cum hac Epigraphe.

LAVRENTIO FLISCO S. R. E. CARDINALI
PER ANNOS XXIII.
IN ROMANIS MVNERIBVS PRÆLATO
TRIENNIVM
AD CHRISTIANISSIMAM MAIESTATEM NVNCIO
PER XV. ANNOS AVENIONENSIVM
PER XX. GENVENSIVM
ACCEPTISSIMO ANTISTITI
QVADRIENNIO SVPRA OCTOGESIMVM
VITA FVNCTO
MOESTISSIMVS FRATER HECTOR MDCCXXVI.





FRANCISCVS S.R.E. EPISCOPVS
CARDINALIS AQVAVIVA DE ARAGONIA
NEAPOLITANVS
CREATVS DIE XVII. MAIJ MDCCVI.
Obijt die 8. Ianuarij 1725.

Petrus Nellus Pinxit — *Hieronymus Rossi Incidit*

Cura, et sumptibus Dominici de Rubeis Romæ ad Templum S. Mariæ de Pace cum Priu. Sum. Pont.

VII.

FRANCISCUS AQUAVIVA DE ARAGONIA Neapolitanus filius *Josiæ III.*, qui fuit XIV. Dux Atriæ in Aprutio, & *Franciscæ Caracciolæ* ex Principibus *de Torella*, die natus est 13. Januarii anni 1665. *Octavii* Cardinalis *Aquaviva* ex Fratre Nepos erat; alterius vero, & Senioris *Octavii*, necnon *Julii* Cardinalium, & Germanorum Fratrum Pronepos; demum *Joannis Vincentii* Cardinalis abnepos fuit (*a*) Sic præclara Gens Aquavivia tot per sæcula pollens opibus, maximisque Dignitatibus, supremos etiam Ecclesiæ Titulos adepta est.

Franciscus ab egregiis istis Genitoribus optima institutus educatione, & ab eruditis Civitatis Neapolitanæ præceptoribus rudimenta edoctus literarum, imberbis Romam venit sub disciplina *Octavii* Cardinalis, & Patrui sui. *Innocentii XI.* Cubicularius honoris dictus, deindè inter Referendarios utriusque Signaturæ connumeratus, brevi ab eodem Pontifice Pro-Legatus Ferrariæ renunciatur. Ab *Alexandro VIII.* Innocentii Successore Quæsitor Fidei in Insulam Melitensem allegatur. Et ab *Innocentio XII.* honorificè revocatus,

Cle-

(*a*) Storace Historia Familiæ Aquaviva. Hughell. in Ital. Sac. Victorell. ad Ciaccon. in Vita Octavii Aquaviv. Tom. 4. pag. 231.

Clericus dicitur Cameræ Apostolicæ; sed quum majora in dies ederet *Franciscus* probitatis, & prudentiæ specimina, ad majora eum evehere idem *Innocentius* decreverat. Hinc Præfectum eum primò dixit suo Cubiculo Apostolico, deindè vacante in Hispaniis Apostolica Nunciatura ob Promotionem *Josephi* Cardinalis *Archinti*, ad hoc præclarum munus impeditissimis temporibus illum admovit, & Archiepiscopum Larissæum pronunciavit. Exeunte itaque anno 1699., quo Catholicus Rex *Carolus II.* graviter ægrotabat, animoque Pontificis, post memorati Regis interitum, plurima obversabantur Europæ futura discrimina, *Franciscus* electus est, ut Apostolicum Ministerium obiret.

In Hispaniis fidissimus Ecclesiæ administer fuit, strenuus ejus jurium assertor, nec tamen Regi displicuit, quinimo ejus sibi gratiam conciliavit. Eamdem prorsus, & majorem sui admirationem fecit, mortuo *Carolo II.*, apud *Philippum V.* hæredem illius ditissimi Imperii. Regem in Hispaniis undique Bello agitatum, & hostium impetitum insidiis, vel in aula, vel in Castris sequutus est. Tantamque *Philippus* Rex fidem habuit Nuncio Apostolico, ut carissimam conjugem suam *Reginam Mariam Aloysiam* è Sabaudia uni soli crederet *Francisco Aquaviva*. Hanc sub sola quingentorum equitum tutela, ac præsidio per tela, per hostes *Franciscus* eduxit, atque in tuto collocavit.


Clemens XI. meritis excitatus egregii viri, eum in hac solemni Promotione diei 17. Maii anni 1706. ad Sacram Purpuram evexit sub Titulo Presbyterali *S. Bartholomæi in Insula*, quem dimisit die 28. Junii 1709. optans Titulum *Sanctæ Cæciliæ*. Romam redux ejus prætiosa supellex naufragium passa est. Quod quidem omen fuit futurarum ejus calamitatum. *Joannes Hieronymus* quippè Frater ejus, & Dux Atriæ XV. fortunæ adhærens *Philippi V.* Patriam suam vidit, totumque Neapolitanum Regnum armis subactum Austriacis. Ipse verò amplissimo suo orbatus Patrimonio erravit sine foco, & lare, & Romam cum parvulis filiis se recepit, apud amantissimum Fratrem perfugium quærens. Ut tamen per ætatem licuit, parvulos hos Patrui pietate enutritos, & rudimentis imbutos literarum, in Hispaniam misit, iique maximis a Rege beneficiis sunt affecti.

Ab eodem Catholico Rege Cardinalis *Franciscus* Protector primum Regnorum Hispaniæ dictus est, deindè etiam Regius in Urbe Administer. Res illius peramplæ Monarchiæ adeò feliciter direxit, ut majorem in dies Hispani Regis benevolentiam promeruerit, & Summis Pontificibus gratus extiterit. Illius præsertim dexteritate, & consilio maturatum, faustumque ad exitum perductum est novum *Philippi* Regis matrimonium, quod mortua prima ejus Uxore cum *Elisabeth Farnesia* contraxit. Maxima hinc *Francisco* & gratiæ, & beneficiorum accessio obvenit.

Ecclesiam *S. Cæciliæ* Titularem suam magnifico sumptu reparavit, eximiisque auxit ornamentis. Quod quidem tam gratum accidit Summo Pontifici *Benedicto XIII.*, ut illi licèt ad Episcopatum Sabinensem evecto, retentionem hujus Tituli specialiter indulserit.

Congregationibus adscriptus fuit Sac. Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Sacræ Consultationis, Rituum, & Rerum Consistorialium. Comitiis adfuit *Innocentii XIII.*, & *Benedicti XIII.* Tandem anno 1725. die 8. Januarii ex hac vita decessit quum sibi hæredem scripsisset Ducem Atriæ ex Fratre Nepotem suum; & in eadem Sanctæ Cœciliæ Ecclesia tumulatus est, cum hac memoria, quam sibi vivens paraverat.

FRANCISCVS S.R.E. CARDINALIS DE AQVAVIVA
ET ARAGONIA EPISCOPVS SABINENSIS
HVIVS ECCLESIÆ COMMENDATARIVS
SACRIQVE CÆNOBII
AC OMNIVM HISPANIÆ REGNORVM
APVD SANCTAM SEDEM PROTECTOR
IN TEMPLO DECOREM DILEXIT ET AVXIT
PROPE CARDINALIS OCTAVII
PATRVI SVI CINERES HIC MONVMENTVM
SIBI VIVENS POSVIT
ANNO IVBILÆI MDCCXXV.
OBIIT DIE VIII. MENSIS IANVARII MDCCXXV.
ÆTATIS SVÆ AN. LIX. MENS XI. DIES XXV.



VIII.

THOMAS RUFUS NEAPOLITANUS die natus est 15. Septembris anni 1663. Parentes habuit eximios, ac Patricios, nempè Carolum Rufum Ducem *Balneariæ* in finibus Brutiorum cum Ditione plurima, & magna Clientum multitudine, Matrem vero *Andreanam Caracciolam*, *&* *Avalos* lectissimam Matronam. Sexdecim annos natus Romam traductus est, atque in Collegio Clementino sub cura Clericorum Regularium de Somascha gravioribus disciplinis intentum animum adjecit.

Hoc exacto tyrocinio, ut moribus integerrimis imbueretur, consilio potissimum usus est

A Fratris *Thomæ Rufi* Patrui sui tunc in Dominicana Familia Christianis virtutibus præclari. Is postquam majores sui Ordinis Magistratus laudabiliter objerat, ejusdemque Ordinis Procurator Generalis extiterat, reluctante universo Prædicatorum cœtu, apud quem maximum sui desiderium reliquerat, ab *Innocentio XI.* ad Barensem Episcopatum assumptus, eximia pietate claruit, & singulari vitæ severitate. Sub eo *Thomas* infixam animo Religionem percoluit, & liberales facultates introspexit.

B Hinc ipsius Patrui adhæsit vestigiis, aliorumque majorum suorum Ecclesiasticis dignitatibus il-

illuſtrium, qui ex hac vetuſtiſſima Familia prodierunt. Quos inter *Petrus Rufus* affulget anno 1118. à *Gelaſio II.* inter Cardinales relatus, & *Raymundus* ſive *Raynerius* ex ea Ruforum progenie, quæ Galliæ conſedit (*a*), quem *Joannes XXII.* anno 1320. Cardinalium cœtui adſcripſit.

Thomas igitur, ut Eccleſiaſticum arriperet inſtitutum, impenſam legali facultati navavit operam. Et tantam ſibi in Urbe prudentiæ & eruditionis famam conciliaverat, ut idem *Innocentius XI.*, eum Bruxellas Internuncium allegare decreverit. Sed ille, ut ſtudia bene cœpta naviter proſequeretur, dignitatem ultro oblatam modeſtiſſimè recuſavit.

Ineunte *Innocentii XII.* Pontificatu inter Præſules Romanæ Curiæ cooptatus, referendis in Signatura Gratiæ, & Juſtitiæ libellis adjicitur. Anno 1693. Æmiliæ Pro-Legatus dictus eſt, quo tempore Cardinalis *Fortunatus Carafa*, Titulo decoratus de Latere Legati, Neapolim agebat. Hinc vices etiam obivit ejuſdem Cardinalis Legati, & cum maxima imperii facultate Provinciam adminiſtravit. Id vero præſtitit adeo ſcite, & prudenter, ut nedum Summi Pontificis, & ipſius Cardinalis Legati approbationem meruerit, ſed populari etiam plauſu exceptus fuerit. Quinimo ipſi Provinciæ Epiſcopi, cum quibus nonnullas habuit contentiones propter exercitam in Clericos Juriſdictionem, quam Cardinales de Latere Legati hactenus exercere conſueverant, ejus prudentiam, & Fidei integritatem maximis laudibus extulerunt.

Anno 1694., in Inſula Melitenſi Fidei Quæſitor renunciatus, adeo utile Sanctæ Sedi, & ipſi Ordini Hieroſolymitano Miniſterium exhibuit, ut brevi ad concordiam reduxerit eumdem Equeſtrem Ordinem cum Republica Genuenſi veteri inimicitia diſſidentem. Graves utrinque obortæ contentiones huc tandem pervenerant, ut nobiles Genuenſes ab aſſumenda illius Ordinis veſte prohiberentur, & naves utriuſque ditionis, ſi fortè viciſſim obviarentur, hoſtiliter ſe haberent. Omnium propterea exiſtimationem nactus, raro quidem exemplo, litem diremit, & tamquam Judex pronunciavit in quadam Cauſa contra unum ex Equitibus illius Ordinis agitata. Vetus enim conſuetudo inoleverat, ut iiſdem Equitibus Hieroſolymitanis Romam provocandi Jus eſſet, vel iis tamquam ſponte comparentibus Urbis Tribunalia paterent. Quadriennio hujus Miniſterii laudabiliter exacto, ſingulari Comitatis, & benevolentiæ officio *Raymundus de Perillos* ſupremus Ordinis Magiſter illi ab Inſula recedenti, duas inſtructas Triremes aſſignavit, ut eum in Trinacriam deducerent.

Anno 1696. Meſſanam appulit. Et Nuncius Apoſtolicus effectus apud Magnum Etruriæ Ducem, brevi Florentiam ſe contulit. Jura S. Sedis, atque Eccleſiæ Immunitatem ſervavit, pluribus antea nominibus impetitam. Indè illi Jure eligendi oblato an ad Cæſarem, vel ad Hiſpanos Nuncius Apoſtolicus vellet proficiſci, poſtquam utrumque Principem aſſentientem invenerat, ac poſtquam ad Hiſpanos profectionem paraverat, quum Romæ munus vacaſſet Præfecti Cubiculo Apoſtolico, hæc ſtatim illi dignitas à Pontifice delata eſt. Libens occaſionem amplexus eſt *Innocentius XII.*, ut virum ſibi acceptiſſimum paterna cominus benevolentia proſequeretur. Tanto eum præterea amore, atque æſtimatione eſt proſequutus, ut ſpes *Thomæ* certiſſima affulſerit, quod ſi per Cardinalium promotionem Sedes *Innocentius* impleviſſet, quas vacuas in Sacro Senatu reliquit, inter Cardinales & ipſe relatus fuiſſet.

Mortuo *Innocentio XII.*, Eum *Clemens XI.* in munere confirmavit Præfecti cubiculo Apoſtolico. Biennio indè vix exacto Neapolitanæ Urbis Archiepiſcopum renunciavit: *Rufus* vero ingenita fretus modeſtia, & Apoſtolicum Miniſterium reformidans, precibus, ac lacrymis à Pontifice impetravit, ut inviſum à ſe honorem averteret. Demum in hac ſolemni Cardinalium enunciatione eum in S. Senatum invexit. Titulum illi attribuit Presbyteralem *S. Laurentii in Pane, & Perna*, eumque Congregationibus adjecit Propagandæ Fidei, Sacræ Conſultationis, Viſitationis Apoſtolicæ, Aquarum, & Rerum Cæremonialium.

Anno 1709. Æmiliæ de Latere Legatus dictus eſt mox anno 1710. Ferrariæ de Latere item Legatus pronunciatus, eo anno utramque Provinciam ſolertiſſimè adminiſtravit. Inde Ferrariam petens, huic præſertim Civitati, & Provinciæ quadriennio, & ultra utiliter præfuit. Supra tercentum millia Ducatorum æris alieni exſolvit, quod ea Civitas contraxerat occaſione, qua à Germanis militibus laxiori obſidione ſepta fuerat; tribus inſuper vectigalibus, quibus ea de cauſa Ferrarienſes gravabantur, Civitatem exoneravit.

Anno 1714. Romam remeavit; ſed anno 1717., quum nuper vacaſſet Epiſcopatus Ferrarienſis, illumque nonnulli Cardinales recuſaſſent, quod graviſſimæ penſionis onere premeretur, Cardinalis *Rufus*, qui pluries Neapolitanam Eccleſiam accipere renuerat, Pontificis imperio, jugum Domini patiens ſubivit. Plauſu, ac lætitia incredibili eum Ferrariæ Civitas reducem ſuſcepit. Uno ſupra vigeſimum anno, quibus Paſtorali ſollicitudini naviter incubuit, Eccleſiam Cathedralem ab Anteceſſore Cardinali *del Verme* jam inchoatam abſolvit, novum Palatium Epiſcopale erexit, Seminarium fundavit pro centum, & ultra alendis adoleſcentibus idoneum, duas Villas Suburbanas extruxit, aliaque mirifice geſſit ſumptu, ac magnificentia incredibili.

Ab

(*a*) Hic Raymundus, ſeu Raynerius certè Ruffus nuncupatur a *Panvinio* & *Ciacconio*. Erraſſe itaque videntur *Petrus Frizon* in Gallia Purpurata, & alii, qui eum *Rufum*, non *Ruffum* vocant forta ſe propter literarum, quibus utrumque nomen componitur ſimilitudinem, vel quia non ita facile eædem Literæ in antiquis Codicibus internoſci poſſint.

Ab *Innocentio XIII*, anno 1721. vix ad Apostolatum assumpto Bononiæ de Latere Legatus dictus est, quum adhuc Ferrariensis esset Episcopus. Triennio hujus Legationis exacto, Imperium illi prorogatum fuit ad aliud triennium à *Benedicto XIII.* novo in Pontificatu Successore. Plura in Bononiensem Provinciam beneficia contulit. Sex & ultra millibus annuorum scutorum publicos auxit proventus. Vectigal quoddam suppressit, quo mola Annonaria premebatur. Postremo hujus Legationis anno *Jacobum III.* Magnæ Britaniæ Regem Bononiæ considentem omnibus percoluit comitatis officiis. Cum eo ardua quædam gliscentia negocia tam feliciter peregit, ut & Summus Pontifex Viri prudentiam suspexerit, probaveritque; & Rex ipse Britannicus maximam cum eo familiaritatem instituerit.

Absoluta Bononiensi Dictatura anno 1727., ad suum Ferrariæ Episcopatum se recepit. Sed vacante iterum ea Legatione, illi rursum Cardinalis *Rufus* præficitur. Quadriennio, & ultra hanc novam Dictaturam exercens, utrumque Imperium in se conlatum in publicam utilitatem convertit. Alterum Vectigal substulit Annonariæ item molæ inhærens; publicosque item proventus amplificavit. Ecclesiam vero Sponsam suam novis item beneficiis cumulare non destitit. In Concilio Lateranensi, eamdem Ecclesiam à servitute exemit, quam illi Ravennæ Archiepiscopus prætenso Jure Metropolitico dudum imponere moliebatur. Atque ut hanc penitus controversiam evelleret, in Pontificatu *Clementis XII.* Ferrariensem Cathedram in Archiepiscopalem erigi obtinuit. Litem etiam in Tribunali Rotæ Romanæ diu agitatam Judicio vicit, obtinuitque, ut in quatuor mensibus Ordinario reservatis libera Beneficiorum collatio Archiepiscopo competeret, nullamque sibi Jurisdictionem capitulum Ferrariense, ut acriter contendebat, assumeret.

Tantis demum in illius Ecclesiæ, & Provinciæ functus laboribus, ex quibus non parum suam valetudinem attriverat, bisque pertinaci morbo tentatus, parum recreatus emerserat; tandem à *Clemente XII.* Anno 1738. impetravit, ut eamdem Ecclesiam dimitteret.

Eodem anno 1738. Romam se contulit, & quum jampridem ex Titulo *S. Laurentii in Pane, & Perna* alterum optasset *S. Mariæ Transtyberim*, & postea ad Episcopatum Prenestinum transiisset; mortuo mox hoc eodem anno Cardinali *Francisco Barberino*, quum illi Cardinalis Ottobonus suffectus fuerit in Episcopatu Hostiensi, & Veliterno; Cardinalis Rufus Episcopatum Portuensem obtinuit. Tandem anno 1740. mortuo eodem Cardinali *Petro Ottobono*, ipse Decanus evasit Sacri Collegii.

Vaticana celebravit Comitia pro electione *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.*, *Clementis XII.*, & Benedicti XIV. Quo vix ad Apostolatum evecto, statim Vice-Cancellarius S. R. E., & Secretarius Sanctæ, & universalis Inquisitionis assumptus est. Tanta in Orbe Christiano, & apud Purpuratos Patres pollet existimatione, ut in duobus hisce postremis Conclavibus ferè Summus Pontifex visus fuerit. Sed Divinæ obediens Providentiæ, vigilem, felicemque senectutem in Ecclesiæ utilitatem, quocumque à Deo vocatur, impendit. Anno 1750. universæ Christifidelium expiationi decreto, tamquam Cardinalium Decanus de Latere Legatus dictus, Portam Sanctam aperuit Basilicæ S. Pauli; eamque solemnitatem absolvit Religione, ac majestate singulari.

Porro septimum supra octogesimum gerit annum, nec à susceptis pro Ecclesia laboribus adhuc desistit. Congregationibus, quas nactus fuit, adest assiduus, atque omnia solertissimo Cardinali impendentia munera sedulò exequitur. Dignus propterea, ut tanta Divinæ largitatis dona adhuc in commune bonum diutius conferre possit.



Ho-



HORATIVS PHILIPPVS S.R.E. PRESBYTER
CARDINALIS SPADA LVCENSIS
NVNCVPATVS S.HONVPHRII EPISCOPVS AVXIMI
CREATVS DIE XVII.MAIJ MDCCVI.
Obiit die 28 Iunij 1724.

Anton. Odatius Pinxit — *Hieronymus Rossi Incidit*

Cura et sumptibus Dominici de Rubeis Romæ ad Templum S. Mariæ de Pace cum Priuil. Sum. Pont.

I X.

HORATIUS PHILIPPUS SPADA Lucensis die natus est 21. Decembris anni 1659. ex *Francisco Spada*, & *Anna Maria Orsetti* lectissima Matrona. Præclara vero Familia *Spada* in pluribus Italiæ Civitatibus propagata, opibus ubique fulget, & conspicuis affinitatibus.


A *Horatius Philippus* ex Fratre Pronepos erat *Joannis Baptistæ Spada*, quem *Innocentius X.* in Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium invexerat. Is vero Nepos fuit alterius *Joannis Baptistæ Spada* celebris Advocati Consistorialis, qui suas in Jure lucubrationes Typis edidit, & quas in tria volumina digestas habemus sub Titulo *Consilia Spadæ*. Sub cura igitur *Joannis Baptistæ* Cardinalis, & Propatrui sui *Horatius* Septennis Romam venit. In Seminario Romano sub disciplina Patrum Societatis Jesu, nedum Rudimenta literarum feliciter posuit, sed Rethoricam etiam, Philosophiam, & Theologiam lustravit. Indè ad majora properans, Jurisprudentiæ sedulo incubuit, & in Romana Universitate lauream Doctoralem promeruit.

B Factus indè Cubicularius honoris Innocentii XI. ad afferenda Cardinalatus insignia *Francisco* Cardinali *Bonvisio* eligitur. Viennam ergo in Austria se contulit, pileolumque tradi-

dit eidem *Bonvisio* Civi suo, quem per annum, & ultra intima junctus amicitia, familiariter coluit. Romam redux diù perstitit vacuus honoribus, & dignitatibus, impensum tamen legalibus disciplinis adjunxit animum. Sed in Pontificatu *Innocentii XII.* Bruxellas Internuncius allegatur. Ibi tribus permansit annis; nec segnem, nec inutilem Sanctæ Sedi operam navavit; & Missiones Apostolicas in illis regionibus strenue propagavit. Traductus indè fuit Coloniam Agrippinam in munere Nuncii Apostolici, & Archiepiscopus Thebarum est renunciatus. Dictus etiam fuit Plenipotentiarius Papæ in Conventu Rysvvicensi in Batavia, qui pro pace inter Catholicos Principes ineunda habebatur. Sessionibus tamen adesse destitit, ne pax protraheretur, quia ipsi Batavi, & Angli ejus admissioni obsistebant. Tertia ornatus Legatione ad Sarmatas abiit Nuncius Apostolicus. Perhumaniter exceptus fuit ab *Augusto II.* Saxonum Duce, qui iisdem temporibus Poloniæ Rex fuerat inauguratus. Ardebant ea tempestate exitialia illa Bella cum *Carolo XII.* Svecorum Rege; quæ Daniæ, Livoniæ, Moscoviæ, Sarmatiæ, & Magnæ Germaniæ parti terrorem injecerant. Hac occasione gravia *Horatius* perpessus est incommoda. Regem enim *Augustum* frequenter sequebatur in Castris, sub dio. A *Clemente XI.* Nuncius etiam destinatus fuerat ad Leopoldum *Cæsarem* anno 1702., ut cum eo de pace ageret, & publicam Europæ tranquillitatem restitueret, quam bella turbaverant propter successionem Hispanicæ Monarchiæ susceptam, sed ob simultates, & suspiciones obortas Viennæ a Cæsare receptus non fuit.

Tandem *Clemens XI.* in hac solemni Promotione diei 17. Maii anni 1706. debitum laboribus præmium ipsi attribuit, eumque inter Presbyteros Cardinales recensuit sub Titulo *S. Honuphrii*. Eum præterea adscripsit Sac. Congregationibus Concilii, Episcoporum, & Regularium, Immunitatis Ecclesiasticæ, & Propagandæ Fidei. Ad Episcopatum etiam Lucensem Patriæ suæ usque ab anno 1704. admotus fuerat, quo perrexit die 18. Aprilis anni 1707., septemque sequentibus annis lectissimam illam Diæcesim sanctissimis legibus emendavit, & moribus intaminatis condecoravit. Sed anno 1714. Episcopatum dimisit, & Romam veniens ad alterum Auximi Episcopatum translatus fuit. Ibi proprio sumptu Seminarium erexit, Xenodochium instauravit, atque optimi Pastoris vices omnes decennio explevit.

Comitiis adfuit *Innocentii XIII.*, in cujus postremo Conclavi adversa cœpit valetudine conflictari. Demum apoplexiæ ictu correptus die 28. Junii anni 1724. interiit. Ejus Cadaver ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Porticu delatum fuit, justisque exequialibus solemni ritu expiatum. Deinde ad Ecclesiam S. Crucis Nationis Lucensis, cujus ipse fuerat Protector, translatum, ibidem sepultum fuit.



PHI-



X.

PHILIPPUS ANTONIUS GUALTIERIUS Urbevetanus in Civitate Firmi natus est die 24. Martii anno 1660; quo tempore Parentes ejus in hac Civitate morabantur apud Cardinalem *Carolum* Gualterium eorum Patruum, & ejusdem Civitatis Archiepiscopum. Patrem habuit *Gualterium Stanislaum* Marchionem de Crognolo, aliisque ornatum titulis à *Philippo V.* Hispaniarum Rege, & ab *Jacobo III.* Magnæ Britanniæ Rege; Matrem autem *Annam Mariam Cioli* Patritiam Tudertinam. At Gualtieria domus vetustissima pollet nobilitate, strenuosque viros omne per ævum emisit. A Nonnullos etenim belli gloria claros enumerat, nonnullos etiam Infulis, aliisque Ecclesiæ Dignitatibus præstantes. Quos inter præ cæteris recensendus est *Sebastianus Gualterius* Episcopus Viterbiensis, ad *Henricum II.*, & *Franciscum II.* Galliarum Reges Nuncius Apostolicus, qui in OEcumenica Synodo Tridentina eximia claruit eruditione, maximaque dexteritate difficultates superavit, & ab ipso Galliarum Rege, à Cardinali de Lotharingia, & ab aliis Principibus viris passim B objectas (*a*).

Ætatem nactus idoneam officiis Christiano ho-

(*a*) Card. Pallavicinus in Hist. Conc. Trid. lib. 15. num. 7., & num. 131., & lib. 19. num. 14. 15. 27., & seq. & alibi passim.

hominî impendentibus ſedulo Philippus imbutus fuit; & ſub diſciplina memorati Cardinalis *Caroli* Propatrui ſui in Civitate Firmana prima didicit literarum rudimenta. Deindè grandior factus, Romam mittitur in Collegio Clementino ſub cura Clericorum Regularium Congregationis de Somaſca. Ibi eloquentiæ incubuit; Philoſophiam, & Mathematicam luſtravit. Sic clariſſimis imbutus diſciplinis Firmum revertitur apud *Giannottum Gualtierium* Patruum ſuum, qui per dimiſſionem factam ab ipſo Cardinali *Carolo*, in eodem Firmano Archiepiſcopatu ſucceſſerat. Theologiæ, atque Iuriſprudentiæ intentum animum adjecit; & in publica illius Civitatis Univerſitate Lauream doctoralem utriuſque facultatis obtinuit.

Idoneus ipſe habitus ad publica quæque munia capeſſenda, Romam rediit, & practicæ Juriſprudentiæ navavit operam apud Civem ſuum *Dominicum Tauruſium*, tunc Romanæ Curiæ Advocatum, & poſtea Cardinalem. Anno 1685. die 11. Januarii in Pontificatu *Innocentii XI.* ampliſſimo Romanorum Præſulum ordini adſcriptus fuit. Ab eodem Pontifice Urbis ſeptempedanæ primum, deindè Fabriani, & demum Æſii Gubernio admovetur. Tribus hiſce Magiſtratibus laudabiliter exactis, ab *Alexandro VIII.* Camerini Civitati Gubernator iterum datur.

Denique Apoſtolatum tenente *Innocent. XII.* Lauretum mittitur; dumque huic Gubernio ſedulam navabat operam, Viſitator etiam datus eſt Provinciæ Marchiæ. Indè ab eodem Pontifice Præſes Viterbii renunciatus, univerſæ Provinciæ Patrimonii laudabiliter præfuit. Demum Avenionenſis Pro-Legatus efficitur, ibique quadriennio Juſtitiam coluit, & Gallos finitimos omni officiorum genere ſibi devinxit. Quare gratiſſimum illis fuit, quod evectus ad Archiepiſcopatum Athenarum, ad Chriſtianiſſimum Regem *Ludovicum XIV.* Nuncius Apoſtolicus ipſe allegaretur.

Clemens XI. dum Gallicam Nunciaturam ſtrenuè *Gualtierius* gerebat, Epiſcopatui Forocornelienſi illum præfecit; deindè in hac ſolemni promotione diei 17. Maii anno 1706. inter Presbyteros Cardinales eum recenſuit ſub titulo *S. Chryſogoni*. Paucis ab ejus promotione menſibus, Romandiolæ de Latere Legatus efficitur. Deindè ex Epiſcopatu Forocornelienſi ad Tudertinum eum tranſtulit. Et hunc itidem anno 1714. dimiſit.

Romam redux Congregationes, quibus adſcriptus fuerat, frequentavit. Sortitus autem fuerat Sac. Congregationes Concilii Tridentini, Epiſcoporum, & Regularium, Propagandæ Fidei, Sacrorum Rituum, Indicis Librorum prohibitorum, Avenionenſem, & Lauretanam, & Rerum Conſiſtorialium. Protector etiam fuit Magnæ Britanniæ, pluriumque in Urbe locorum piorum.

A Ludovico XIV. Regio Militari Ordine S. Spiritus inſignitus fuit. Pinguia deindè obtinuit Sacerdotia Sancti *Remigii*, & *S. Victoris* Pariſienſis Diæceſeos. Titulum, quem ab initio nactus fuerat, pluries immutavit. Demum Romæ obiit die 21. Aprilis anni 1728. Corpus ejus ad Eccleſiam Titularem *S. Praxedis* tranſlatum, ibique loco depoſiti reconditum, poſtquam juſtis exequialibus expiatum fuerat adſtante Summo Pontifice *Benedicto XIII.*, & Sacro Cardinalium Cœtu, demum ad Eccleſiam Urbis Veteris Cathedralem translatum fuit, ibique ſepultum in Sacello ejus Familiæ gentilitio cum hac Epigraphe.

PHILIPPVS ANTONIVS GVALTERIVS
PRIMO VTRIVSQVE SIGNATVRÆ
REFERENDARIVS
MOX PLVRIVM VRBIVM
PROVINCIARVMQVE MODERATOR
VICELEGATVS AVENIONENSIS
ARCHIEPISC. ATHENARVM
ET APVD CHRISTIANISSIMVM
FRANCORVM REGEM NVNCIVS APOSTOLICVS
S. R. E. CARDINALIS
ROMANDIOLÆ DE LATERE LEGATVS
ANGLIÆ PROTECTOR
ET REGII ORDINIS S. SPIRITVS COMMENDATOR
OBIIT DIE XX. APRILIS ANNI MDCCXXVIII.


Eques Pet. Leo Ghezzi invenit et del. — Hier. Rossi incidit



IOSEPH S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS
VALLEMANVS FABRIANENSIS
CREATVS DIE XVII. MAIJ MDCCVI.
Obijt die 15. Decembris 1725.

Antonius Odatius Pinxit *Hieronymus Rossi Incidit*

Curâ et sumptibus Dominici de Rubeis Romæ ad Templum S. Mariæ de Pace cum Privil. Summi Pont.

X I.

JOSEPH VALLEMANUS Fabrianensis die natus est 9. Junii anni 1648. ex nobilibus Parentibus, nempè ex *Raynaldo Francisco*, & *Magdalena de la Genga*. Puer ad Literarum rudimenta addiscenda optimis usus est præceptoribus. Deinde pubertatem adeptus in Seminario Romano sub cura Patrum Societatis Jesu gravioribus facultatibus addiscendis intentum animum adjecit. Demum in Universitate Maceratensi studio incubuit Jurisprudentiæ, in eaque quum annum ageret 22., Laurea Doctorali honestatus fuit.

Romam redux sors illi contigit, ut inter Aulicos Cardinalis *Æmilii de Altieriis* recipe- A retur. Quo paulo post ad Apostolatum evecto, & ipse *Secretus*, ut dicunt, Cubicularius, & Papæ Pincerna dictus est. Pluribus aliis Pontificia largitate affectus est beneficiis. Nam Vaticanæ Basilicæ renunciatus est Canonicus, & Custos Tabularii in Arce S. Angeli asservati.

Mortuo *Clemente X.* Præsulum Ordini Romanæ Urbis adscribitur, & ab *Innocentio XI.* Congregationis SS. Rituum eligitur à Secretis. Aliquot interjectis annis graviori Magistratui præficitur; Congregationi nempè S. Immunitatis datus est Secretarius. B Hoc in munere toto permansit *Alexandri VIII.*, & *Innocencentii XII.* Pontificatu. At evecto ad Aposto-

latus

latus fastigium *Clemente XI.* Anno 1702. à Secretis etiam dictus est disciplinæ Regularium, novumque hoc munus cum altero retinuit Immunitatis Ecclesiasticæ. Titulo etiam Archiepiscopi Atheniensis decoratus est. Tandem die 17. Maii anni 1706. amplissimo Cardinalium Ordini adjectus est. Diu tamen *Clemens XI.* ejus promulgationem servavit. Et ut ejus electionem à quacumque censuræ animadversione purgaret, antequam eum evulgasset, Præfectum esse jussit Domui Pontificiæ. Postquam ergo quindecim mensibus maximo hoc munere functus est, *Vallemanus* die primo Augusti anni 1707. evulgatus est Cardinalis sub Titulo Presbyterali *S. Mariæ Angelorum*,

A Congregationibus adscribi meruit Sancti Officii, Immunitatis Ecclesiasticæ, S. Rituum, Propagandæ Fidei, Boni Regiminis, Disciplinæ Regularium, Residentiæ Episcoporum, & Indicis Librorum prohibitorum. Comitiis adfuit Vaticanis pro electioue *Innocentii XIII.*, *& Benedicti XIII.* Protector fuit totius Ordinis Minorum Conventualium Sancti Francisci. Demum annum agens 78. die mortuus est 15. Decembris anni 1725. Corpori ejus justa exequialia peracta sunt in Ecclesia SS. XII. Apo-

B stolorum à Sac. Cardinalium Collegio, & à Summo Pontifice *Benedicto XIII.*, ibique sepultum est.



Christianus Augustus è Ducibus Saxoniæ
Episcopus Iaurinensis, S.R.E. Præsb. Cardinalis
Creatus in Consistorio Secreto die 17. May 1706.
Obijt die 22. Augusti 1725.

Dominicus de Rubeis Formis Romæ ad Templum Pacis cum Priu. S. P. 10

XII.

CHRISTIANUS AUGUSTUS E DUCIBUS SAXONIÆ Germanus, fuit Filius *Mauritii* Ducis de Saxe Zeits, & Comitis de Henneberg, & *Dorotheæ de Vveymar*; in lucem editus est die 9. Octobris 1666. Regiis ortus natalibus, Lutheri tamen erroribus imbutus fuerat, & ad arma instruebatur. Ut vero piam indolem, ingeniumque nactus fuerat, Divinis rebus addictum, ita nec arma tractare, nec diu in falsa Religione versari passus est. Et quo magis studia profitebatur juxta Parentum institutionem, magis etiam Lutheri errores odio prosequebatur.

Vix itaque pubertatem egressus, ejuratis A erroribus, in quibus natus erat, Catholicam Fidem amplexus est, habitumque induit Clericalem. Hoc quidem gratissimum accidit *Leopoldo* Cæsari, qui juvenem hunc zelo Religionis, & morum integritate fulgentem omnibus benevolentiæ officiis est prosequutus. Etenim postquam eum Coloniensis primum Ecclesiæ, deinde diversis temporibus Salisburgensis, Eistadiensis, Ratisbonensis, & Monasteriensis item Ecclesiæ Canonicum dixisset, eum tandem anno 1696. ad Episcopatum B Jaurinensem in Hungaria admovit, ubi ipse vigilantissimi Pastoris curas omnes implevit. Templa instauravit, mores Clericorum emenda-

davit, & Fidem Catholicam Romanam propagavit.

Clemens XI., & ipſe, ne tantæ deeſſet virtuti, eum ſuprema Eccleſiæ dignitate decorandum cenſuit; atque in Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium invexit hoc die 17. Maii anni 1706. Novis inſuper auctus à Cæſare beneficiis, ſequenti anno 1707. ex Jaurinenſi Epiſcopatu ad Strigonii Archiepiſcopatum transfertur. Primas totius Hungarici Regni renunciatur. Fidiſſimus etiam Auſtriacæ Domus Conſiliarius, maximâ integritate, ac fide Imperii arcana tractavit, & rebelles Hungariæ compeſcuit. Carolum VI. Cæſarem ſacro fœdere junxit cum Eliſabeth Chriſtina Principe Gueferbitana, eorumque nuptiis benedixit. Eoſdemque Principes anno 1712. ad inſignia Hungarici Regni capeſſenda Poſonium accedentes coronavit, & Regium Diadema eorum capitibus ſuperimpoſuit.

Tandem quum anno 1716. munere ornatus Plenipotentiarii, Cæſaris nomine ad Comitia Imperii generalia Ratisbonæ acceſſiſſet, ibi occubuit die 22. Auguſti anni 1725., atque in illa Cathedrali ſolemni ritu ſepultus eſt.

Quum Romam nunquam advenerit, nec Titulum, nec Congregationes ullas Cardinalitias eſt aſſequutus. Electioni tamen *Innocentii XIII.* licet non adfuerit, ut nuncium ipſius aſſumptionis accepit, publicis indictis lætitiæ ſignis in Civitate Ratisbonenſi, ac magnifico ſumptu ejus jam factæ electioni plauſum dedit.





XIII.

RAINUTIUS PALLAVICINUS Parmensis Patrem habuit Comitem *Hubertum*, qui præclaram Familiam suam in plurimis Italiæ Civitatibus diffusam, Parmæ propagabat; Matrem vero *Ersiliam Lupi* ex Marchionibus Soragnæ. Ex his amplissimis Genitoribus in lucem editus est *Rainutius* die 17. Octobris anni 1632., optimisque traditus Præceptoribus maximè profecit in liberalibus disciplinis. Philosophiam, & Theologiam lustravit, atque Jurisprudentiæ tum civili, tum Canonicæ intentum animum adjecit.

A Adolescentiam egressus Monachium perrexit, & humanissimè exceptus fuit ab Electore, & Duce Bavariæ. Ibi legali facultati impensius incubuit, & Doctoratus insignia retulit. Quum vero amœnioribus literis maximè delectaretur, ibi librum quemdam Typis edidit Italico Carmine exaratum, ex quo Poetæ non contemnendi nomen quæsivit (*a*). Mox in Patriam regreditur, & in nobili Judicum Collegio recipitur. B Nec multo interjecto tempore Canonicatum etiam in illa Cathedrali assequutus est. Sed ut propius Ecclesiæ servitio vaca-

(*a*) Hic liber Monachii cusus est anno 1667. Typis *Lucæ Straub*, & Titulum habet - Ritratto di Gran Principessa -

re inhiabat, Romam venit, & inter Aulæ Præſules recipi obtinuit. Gubernator dici meruit nonnullarum Ditionis Eccleſiaſticæ Civitatum, indè Quæſitor Fidei in Inſula Melitenſi admovetur. Poſtquam negocia S. Sedis ſedulo, pluresſque per annos procuraverat, Romam revocatur, ut majora obiret Urbis Miniſteria. A Secretis primum Congregationis Concilii: deindè Romæ Gubernator Generalis dictus eſt. Eum tandem *Clemens XI.* in hac ſolemni Cardinalium enunciatione diei 17. Maii 1706. in Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium invexit; Tituloque donavit Presbyterali *Sanctæ Agnetis*. Congregationibus etiam adſcriptus fuit S. Officii, Concilii Tridentini Interpretum, Epiſcoporum, & Regularium, & Sacræ Conſultationis.

A Poſtquam ſex per annos ſupremam dignitatem maxima cum laude ſuſtinuerat, eximiiſque virtutibus decoraverat, tandem gravi correptus morbo vivere deſiit Romæ in ædibus Farneſianis die 1. Julii 1712., ſepultuſque eſt in propria Cappella in Eccleſia S. Franciſci ad Ripam. Annum agebat 79. menſ. 9. dies 25. Ejus præclaræ Familiæ fuit ipſe ultimus ſuperſtes, licet perſiſtat adhuc inclyta Pallavicina Familia in Civitate Parmenſi, & in majoribus Italiæ Civitatibus. Hinc Marchionem *Mode-*
B *ſtum Pallavicinum*, ſibi agnatione propinquiorem, hæredem ex Aſſe inſtituit. Quo titulo à Sereniſſimis Parmæ Ducibus Feudum etiam obtinuit de *Poleſine* nuncupatum, quod Cardinalis Rainutius uſque ad mortem poſſederat.





JOANNES DOMINICVS S.R.E.PRESBYTER
CARDINALIS PARACCIANVS ROMANVS
SS^{MI}. D. N. P. VICARIVS GENERALIS
CREATVS DIE XVII MAIJ MDCCVI
Obijt die 9. Maij 1721.

Anton Odatius Pinxit — *Hieronymus Rossi incid.*

Dominicus de Rubeis formis Romæ ad Templum S. Mariæ de Pace cum Priuilegio Summi Pont.

XIV.

JOANNES DOMINICUS PARACCIANUS Romanus nobilibus ortus Parentibus die 6. Maii anni 1647. piam ex iisdem, liberalemque educationem nactus est. Ut vividi erat ingenii, patiensque laboris, hinc tenerâ in ætate humaniores hauserat disciplinas, & nondum adolescentiam egressus, ad severiores artes pervaserat. Theologiæ quippè, & Jurisprudentiæ sedulo incubuerat, & tertium supra vigesimum annum natus in Pontificatu *Clementis* X. anno scilicet 1670. inter Præsules Romanæ Curiæ adscribi meruit.

Sedulus in Cognitione Causarum, referendis in Signatura Gratiæ, & Justitiæ libellis octo

A per annos maximè claruit. Mox ab *Innocentio XI.* die 12. Novembris anni 1678. Urbi Beneventanæ Præses datur. Magistratum gessit prudentiæ, & integritatis laude singulari. Romam propterea honorificè revocatur, ut inter Præsules Sacræ Consultationis suffragium ferat. XII. Vir exindè dicitur in Tribunali Signaturæ Justitiæ; variosque per gradus actuosam ducens vitam plura alia munera strenue, eodem-

B que tempore obivit. Quippe *Carolus* Cardinalis *Barberinus* Archipresbyter Basilicæ Vaticanæ die 20. Decembris anni 1689., eum in ipsa Basilica sui Vicarium elegit, & Judicem. Quod munus nuper dimiserat *Jo. Franciscus*

Albanus ab Alexandro VIII. paucis ante diebus ad Cardinalatum aſſumptus, & qui poſt obitum *Innocentii XII.* Romanus Pontifex eſt renunciatus. Nonnulla alia eidem Cardinali Barberino collata munera feliciter pro eo geſſit *Paraccianus*, illiuſque vices explevit. Ipſius nomine præfuit Comitiis in Cœnobio S. Euſebii à Monachis Cæleſtinis coactis; Eoſque privatis contentionibus diſſidentes, ad concordiam perduxit. Similique prorſus exitu nomine Cardinalis *Spada* Protectoris, Comitiis præfuit generalibus, quæ à minoribus Obſervantibus Sancti Franciſci anno 1700. Romæ ſunt habita. Pluribus aliis Cœnobiis, lociſve piis Rector datus pietatem, atque eximiam vigilantiam exhibuit.


Evecto, ut innuimus, ad Petri Cathedram *Clemente XI.*, ejus aſſeſſor, ſeu, ut dicunt Auditor Papæ renunciatur, & ſexennio huic ampliſſimo muneri ſolita cum laude ſatisfecit. Et ex Officio, quod adhuc gerebat Vicarii Vaticanæ Baſilicæ, anno 1704. ad alterum Canonici ejuſdem Eccleſiæ traductus fuit. Tandem die 17. Maii anni 1706. Presbyter Cardinalis relatus eſt Titulo *Sanctæ Anaſtaſiæ*. Congregationibus etiam datus eſt Sacri Concilii, Epiſcoporum, & Regularium, Sancti Officii, Immunitatis Eccleſiaſticæ, Indulgentiarum, Sacrorum Rituum, Examinis Epiſcoporum, Boni Regiminis, diſciplinæ Regularium, Viſitationis Apoſtolicæ, Sacræ Conſultæ, & ſatisfactionis Miſſarum. Præterea Protector eligitur totius Ordinis Cæleſtinorum, Collegii Maronitarum Urbis, Clericorum Regularium Scholarum Piarum, Congregationis Silveſtrinorum, aliorumque plurium Cœnobiorum.

Sed à Deo vocatus ad Populos Paſtorali ſollicitudine inſtruendos, die 30. Junii anni 1714. Eccleſiæ Senogallienſi Epiſcopus admovetur. Infixam animo Religionem percoluit. Integerrimis moribus, & doctrina præſtantes viros regimini Eccleſiarum præpoſuit; ſed ut Patrem decebat, temporali etiam ſui Gregis ſaluti conſulens, illum in ſumma Annonæ charitate laborantem liberalitate ſua adjuvit, erexit. Eoſdem Populos Adriatico Mari adjacentes, & crebris idcircò Turcarum, aliorumque Piratarum patentes excurſibus, implorato *Clementis XI.* Patrocinio, ſervavit incolumes. Quadraginta Cives Senogallienſes miſerè in ſervitutem Barbarorum redactos conquiſita undique pecunia, majori tamen ex parte ære ſuo, quam citiſſimè redemit.

Anno 1716. in celebri, ac diuturna aquarum controverſia inter Ferrarienſes, & Bononienſes Populos, Viſitator electus fuit. Anno vero 1717. die 9. Novembris Romam revocatur, & mortuo Cardinali de Carpineo in arduo munere Vicarii Urbis ſufficitur.

Quatuor geſſit annis difficilem Magiſtratum, nec illi defuit prudentiæ, vigiliſque ſollicitudinis officio. Tandem die 8. Maii anni 1721., quo tempore Vaticana habebantur Comitia pro electione *Innocentii XIII.* è vivis ereptus eſt. Corpus ejus magnifico funeris apparatu in Eccleſia ſub invocatione Sanctiſsimi Nominis Jeſu elatum fuit. Ibi juſta exequialia acta ſunt, deindè ad Eccleſiam Sancti Rocchi translatum, ut ipſe teſtamento caverat, in Cappella ejus gentilitia conditum eſt cum hac Epigraphe.

D. O. M.
IOANNES DOMINICVS TITVLI S. ANASTASIÆ
S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS PARACCIANVS
QVI PLVRIBVS OPTIME PERFVNCTVS
MVNERIBVS
QVIA PLVRIMIS REFERTVS VIRTVTIBVS
AB ECCLESIA SENOGALLIENSI
MAGNO GREGIS MÆRORE
MAGNO VRBIS PLAVSV AD MAIORA EVOCATVS
AD MAXIMA CONSCENDISSET
NISI IN INTER REGNO MORTE INTEMPESTIVA
TERRIS EREPTVS
AD REGNANDVM IN CÆLIS EVOLASSET
PAPÆ VICARIVS
ROMÆ OB. AN. ÆT. SVÆ LXXV.
SALVTIS MDCCXXI. MENSE MAII DIE VIII.
RVTILIVS DE PARACCIANIS EX FRATRE NEPOS
MÆRENS POSVIT.



X V.

ALEXANDER CAPRARA BONONIENSIS die natus 27. Septembris anni 1626. ex Comite *Maximo Caprara*, & ex Comitissa *Catharina de Bentivolis* Patricia Florentina. Vetustissima Caprara Familia egregios omni ævo Viros edidit, qui & Literarum præstantia, & virtute militari claruerunt. Hinc natalibus parem nactus educationem, pari etiam diligentia Paternæ sollicitudini respondit. Liberalibus disciplinis intentum in Patria animum adjunxit. Emenso Philosophiæ cursu, haustisque arcanis Theologiæ, totum se ad Jurisprudentiæ studia contulit, adeoque hac in facultate profecit, ut adolescentiam vix egressus, Lau- A rea doctorali in Bononiensi Universitate donatus fuerit.

Tantis ditatus virtutibus viridi in ætate Romam venit. *Julius* Cardinalis *Sacchettus* eum sibi Assessorem acciverat, ejusque opera, & consilio in rebus sibi commissis, præsertim vero in Causarum directione, quæ ad Tribunal devolvebantur Signaturæ Justitiæ, cui *Sacchettus* Præfectus erat, frequens utebatur. Locum hinc vacantem Advocati Consistorialis, atque uni ex Nobilibus Patriæ suæ reservatum B *Caprara* obtinuit. Deindè inter Præsules receptus Curiæ Romanæ, cito Locumtenens Auditoris Cameræ renunciatus est. Maxima


cum laude, pluresque per annos difficili Magistratu functus est. Donec in Tribunali Sac. Rotæ XII. Vir assumptus est. Recens amplissimum munus, ut antea consueverat, eadem assiduitate, eodem animi candore, rectique proposito administravit. Regens etiam dictus est S. Pœnitentiariæ.

Hunc tandem virum tot meritis cumulatum *Clemens XI.* die 17. Maii anni 1706. Sacro Purpuratorum Patrum Collegio adscripsit sub Titulo Presbyterali *SS. Nerei, & Achillei.* Congregationibus etiam addictus fuit Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Immunitatis Ecclesiasticæ, & Propagandæ Fidei. Quinque supervixit annis sacrà ornatus Purpurâ. Ætate demum, laboribusque confectus obiit die 9. Junii anni 1711. Ejus

A Cadaver solemni apparatu ad Ecclesiam translatum fuit S. Mariæ in Vallicella, justisque funebribus expiatum, indè ad Ecclesiam traductum Ven. Archiconfraternitatis Suffragii, cujus ipse fuerat Primicerius, ibidem sepultum fuit cum hoc Elogio.

D. O. M.
ALEXANDRO CAPRARA
PATRICIO BONONIENSI
HVIVS SODALITII A LX. ANNIS CONFRATRI
PRÆCIPVIS FORI MVNERIBVS
B LONGA ANNORVM SERIE PRÆCLARE GESTIS
ET SAC. ROTÆ AVDITORI
TIT. SS. NEREI ET ACHILLEI
S. R. E. PRESB. CARDINALI
NICOLAVS COMES CAPRARA
EX TESTAMENTO HÆRES MONVMENTVM
P. OBIIT V. ID. IVNII MDCCXI.





Dominicus de Rubeis formis Romae ad Templum S. Mariae de Pace cum Priu. S. Pont.

XVI.

JOSEPH EMMANUEL DE LA TREMOILLE Filius *Aloysii* Ducis De *Noirmontiers*, & de *Montmirail*, qui fuit etiam Dux, & Par Franciæ, & in exercitibus Regiis Marescialllus, & *Renatæ Juliæ Auberii* nobilissimæ fœminæ. Ex his amplissimis Genitoribus natus est *Joseph* die 11. Julii 1660. Fratribusque suis relinquens artem militarem, in quo ex avito Instituto maximè profecerunt, ipse Ecclesiasticæ Militiæ nomen dedit. Mirificè in studiis literarum versatus est, & in Domo Sorbonica Lauream Doctoralem adeptus est. Adeout brevi Vicarius Generalis evaserit Episcopi Laodunensis. Eximiam etiam apud regem

A Christianissimum nactus existimationem, pluribus, atque locupletibus brevi tempore ditatus est Beneficiis, nempè Abbatia *de Lagny*; *B. M. Virginis de la Blanche*, & Prioratu *Sancti Philiberti* in Insula *Noirmontiers*, *& de Sorese*. Progressu inde temporis aliis auctus fuit Beneficiis, nempè Abbatia *S. Armandi* propè [a] Turnacum, *Sancti Stephani de Caen*, & *& grandis Sylvæ* propè Tolosam.

[a] Tournai.

Nec intra hos limites Regis benevolentia perstitit, sed ad majora pertransiens, eum B anno 1693. Rotæ Romanæ Auditorem dixit; Eumque haud ita multo post ad Philippum V. Hispanorum Regem, dum is in Italia Neapo-

li-

litano Regno potitus morabatur, Regium Oratorem allegavit. Officiis denique ipsius Galliarum Regis maximè commendatus die 17. Maii anni 1706. à *Clemente XI.* Presbyter Cardinalis renunciatur sub Titulo *Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio*. Congregationibus insuper adjicitur Sac. Concilii Tridentini interpretum, Propagandæ Fidei, & S. Rituum.


Postquam Cardinalis *Jamson Fourbin*, Regius in Urbe administer, Roma profectus fuit, illi *Joseph* sufficitur in ardua Procuratione rerum Gallicarum. Quo in munere, & Regis utilitatem promovit, & Romano Pontifici gratus emersit. Prudentia enim singulari, atque incredibili morum suavitate, ac mirâ in arduis rebus pertractandis, ac transigendis dexteritate semper enituit. Qua porro in re haud parvo ipsi adjumento erat ipsius germana soror *Maria Anna de la Tremoille* nupta *Ursino* Duci, solertissimi ingenii, ac virilis animi fœmina, cui nimirum omnia ferè, eaque graviora totius pene Europæ negotia erant cognita, atque explorata.

Ad Episcopatum primo Civitatis Bajocassensis in Normandia promotus est, deinde mortuo Præsule *Joanne d' Estreo*, qui Cardinalis *Estræi* ex Fratre nepos erat, ad Archiepiscopatum transfertur Cameracensem. [a] Ab ipso Romano Pontifice consecratus fuit die 30. Maii anni 1719. adstantibus, eorumque operam conferentibus tribus Episcopis Cardinalibus, nempè *Tanara*, *Paulutio*, & *Pignatellio*, aliisque tribus Cardinalibus Diaconis, nempè *Ottobono*, *Albano*, & *Oliverio* Commendator etiam receptus fuit Regii Ordinis Sancti Spiritus.

[a] Cambray.

Anno 1720. Erysipelatis morbo tactus, paucorum dierum intervallo die 10. Januarii naturæ concessit. Quam charus Urbi, populoque Romano extiterit, satis indicio fuit ante fores domus, dum extremo morbo premebatur, undique circumfusa multitudo, de illius valetudine, atque ita de illius vita sollicita. Corpus ejus ad Ecclesiam Gallorum Nationalem translatum, solemni ritu funebria excepit Sacri Collegii. Ibique sepultum fuit, tumuloque brevis adjecta inscriptio, quæ sequitur.

OSSA PRESBYTERI CARDINALIS
DE LA TREMOILLE





Obyt die 21. July 1706.

Gabriel Philippuccius Maceratensis
Votans Signaturæ Iustitiæ, S.R.E. Præsbyter Cardinalis
Creatus in Consistorio Secreto die 17. Maij 1706.
qui tamen Cardinalatus Dignitatem refutauit, eiusque refutatio admissa fuit in sequenti Consistorio Secreto die 7. Iunij 1706.

... de Rubeis Heres Io. Iacob. formis Romæ ad Templ. S. M. de Pace cum Priuil. Summi Pont.

XVII.

GABRIEL PHILIPPUCCIUS Maceratensis ex abdicata magis, quam ex adepta Cardinalitia Dignitate præclarus, die 11. Martii anni 1631. natus est. Parentes illi fuere *Dominicus Philippuccius*, & *Elisabeth Pellicani* ejusdem Civitatis Patricii. Morum austeritatem ab Infantia percoluit. Ut primum enim per ætatem licuit, puerilia fugiens solatia, pietati naviter incubuit, & studiis liberalibus in eadem Maceratensi Civitate sub cura Patrum Societatis Jesu. Ibi etiam Jurisprudentiam adeptus est, atque in illa Universitate Laurea Doctorali ornatus fuit.

Anno 1655. Romam venit sub clientela

A Joannis Baptistæ *Cardinalis Pallotta*, & alterius Cardinalis Odescalchi, qui postea sub nomine *Innocentii XI.* Apostolicam Sedem ascendit. Practicæ vacare incœpit Jurisprudentiæ, sed vix inchoato novi hujusce facultatis exercitio, Roma discedere cogitur, ob pestilentem Luem, quæ anno 1656. Urbem misere invaserat. Rediens in Patriam, ut contagionis suspicione expurgaretur, dum quadraginta dies manere cogitur extra mœnia Patriæ suæ in quodam suburbano fundo, res mi-

B rifica contigit. Nam electo sibi (ut ex ingenita humilitate adsolebat) deteriori cubiculo, alterum, quod respuerat, magis amplum

cubiculum effractis contignationibus extemplo corruit. Sic ille in evidenti excidio illæsus permansit.

Ut verò Urbe a pestilentia liberata Romam *Gabriel* rediit; sedulam Legali facultate plures per annos navavit operam sub Cardinali de *Luca*, egregii tunc nominis Advocato. Demum optimè in Judiciis versatus, arduum ipse Advocationis munus suscepit. Nullam egit caussam, nisi introspectis caussæ meritis, evidens pro illa ratio pugnaret: Cæteras omnes constantissimè rejecit.

Anno 1665. immatura morte Frater illi natu major ereptus est. Nec minis, nec Paternis suasionibus à proposito, quem Deo voverat, cælibatu potuit dimoveri. Hac vice dumtaxat *Gabriel* Patri morem non gessit, oblatasque nuptias sæpius recusavit.

Evectum ad Apostolatus apicem *Innocentium XI.*, cujus, dum Cardinalatus honore fungeretur, Patrocinio usus fuerat, *Philippuccius* numquam invisit. Nec Cardinalis *de Luca* ejus Magister, ipsiusque Pontificis à Cognitionibus, ut ejus præsentiam adiret, valuit impetrare. Privatam, quam elegerat vitam, oleo tranquillior percoluit, atque ab Ecclesiæ Dignitatibus semper abhorruit. Quinimo in Pontificatu *Innocentii XII.* oblatum Basilicæ Vaticanæ Canonicatum recusavit, atque electus inter duodecim viros, qui in Tribunali Signaturæ Justitiæ suffragium ferunt, à delato Magistratu modestissimè abstinuit. Sed vinci passus non est invictus Pontificis animus. Vacante quippe Sub-Datariatus officio, hoc *Philippuccio contulit*, eumque solita verecundia recusantem, ad munus obeundum adegit. Nec sibi, nec affinibus suis aliquod umquam Ecclesiasticum beneficium attribuit. Eodem tamen præcepto Pontificis, Canonicatum Basilicæ Lateranensis admittere cogitur. Utrumque munus tam laudabiliter gessit, ut Justitiæ vindex in Tribunali Datariæ habitus sit, & in Ecclesia Lateranensi emicuerit vivissimæ pietatis, & charitatis exemplar.

Anno 1699. dum chori servitio vacabat, à quo nisi gravissimis de causis impeditus abesse nunquam consuevit, de collata sibi Auditoris Sanctissimi Dignitate nuncium defertur. Ingemuit, lacrymisque Pontificem obtestatus est, ut à sententia recederet. Sed frustra, quin imò & Consultor Sacræ Pœnitentiariæ dictus est. Novis hisce in dignitatibus, quas invitus exercuit, nova etiam exhibuit virtutum specimina. Fandi copiam petentibus facillimè suppeditabat. Multam idcirco noctem traducebat insomnem, ut sacris meditationibus, & studio causarum incumberet. Munera etiam minima rejiciebat, & Magnatum importunis commendationibus obsistebat. Plausu exceptus universæ Urbis, majorem tamen Pontificis amorem promeruit, qui virum à Fastu, inanibusque pompis alienum, laboris tamen patientem, novis semper negociis, novisque Dignitatibus obruebat. Eodem anno 1699. quum Præsul *Joseph Gozzadinus* postea Cardinalis, calculis, quos in renibus enutrierat, magis magisque vexaretur, Florentiam, ut medelam quæreret, secedere coactus esset, *Philippuccius* illi suffectus fuit in officio Secretarii supplicum Libellorum. Ut plura decernere, atque absolvere posset, ipso etiam inaudito Pontifice, qui ea tempestate ut plurimum ægrotabat, *Innocentius XII.* potestatis ipsi plenitudinem attribuerat. Hisce tamen facultatibus raro, & molestè usus fuit.

Hisce de causis idem *Innocentius XII.* (ut gravia adsunt Testimonia) eum inter Cardinales referre statuerat; quod & *Philippuccius* resciverat: Fusis tamen ad Deum precibus divinam opem efflagitavit, ut ab eo invisum honorem averteret. Pauloque post sequuta morte Pontificis, tristissimè quidem indoluit in interitu optimi Principis ereptum Christianæ Reipublicæ columen, & ornamentum; sed alia ex parte lætatus est, quod ad vitam, ut optaverat, privatam, omnisque expertem periculi redire posset. Tantis revera solutus impedimentis, Divino cultui in sua Ecclesia Lateranensi totus incubuit. Sed evecto ad Apostolatus apicem *Clemente XI.*, Forum rursus frequentare cogitur, & publica exercere Judicia. In Tribunali Signaturæ Justitiæ adscribitur, ut inter XII. illos seniores suffragium ferret; recusavit ipse ex instituto, sed Papæ adactus imperio, Magistratum accepit. Nec intra angustos hujusmodi fines Papæ benevolentia coercebatur. In prima enim, quam fecit, Promotione anno 1706. inter Cardinales à se creatos *Philippuccium* omnino inclusum voluit. At vero aliquot ante diebus fama hæc ad aures *Philippuccii* pervenerat. Ingemuit ipse, & confestim adivit Cardinalem *Marescottum* amicum suum, eumque lacrymis obtestatus est, ut ejus nomine dignitatem omnino recusaret. Et si fama hæc vera aliquando foret, quæ incerto rumore ferebatur, eidem in commissis dedit, ut ejus recusationem in Consistorio patefaceret, atque humillimas ejus preces, quas ipsi Cardinali, scripto dederat, Papæ perlegeret. Dies 17. Maii an. 1706. Promotioni decreta advenerat, & revera Pontifex ipsum *Philippuccium* inter Cardinales recensuit; tunc vero patuit ejus recusatio, ejusque preces lectæ sunt, quæ eidem Pontifici dirigebantur hac ratione.

BEATISSIME PATER.

INvaluit rumor Sanctitatem Vestram inter Cardinalitia dignitate decorandos, me quoque adscribere deliberasse. Fateor ingenuè me hujusmodi rumorem non modo vanum prorsus, & inanem, sed etiam uti summæ prudentiæ Sanctitatis Vestræ injuriosum semper habuisse, & adhuc habere, cum revera me nullis ex iis qualitatibus præditum agnoscam, quibus ad tantæ Dignitatis culmen paratur ascensus. Verum

rum quia summa, & innata bonitas, quæ in Sanctitate Vestra residet, his omnibus posthabitis, vera adhuc efficere posset, quæ falso, ut dixi à fama nunciata fuisse existimavi; Idcircò in hoc casu humillimè provolutus ad pedes Sanctitatis Vestræ, majori qua possum submissione, aliis quamplurimis rationibus omissis, gravem meam ætatem, quæ in hisce postremis diebus indiget pace, & quiete, non autem agitationibus, quas secumferunt negocia eidem dignitati necessario adnexa; spero itaque Sanctitatem Vestram benignè admissuram esse eam, quam post diuturnas ad Deum fusas preces sponte, liberè, & matura prævia deliberatione, nunc facio, & in qua Deo dante constantissimè quoad vixero perseverabo, recusationem, vel potius non acceptationem, seu etiam, si opus fuerit, repudiationem, aut renunciationem Cardinalatus, cum præventiva tamen facultate, quatenus opus sit (si ita placeat summæ bonitati Sanctitatis Vestræ) retinendi pro mea honesta substentatione Canonicatum, quem nunc obtineo in Ecclesia S. Joannis in Laterano, cum pensionibus una scilicet super altero Canonicatu ejusdem Ecclesiæ, alia super Canonicatu Basilicæ S. Petri, & reliqua super dignitate Cathedralis Æsinæ, nec non alia officia, quæ modo similiter obtineo. Et venerabundus deosculor pedes Sanctitatis Vestræ, deprecans ei à Deo Optimo Maximo omne bonum.

Humillimus, & Obsequentissimus Subditus Gabriel Philippuccius.

Auditis hisce sinceræ humilitatis sensibus obstupuere Patres in Consistorio sedentes. At *Clemens XI.* hominis verè Christiani demiratus pietatem, tempus illi ad deliberandum indulsit. Interea tamen nullum omisit hortationis genus, ut eum à suscepto consilio abduceret. Patrem *Casinium* ex Ordine Cappuccinorum, Virum egregium, & postea Cardinalem, ad eum misit, ut validissimis rationibus eum ad accipienda Cardinalatus Insignia urgeret. Sed omnia in irritum cessere. Quinimo timens ne Pontifex ejus voluntati vim adhiberet, gravem in febrem incidit. Ingeminavit preces, factamque renunciationem publico, ac solemni Instrumento comprobavit.

Omnia hæc Pontifici delata sunt, qui noscens vinci non posse invictum *Gabrielis* animum, novum habuit Consistorium diei 7. Junii ejusdem anni 1706., in quo sic Cardinales est alloquutus.

Venerabiles Fratres. Inter eos, quos in preterito Consistorio de unanimi Fraternitatum vestrarum consilio pariter, & assensu, Cardinales creavimus, fuit, sicuti nostis, dilectus filius Gabriel Philippuccius, Signaturæ Justitię Votans. Curaverat is quidem prius nobis non obscurè indicari animum suum à tantæ Dignitatis, quam sibi deferendam audierat, fulgore refugientem. Sed ut verum ingenuè fateamur, Christiana hæc, & rara viri humilitas potius nos in suscepto consilio magis confirmavit. Clarius ille postmodum, ac disertius sensus suos aperuit, supplici Libello nobis in eodem Consistorio per dilectum filium nostrum Galeatium Cardinalem Marescottum porrecto, cujus tenorem tunc audivistis, & hodie iterum audietis. Noluimus hac in re quidquam inconsulta celeritate decernere, sed solum eidem Gabrieli longius tempus ad deliberandum concedere velle declaravimus, ut tam suis, quam aliorum precibus Divinam voluntatem accuratius exploraret. Sperantes tametsi à compellendo invitum verè essemus alieni, quod ipse serius animo reputans, se per Ministerium nostrum à Deo vocatum fuisse, judicio tandem nostro acquiescere deberet, ac non minus amicorum lacrymis, quam suasionibus flecti. Verum aliter omnino res accidit. Ille siquidem propositi tenax, accepto gestæ rei Nuncio, idem, quod antea constantissimè supersensit, idem, quod antea demississimè semper precatus fuit. Nullum interea nos adhibita ad id spectatæ pietatis, & prudentiæ Virorum opera hortationis genus omisimus, quo optimum Senem de suscepta sententia deduceremus, ac rationes, quibus ille Causam suam orabat, rejiceremus. Omnia tamen irrito conatu; nec solum irrito, sed & insuper gravi adeo, & molesto, ut ipsa ejus vita in propinquum indè discrimen penè adducta fuerit. In hoc rerum Statu, quid consilii capere deberemus, à compluribus ex Confraternitatibus vestris, quarum fideli in sinu Pontificiæ sollicitudinis curas deponere consuevimus, libentissimè exquisivimus. Et sanè re mature, ac diligenter, quemadmodum vestri moris est, discussa, nullam renuenti vim adhibendam esse unanimes censuistis. Interim idem Philippuccius ne de constanti ejus voluntate recusandi, refutandi, ac etiam renunciandi Cardinalatum, umquam dubitari contingeret, omnia, & singula in simplici superius enunciato Libello contenta confirmando, & ampliando, uberius adhuc, & solemnius animum suum hac in re declaravit, publico desuper celebrato Instrumento, quod mox à Secretario Collegii Vestri legendum erit . . . . .

His omnibus attentis B. Gregorii Prædecessoris nostri exemplum sequentes, qui invitum neminem Episcopale onus subire, Apostolica jussione coegisse umquam reperitur, recusationem, repudiationem, seu renunciationem à præfato Gabriele Philippuccio, sicut præmittitur, factam, admittere intendimus, eidem Gabrieli forsan aliquando illud ipsum dicturi, quod B. Gregorius cuidam Sebastiano, qui commissum sibi ab Anastasio Patriarcha Ecclesiæ regimen recusaverat, rescripsit, videlicet; sensum, ac sapientiam Vestram valdè ego libenter amplexus sum, laudavi vehementer, & vos felices, me infelicem esse reputavi, qui hoc tempore regimen Ecclesiæ suscipere consensi. Faxit Divina bonitas, quæ omnia sapienter disponit, ex humili hac amplissimæ dignitatis recusatione, non minus utilitatis, & ornamenti in Ecclesiam derivari, quàm ex tot præstantium virorum laboribus, qui gravia ejus-

dem dignitatis onera, non refugerunt. Quid vobis videtur?

Auditiſque Cardinalium ſuffragiis, qui *Philippuccium* cogendum non eſſe, ſed in ſua vocatione relinquendum unanimi ſuffragio affirmarunt. Sic Pontifex adlocutionem ſuam abſolvit.

Authoritate itaque Omnipotentis Dei, Sanctorum Petri, & Pauli, ac Noſtra, admittimus recuſationem, repudiationem, ſeu refutationem, & quatenus opus ſit renunciationem, ac dimiſſionem Juris, quod acquiſivit, vel acquirere potuit præfatus Gabriel Philippuccius ex ejus Promotione ad Cardinalatum in ſuperiori Conſiſtorio per nos facta, ejuſque locum vacantem, ut prius declaramus, ac ſi Promotio de illius Perſona facta numquam fuiſſet. Præterea quatenus opus ſit, & ad abundantiorem cauthelam concedimus ei retentionem Canonicatus, & Præbendæ Sancti Joannis in Laterano, nec non officii Decretorum Pœnitentiariæ Apoſtolicæ, ac Penſionum omnium Eccleſiaſticarum, quas de præſenti obtinet, cum derogationibus, & clauſulis neceſſariis, & opportunis. In Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus Sancti ✠ Amen.

Sed rarum hoc humilitatis exemplum, poſtremum etiam fuit à *Philippuccio* exhibitum. Nedum enim in febrem, ut diximus, inciderat ex nimia Patris *Caſini* inſiſtentia, ſed tantam animi perturbationem ſuſceperat ex Magnatum undequaque ad ſe confluentium frequentia, ut jam in extremum vitæ diſcrimen adductus fuerit. Plura demum, & præclara fuere Paternæ exiſtimationis argumenta, quibus *Clemens XI.* Virum hunc Deo addictum cumulavit. Præclarius tamen fuit illud, quod Oratoribus à Civitate Maceratenſi ſibi miſſis Pontifex aperuit. Gratias enim agentibus illis nomine publico Pontificiæ largitati, ſimulque condolentibus de conſtanti *Philippuccii* recuſatione, Clemens reſpondit = *dolendum non eſſe Civitati Maceratenſi, quod viventem hunc Civem ſuum Cardinalem non viderit, quem mortuum forſan aliquando inter Sanctos relatum intelliget*: addiditque ſibi notam eſſe ſanctam *Philippuccii* vitæ methodum, perfectam nempè ſæculi abdicationem, ferventem in Deum, & in proximum charitatem, effuſas in pauperes eleemoſynas, jejunia, & frequentem corporis macerationem. Profecto egregia virtutis ejus ſpecimina nonnulli collegerunt, & ſcripto tradiderunt. Cumque ego eximio fungar honore, ut ejuſdem Baſilicæ Lateranenſis, qua ille erat, ſim Canonicus, eumdemque obtineam in Tribunali Signaturæ Juſtitiæ Magiſtratum, plura didici à Collegis meis, qui cum illo convixerunt, quæ verè perfectam redolent ſanctitatem.

Interea *Philippuccius* gravius morbo conflictatus, atque in apertam lapſus, Hydropem à Medicis, & præcipuè à *Lanciſio*, qui juſſu Papæ ægrotantem inviſebat, edoctus de imminenti vitæ diſcrimine, ſæpius pietatis iterabat officia. In ejus ultimo, quod obſignavit, teſtamento, pia aliquot demandavit Legata. Cavit præterea ne ullo corpus ejus honore tumularetur, ſed in privata Canonicorum ſepultura humaretur. Sub pœna item caducitatis prohibuit, ne aliqua inſcriptio ejus memoriæ erigeretur. Sic ille piiſſimè obiit die 21. Julii anni 1706. Corpus ejus poſtpoſito, quod ediderat, interdicto, ita jubente Pontifice, apertum, ſectumque fuit, atque honorificè translatum in Eccleſiam Sancti Ignatii de Urbe, habitu Subdiaconi indutum, qualis quoad vixit, fuit. Ibi expenſis Pontificiis ſolemni ritu funebria acta ſunt, laudeſque ejus recitavit Pater *Joſeph Monti* è Societate Jeſu Rethoricæ Profeſſor eleganti oratione.


Magna Populi frequentia, & importuna devotione ferè ad nuditatem corpus ejus expoliatum fuit. Quiſque enim reliquias Viri Sancti expoſcebat. Vix à Cuſtodibus in tuto poſitum, deindè ad Eccleſiam Lateranenſem translatum fuit. Juſta iterata ſunt funebria à Capitulo, & Clero illius Baſilicæ, adſtante etiam Cardinali Pamphilio illius Eccleſiæ Archipresbytero, deindè tribus incluſum capſulis loco Depoſiti aſſervatum fuit in Porticu, quam vocant, *Leonianam*, uſque dum egregium, operiſque elegantis ſepulcrum extrueretur. Hoc præſtitit *Franciſcus de Vico* Epiſcopus Eleuſinus ejuſdem Lateranenſis Eccleſiæ Canonicus, & illius ex Sorore Nepos. Abſoluto enim at nonnisi anno 1712 inſigni, quod extruxerat, monumento, poſteris etiam ſpectabili, hanc illi adjecit Inſcriptionem.

D. O. M.

GABRIELI PHILIPPVCCIO
PATRICIO MACERATENSI
HVIVS BASILICÆ CANONICO
DIVINI HVMANIQVE IVRIS SCIENTISSIMO
QVI POST VARIOS HONORVM GRADVS
A CLEMENTE XI. P. M.
SACRO PVRPVRATORVM COLLEGIO
ADSCRIPTVS
DELATAM VLTRO DIGNITATEM
SINGVLARI CHRISTIANÆ MODESTIÆ
EXEMPLO RECVSAVIT
FRANCISCVS DE VICO V.S.R.
EIVSDEM BASILICÆ CANONICO
AVVNCVLO BENE DE SE MERITO P. C.
VIXIT AN. LXXVI.
OBIIT AN. SALVT. MDCCVI.

Hoc in ſepulcro, prævia recognitione Cadaveris, quod intactum, & flexibile adhuc repertum fuit, anno 1715. incluſum fuit (*a*).

(*a*) Vide fuſius vitam hujus egregii viri conſcriptam ab Abbate Mario Creſcimbeni, ex qua plura deſumpſimus.



X V I I I.

CArolus Augustinus Fabronus Pistoriensis die natus est 28. Augusti anni 1651. ex optimis, nobilibusque Genitoribus, nempè ex *Nicolao* Equite S. Stephani, & ex Lucilla *Sozzifanti*. Ingenio, & memoria præditus singulari, maxima celeritate rudimenta literarum didicit in Patria. Severiores etiam disciplinas investigavit, Rethoricam, & Philosophiam. Anno 1668. in Seminario Romano unum ex locis nactus est, reservatis, juxta Testamentariam dispositionem Cardinalis *de Lugo*, nobilibus adolescentibus.

Romam adveniens idoneus habitus ad dogmata Theologiæ capessenda. Plurimum profecit sub disciplina Patrum Societatis Jesu; donec ut Jurisprudentiæ incumberet, Pisas se contulit. In illa celebri Universitate Literarias omnes facultates percoluit. Clariorum ea tempestate virorum usus est familiaritate; præsertim verò *Henrici* Cardinalis *Norisii* auditor, & amicus fuit. In eadem Pisana Universitate Lauream, & Insignia Doctoratus accepit. Romam redux *Jacobum*, *&* *Felicem* Cardinales *Rospigliosios* Cives suos maximè habuit fautores. Talia probitatis, & ingenii sui specimina edidit, ut aliorum etiam præstantium Cardinalium sibi fidem, & amicitiam conciliaverit. Præsertim vero *Clementem XI.*,

in

in minoribus agentem,& etiam antequam Cardinalis renunciaretur, impenſo ſtudio obſervavit, & coluit.


His excitatus auxiliis, & apud Romanum Pontificem *Innocentium XII.* ſæpè commendatus, Pontificiam tamdem expertus eſt Beneficentiam, & ab eodem *Innocentio XII.* à Secretis dictus eſt ſupplicum Libellorum. Eximio munere functus eſt alacritate, & probitate incredibili. Sæpè etiam cum eo familiariter Pontifex agebat, & arcana communicabat conſilia. Nonnullis hinc Cardinalibus ſuſpectus haberi cœpit; & ſpecie honoris ex intima Papæ conſuetudine, & veluti ex ejus conſpectu remotus eſt. Anno enim 1695. ad vacans Officium Secretarii Congregationis de Propaganda Fide translatus eſt. Munus verò Secretarii ſupplicum Libellorum collatum fuit Præſuli *Joſepho Sacripanti*, qui poſtea eodem anno 1695. inter Cardinales relatus eſt.

Novo in hoc Magiſtratu eamdem Fabronius præſtitit integritatem, ac fidem; donec evecto ad Petri Cathedram *Clemente XI.* fautore ejus eximio, conclamatus & ipſe fuit Cardinalis die 17. Maii anni 1706. ſub titulo Presbyterali *S. Auguſtini*. Congregationibus etiam adjectus fuit S. Officii, Epiſcoporum, & Regularium, Rituum, Examinis Epiſcoporum, Propagandæ Fidei, Diſciplinæ Regularium, Indulgentiarum, Viſitationis Apoſtolicæ, & Reſidentiæ Epiſcoporum. Præterea Protector fuit Canonicorum Regularium Lateranenſium, & Congregationis Vallis Umbroſæ. Præfectus etiam fuit Congregationi Indicis Librorum prohibitorum.

In maximis Eccleſiæ negociis *Fabronius* adhibitus fuit ab *Innocentio XII.*, & *Clemente XI.*. Sub hoc poſtremo Pontifice ſuaſor, & quaſi auctor fuit famigeratæ Conſtitutionis *Unigenitus*. In eadem Cauſa Queſnelliana propugnator fuit acerrimus jurium Sanctæ Sedis; & forte nimis aſperè oblatas pacificationis conditiones ſæpius rejecit. Comitiis interfuit pro electione *Innocentii XIII.*, & *Benedicti XIII.* Meritis tandem, anniſque onuſtus è vivis ereptus eſt die 19. Septembris anni 1727. ætatis ſuæ 76. In Eccleſia ejus Titulari *S. Auguſtini* adſtante Sac. Cardinalium Collegio, & *Benedicto XIII.* Summo Pontifice, corpus ejus ſolemni ritu humatum fuit cum ſequenti Epitaphio.

D. O. M.

CAROLO AVGVSTINO
HVIVS TITVLI PRESBYT. CARDINALI FABRONO
PATRICIO PISTORIENSI
INGENIO MEMORIA ERVDITIONE
SCIENTIARVMQVE PERITIA PRÆCLARO
AB INNOCENTIO XII.
SVPPLICVM LIBELLORVM
PRIMVM DEINDE
SAC. CONGREG. DE PROPAGANDA FIDE
A SECRETIS DELECTO A CLEMENTE XI.
INTER S. R. E. CARDINALES COOPTATO
APOSTOLICÆ SEDIS
ET CATHOLICÆ RELIGIONIS PROPAGATORI
PIETATE ERGA DEVM
ET MISERICORDIA IN PAVPERES SPECTATO
IN ARDVIS CHRISTIANÆ REIPVBLICÆ
NEGOCIIS
A SVMMIS PONTIFICIBVS ADHIBITO
OBIIT LABORIBVS ET SENIO CONFECTVS
DIE XIX. SEPTEMBRIS ANNI MDCCXXVII.
VIXIT ANN. LXXVI. DIES XXI.
ALPHONSVS MARIA ABBAS FABRONVS
FRATRIS FILIVS ET HÆRES
EX TESTAM. PATRVO
OPTIMO AC BENEFICENTISSIMO M. P.





XIX.


A CAROLUS COLUMNA ROMANUS die natus est 17. Novembris anni *1665.* Patrem habuit ex inclyta, ac vetustissima Columnensium gente *Laurentium* Regni Neapolitani Magnum Comestabilem, Paliani Ducem, aliorumque plurium Oppidorum Dominum, Matrem vero *Mariam Mancini Mazzarini* præstantissimam Matronam. Egregiis natalibus parem nactus est educationem. Expleta pu- B bertate Mediolanum se contulit, lustravitque Italiæ cultiores Civitates.

Annum agens vigesimum quintum *à Clemente XI.* vix ad Apostolatum assumpto, statim Domui Pontificiæ Præfectus dicitur. Et in hac celebri Promotione diei 17. Maii anni 1706. inter Cardinales refertur in Diaconia *S. Mariæ de Scala*, quam in alteram immutavit *S. Angeli in Foro Piscium*, & demum in alteram *S. Agathæ ad Suburram*. Congregationibus adscriptus fuit Concilii Tridentini, Fabricæ Divi Petri, Aquarum, & Riparum, Signaturæ Gratiæ, & Visitationis Apostolicæ.

Cum

Cum cæteris Cardinalibus comitia celebravit pro electione *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.*, & *Clementis XII.* Post vitam demum integerrimè exactam, sui desiderium reliquit die 7. Julii anni 1739. Ejus cadaver maxima funebri A pompa elatum fuit in Ecclesia SS. XII. Apostolorum, illique Sacrum Collegium parentavit: demum ad Lateranensem Basilicam translatum, in sepulcro hujus familiæ gentilitio humatum fuit.





PETRVS S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS
PRIOLVS VENETVS
CREATVS DIE XVII. MAIJ MDCCVI.

Franciscus Trevisani Pinxit — *Hieronymus Rossi Incidit*

Dominicus de Rubeis formis Romae ad Templum S. Mariae de Pace cum Priuil. Sum. Pont.

XX.

A PETRUS PRIOLUS VENETUS die natus est 14. Maii anni *1669.* clarissimis Genitoribus nempè *Aloysio*, & *Victoria Otthobonia*, quæ Proneptis ex Fratre fuit *Alexandri VIII.* Paterno ex latere majores habuit amplissimos, qui in illa beata Patria maximis omni ævo dignitatibus claruerunt; ipse vero disciplinis omnibus institutus, profana tamen amictus veste ad Patriæ Magistratus obeundos juxta majorum exempla contendebat. Vicesimum annum natus de arripiendo Ecclesiæ instituto cogitavit; idque illi studium incessit, quum anno *1689.* locatum intellexit in Petri Solio *Alexandrum VIII.*, ejus ex eadem *Victoria Otthobonia* Avunculum majorem. Nonnisi tamen quam mortuo eodem *Alexandro VIII.* Romam advenit.

Sub *Innocentio XII.* inter Præsules Romanæ Curiæ refertur, atque inter eosdem Præsules Papæ domesticos adnumeratur. Parvo interjecto tempore Præses dicitur Cameræ Apostolicæ, deindè inter Clericos ejusdem Cameræ recensetur. Evecto demum ad apicem Apostolici Ministerii *Clemente XI.*, is ut Cardinali *Otthobono* Cardinalitiam dignitatem restitueret, quam ab illius Patruo Magno, nempè ab
B *Alexandro VIII.* acceperat, hunc illi affinitate propinquum, merito præterea virtutum, mo-

rumque integritate commendatum, in Sacrum Senatum invexit, & Diaconiam illi attribuit *S. Hadriani*. Congregationibus etiam eum adjecit Episcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Indicis Librorum prohibitorum, Indulgentiarum, Fabricæ Divi Petri, & Rerum Consistorialium. Protector ulterius dictus fuit Ecclesiæ S. Bartholomæi Nationis Bergomensis.

Biennio vix elapso vacanti Bergomensi Episcopatui, die scilicet 11. Maii 1708. admotus A fuit. Ibi viginti fermè per annos justitiæ administrandæ, cultuique Divino amplificando impensam, ac vigilem navavit operam. Anno 1720. post mortem Aloysii alterius Cardinalis *Prioli* ex Diaconia *S. Hadriani* ad illius Titulum transiit Presbyteralem *S. Marci*. Bis Vaticanis interfuit Comitiis, pro electione nempè *Innocentii XIII.*, & *Benedicti XIII.* Obiit die 21. Januarii anni 1727. Vixit annos 58. menses 10., & dies 7. sepultus est Bergomi in Ecclesia S. Alexandri (*a*).



Ni-

(*a*) Ex Archivo *Petri Gradenigo* Patricii Veneti in Via *S. Justinæ*; necnon ex libris Magistri Cæremoniarum Pontificiarum, & ex actibus Consistorialibus.



NICOLAVS S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS
GRIMALDVS IANVENSIS
CREATVS DIE XVII. MAIJ MD.CC.VI.
Obyt die 25 Octobris 1717

Odoardus Vicinelli Pinxit — *Hieronymus R[illegible] Incid.*

Dominicus de Rubeis Hæres Io. Iacob. [illegible] Pon[illegible] ad Templ. S. M. de P[illegible] S.P.

XXI.

NICOLAUS GRIMALDUS GENUENSIS, in Regno tamen Neapolitano natus est, atque in Castro *della Pietra*, quod est Feudum suæ præclaræ Familiæ. Ex *Francisco Grimaldi*, & *Septimia* itidem Grimaldi ortum duxit die 4. Februarii anni 1646., ut Equiti Christiano impendentia munera, & Literarum rudimenta perdisceret, in Seminarium Romanum missus est anno 1665. sub disciplina Patrum Societatis Jesu.

Quum Romam advenisset, impenso studio, & celeritate incredibili scientias omnes perquisivit. Egressus è Seminario, sedulam Jurisprudentiæ navavit operam apud optimos A Urbis Causidicos, & demum Laurea ornatus Doctorali in Pontificatu *Innocentii XI.* inter Præsules Romanæ Curiæ cooptatus est.

Ad obeundos graviores Ecclesiasticæ Ditionis Magistratus cito admotus est; Et quidem pluribus Civitatibus datus Gubernator, solertiam, & in rebus agendis dexteritatem haud vulgarem exhibuit.

In Pontificatu *Innocentii XII.* ad majora provectus, Congregationis primum Immunitatis, & deindè alterius Congregationis Episcopo- B rum, & Regularium factus est à Secretis. Evecto demum ad Petri Cathedram *Clemente XI.* Virum multiplici probatum Ministerio

inter Cardinales retulit in hac solemni Promotione diei 17. Maii 1706. eum Diaconia honestavit *S. Mariæ in Cosmedin*, & Congregationibus adjecit Episcoporum, & Regularium, Immunitatis Ecclesiasticæ, Sacræ Consultationis, Aquarum, & Rituum. Bononiæ etiam de Latere Legatus dictus est.

A

Anno 1716. Diaconiam dimisit *S. Mariæ in Cosmedin*, quam assumpsit Cardinalis *Annibal Albanus*. Ipse verò ad Presbyteralem Titulum gradum fecit *S. Matthæi in Merulana*. Tandem ætate gravis, naturæ concessit die 25.

B

Octobris anni 1717. Ejusque corpus ad Ecclesiam delatum Cappuccinorum de Urbe, postquam justis exequialibus expiatum fuit à Sacro Cardinalium Collegio, ibi honorificè conditum fuit cum hac Epigraphe.

D. O. M.

OSSA NICOLAI GRIMALDI PATRITII GENUENSIS
S.R.E. PRESBYTERI CARDINALIS
FILII FRANCISCI
ET SEPTIMIÆ MARCHIONUM PETRÆ
OBIIT VIII. KAL. NOVEMBRIS MDCCXVII.
ÆTAT. LXXII.

Tertia Cardinalium Promotio habita

A

CLEMENTE XI.

Die 7. Junii anni 1706.

In qua loco Gabrielis Philippucci, *qui Cardinalatum dimisit*, Michaelem Angelum de Comitibus *creavit*.



Mi-



XXII.

MICHAEL ANGELVS DE COMITIBVS Romanus, inclyto clarus ſanguine, quo cretus est, nomine tamen clarior *Innocentii XIII.* Romani Pontificis, quo, mortuo *Clemente XI.* Anteceſſore, & Creatore ſuo, ejus adnitentibus meritis ornatus eſt; piiſſimis Genitoribus, *Carolo* nempè de Comitibus Duce Poli, & *Iſabella Muti* lectiſsima Matrona, in lucem editus eſt die 13. Maii anni 1655. Ab ejus Patruo *Joanne Nicolao de Comitibus* Epiſcopo Anconitano *Michael* impubes adhuc inſtituendus ſuſcipitur, ſecumque ut rudimenta hauriret literarum, eum Anconam traducit. Ibi A ſub illius diſciplina etiam Philoſophiæ, & Theologiæ ſedulo incubuit.

Mortuo *Innocentio XI.* cum Cardinali Patruo ſuo ad Comitia Vaticana adveniente, & ipſe Romam venit. Vixque aſſumpto ad Apoſtolatum *Alexandro VIII.*, ipſius Pontificis Cubicularius honoris renunciatur, atque Internuncius delegatur ad *Franciſcum Maurocenum* Venetiarum Ducem, ut Papæ nomine Enſem, & Galeam deferret. Exacto, ut in commiſſis B habuerat, negocio, Romam redit. Mortuoque ſequenti anno *Alexandro VIII.*, ſub illius Succeſſore *Innocentio XII.* in Præſulum Ordi-

nem

nem adſcribitur. Aſculanæ Civitati Gubernator præficitur, & ſæviente in finibus Ditionis Eccleſiaſticæ peſtifera lue, ad curandos eoſdem Eccleſiæ fines Commiſſarius eligitur. Deinde ad Fruſinonis, & poſtremo ad Viterbii Gubernium admovetur.

Sed Innocentio XII. majora de eo diſponente, anno 1695. Nuncius Apoſtolicus ad Helvetios eligitur, & Archiepiſcopus dicitur Tharſenſis; Quam Spartam laudabiliter implevit. In eodem Nuncii Apoſtolici munere Regem adivit Luſitaniæ. Hac etiam Legatione ſtrenuè, multoſque per annos adminiſtrata, *Clemens XI.* Eum die 7. Junii 1706. Sacro Purpuratorum Patrum Senatui adjunxit. Epiſcopum etiam dixit Eccleſiæ Auximanæ. Anno 1710. Romam veniens Petaſo donatur Cardinalitio, & Titulo Presbyterali *SS. Quirici, & Julittæ*, Protector etiam dicitur Nationis Luſitanæ. Mox Auximum ſe recepit, Eccleſiamque ſuam præceptis ornavit ſanctiſſimis, juſtitia incorrupta, moribus intaminatis. Ex Epiſcopatu Auximano ad alterum Viterbienſem translatus eſt, poſtquam anno 1712. Cardinalis *de Sancta Cruce* illius Civitatis Epiſcopus è vivis exceſſerat. Quem ſanè Epiſcopatum aliquot poſt annis Michael dimiſit.

Poſt mortem vero *Clementis XI.* Anno 1721. die 8. Maii, apparitioni Sancti Michaelis Archangeli dicato, unanimi Cardinalium ſententia Summus Pontifex aſſumitur ſub nomine *Innocentii XIII.*, cujus geſta ſuo loco referemus, quum hæc de ejus privata vita delibaſſe ſufficiat.

Quarta Cardinalium Creatio

Die 1. Auguſti Anni 1707.

In ea unicum enunciavit Cardinalem Carolum Thomam Maillard De Tournon.



Ca-



Carolus Thomas Maillard de Tournon Taurinensis, Patriarcha Antiochenus, Visitator Generalis Apostolicus in Sinarum, et alijs Indiarum Orientalium Regnis, cum potestate Legati de Latere, S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus in Consistorio secreto die 1 Augusti 1707. Obijt Macai die 8. Iunij 1710.

Dominicus de Rubeis heres Io Iacobi, ad Templu S. M. de Pace cum Priuil. S.P. et Sup. perm.

XXIII.

CAROLUS THOMAS MAILLARD DE TOURNON Taurinensis ex nobili, & perantiqua Familia illius Civitatis natus est die 21. Decembris anni 1668. Patrem habuit *Victorium Amedeum de Maillard*, Comitem de Tournon, Equitem Regii Ordinis Sanctissimæ Annunciationis, aliisque in Aula Sardiniæ Regis clarum Titulis, & Dignitatibus. Pietati ac studiis Literarum animum intendens, in utroque exercitio, vel ab ipsa infantia, progressus sui præclara exhibuit specimina. Nam emenso feliciter cæterarum scientiarum curriculo, præcipuam Theologiæ, atque Jurisprudentiæ in Patria navavit operam. Ibi Laurea etiam Doctorali ornatus fuit. Contigit eo tempore, ut *Balthassar Cincius* Præsul egregius, & Pro-Legatus Avenionis propter dissidia inter S. Sedem, Regemque Gallorum exorta, Avenione discedere coactus fuerit, atque in Niceam Galliæ Narbonensis Civitatem se recipere. Hic primus aditus fuit *Carolo Tournonio*, ut *Cincii* amicitia &, familiaritate uteretur, quam deinde Romæ, & coluit, & auxit.

His igitur peractis studiis, matura in ætate, & Sacerdos factus *Carolus* Romam venit, quo tempore *Cincius* ab *Innocentio XII.* Sacra Purpura fuerat insignitus; qui Carolum pro se Assessorem, & socium studiorum selegit. Pluribus

ribus adſcriptus fuit Literariis cœtibus, & præſertim in Collegio Urbano Propagandæ Fidei, pluriesque in illis eruditè diſeruit in arduis Sacrorum Canonum, & Conciliorum quæſtionibus. Ejus doctrinæ fama permotus *Clemens XI.* ſuum honoris Cubicularium illum dixit, deindè Doctrinæ Chriſtianæ Præfectum pronunciavit. Quod munus tanta implevit ſollicitudine, ac cura, ut ſtudium inceſſerit eidem *Clementi XI.* ipſum ad majora promovendi. Egregium virum ad Synas delegare decreverat, ut veram Catholicam Fidem, & Apoſtolica edicta promulgaret circa ritus in illo, aliiſque Indiarum Orientalium Regnis ſervandos. Ad hoc arduum Miniſterium *Carolus* electus fuit cum facultatibus Legati de Latere, & Viſitatoris Apoſtolici, & cum decenti aliorum Sacerdotum, & Miſſionariorum comitatu. Ipſemet Summus Pontifex in Vaticana Baſilica eum conſecravit Patriarcham Antiochenum die 21. Decembris anni 1701. die vero 4. Julii ſequentis anni longinquum, plenumque diſcriminis iter arripere juſſus eſt.

Paruit Carolus, atque, ut decet diſcipulum Chriſti, Patriam, & amicos relinquens totum ſe Dei ſervitio mancipavit. Antequam proficiſceretur, obierat eo tempore Frater ejus. Gratias Deo retulit *Tournonius*, quod nullo præpeditus impedimento, & nullo tactus carnis affectu diſcederet: Vix navem conſcenderat, Portumque Genuenſem reliquerat, quod pluries naufrago in mari ad ultimum pænè diſcrimen adductus eſt. Quum adInſulas Fortunatas [a] appulit, ut erat parum firmi corporis habitudine, tædioque longi itineris fatigatus, gravem in morbum incidit. Sæpe rogatus à ſuis, ut ad litus appelleret, donec requieſceret morbi vis, recuſavit ſemper, & nihil intereſſe ajebat, ubi mori oporteret, dummodo pro Chriſto mori contingeret. E Navi dumtaxat excedebat, ubi id navigationis neceſſitas exigeret. Sic evenit in Inſula *S. Laurentii*, quæ *Madagaſcar* dicitur, ſic ad oras *Ponticheri*, & *Coromandeli*, ubi miſeras illas Gentes eloquipavit Evangelico, publicas de Chriſto Crucifixo conciones habuit, Sacramenta miniſtravit. Ægrotus ſemper, (nunquam enim convaluit) ſocios præſertim ſuos ejus exemplo inflammabat, languentes morboque pariter affectos, & ignoti, atque infeſti pertæſos itineris, in ſpem erigebat, ſacramentis reficiebat, & zelo Religionis conſolabatur. Nautas ipſo in iterato tranſitu lineæ æquinoctialis perterritos, aut meticuloſos excitavit, erexit.

[a] Le Canarie.

Demum poſt duos annos, & ultra, quibus turbido mari incubuit, ad litora pervenit Regni Synarum. Recta *Pechinum* petiit illius Imperii Metropolim: Imperatorem adivit, comiterque exceptus fuit, & donis etiam honoratus. Quin imò ei Catholicæ Fidei promulgationis aſſenſum Imperator ille præbuit, atque Evangelizandi copiam conceſſit. Putabat enim, quod antiqua Regionis ſuperſtitio ſervaretur incolumis, nec ritus illi abroga-

A rentur Idololatriæ proximè accedentes. *Tournonius* vero, ac ſi ſibi dicta eſſent verba, quæ Deus Hieremiæ patefecerat = *ecce te conſtitui ſuper Gentes, & Regna ut evellas, & deſtruas, ut ædifices, & plantes* = libera voce Synenſes Ritus deteſtatus eſt, falſos illos Sacerdotes, quos *Mandarinos* vocant, increpavit, regioſque miniſtros repræhendit. Morbum prorſus pellendum dixit, non lenimentis, aut ſomniferis, (ut uſque adhuc actum fuerat), conſervandum.

B Ex templo inviſus haberi cœpit *Tournonius*, & Populo, & Regi; & qui prius vir ſanctus publicè conclamatus fuerat, novator, ſycophanta, & reus læſæ Majeſtatis accuſatur. Quid plura? Nonnulli ex ipſius Catholicæ Fidei adminiſtris, qui *Barigaſæ* [a], & qui *Macai* morabantur, ipſum conviciis vexarunt, & uſque ad mortem, injuriis, & maledictis traduxerunt. Conſtanti animo ærumnas tulit; imo alacrem, & paratum ſe dixit ad eam mortem ſubeundam, quam illi Imperator edixerat, ſi amplius Synenſes ritus inſectaretur.
C Actus in exilium fuit & in ipſa Civitate *Macai* in carcerem conjectus. Prius tamen die ſcilicet 23. Januarii anni 1707. publicis edictis Decreta Apoſtolica contra Synenſes Ritus promulgavit. Quinque inter ejus ſocios dumtaxat, invenit ejus calamitatum, ejuſque conſtantiæ imitatores.

[a] Goa.

Reſciverat *Clemens XI.* Tournonii virtutem, invictumque animi robur, quo Decreta Apoſtolica contra Synenſes Ritus, ut San-
D cta Sedes juſſerat, publicè evulgaverat. Eumque licet adverſa preſſum valetudine, atque ex illatis calamitatibus in aperto mortis diſcrimine conſtitutum, ad Sac. Purpuram promovere decrevit. Idque præſtitit die prima Augufti anni 1707. Longo interjecto tempore juxta itineris intervalla nova Cardinalitia Dignitas *Tournonio* nunciata fuit. Statimque reſcripſit Pontifici, quod ſi ex recenti ampliſſimo munere Synicas Miſſiones derelinquere, & Romam redire cogeretur, oblatam Digni-
E tatem recuſabat; cæterum libenti animo ſe in Indiis interiturum, etiam cum nova Cardinalitia veſte, quam ille Apoſtolico Miniſterio idoneam, ac perutilem exiſtimabat.

At ille graviori in dies morbo urgebatur. Militum ſtipatus cuſtodia, vulgari, noxioque cibo uti cogebatur. Salſa interdum maris aqua ſitim explebat. Fugam quam Comes de *Lizzaraga* Inſularum *Philippinarum* Gubernator, facilem ipſi præbebat, arripere recuſavit. Calamitatibus preſſus, calumniis impetitus
F quotidiè, mortem advenientem majori animo expectavit. Vehementibus viſcerum doloribus vexatus (illi enim in poculis propinatum fuiſſe venenum, nonnulli authores referunt) grandia uſque ad finem pietatis præbuit exempla. Ipſo, quo obiit, die, ut Sacro Viatico muniretur, ſummo mane è lectulo ſurgens, labans, deliquiiſque diffluens incruento adſtitit Miſſæ Sacrificio, atque ultimo Euchariſtico

ci-

cibo refectus est. Paucis exinde elapsis horis interiit *Macai* die 8. Junii anni 1710. (*a*). Easdem Apostolicas ad Synas Missiones hæredes ex Asse instituit. Synenses ipsi eximia virum sanctitate fulgentem, postquam decesserat, venerati sunt. Præcipuè verò Catholici, & qui eum viventem calumniis exagitarunt, pœnitentia ducti justa illi funebria in Ecclesia, quæ de misericordia dicitur, exsolverunt.

Ut verò funestum Romæ tantæ jacturæ nuncium pervenit, indoluit *Clemens XI.*, illudque in Consistorio Secreto verbis ad perpetuam defuncti commendationem prolatis, evulgavit. Præterea in ipsa Pontificia Cappella justa exequialia amplissimo ritu illi, tamquam eximio Fidei Catholicæ Athletæ, & propugnatori, persolvit. Ac omni ope nixus est, ut ejus Cadaver Romam deferretur. Quod demum opera ejus in Synensi Legatione successoris, nempè *Caroli Mediobarbi* Patriarchæ Alexandrini, obtentum fuit. Quare Cardinalium Propagandæ Fidei Decreto idem corpus in Ecclesia ipsius Propagandæ Fidei conditum fuit cum hoc Elogio (*b*).

D. O. M.
CAROLO THOMÆ MAILLARD DE TOVRNON
S. R. E. CARDINALI
AVGVSTÆ TAVRINORVM PRÆCLARO GENERE
ORTO
A CLEM. XI. P. M.
PRO CHRISTIANA RELIGIONE
AD SYNARVM IMPERATOREM LEGATO
ATQVE OB STRENVAM OPERAM
SEDI APOSTOLICÆ NAVATAM
IN SACRVM CARDINALIVM ORDINEM
ADSCRIPTO
POST ACCEPTVM COLLATÆ
DIGNITATIS NVNCIVM
INTER GRAVISSIMÆ EXPEDITIONIS ÆRVMNAS
EXIMIA FORTITVDINE SVSCEPTAS
AC TOLERATAS
MACAJ APVD SYNAS IV. IDVS IVNII MDCCX.
VITA ET LABORIBVS FVNCTO
CARDINALES PROPAGANDÆ FIDEI
REBVS PRÆPOSITI
HIC CONDITO EIVS CORPORE
PER CAROLVM AMBROSIVM MEDIOBARBVM
PATRIARCHAM ALEXANDRINVM
EIVS IN SYNENSI LEGATIONE SVCCESSOREM
ROMAM ADVECTO
MONVMENTVM POSVERVNT
ANNO SALVTIS MDCCXXIII.

Verba per Sanctissimum D. N. Clementem XI. habita in Consistorio Secreto de obitu Cardinalis de Tournon.

Venerabiles Fratres. Sæpius nos ex hoc loco publica mala deflevimus: Domesticam hodie nostram, ac vestram itidem jacturam dolemus: Nisi tamen, & publica dici illa mereatur, quæ cum nostra, & vestra sit, censeri etiam debet A *universæ Ecclesiæ calamitas. Benè jam intelligitis de acerbo nos obitu Thomæ Cardinalis de Tournon verba facturos. Amisimus; Venerabiles Fratres, amisimus Orthodoxæ Religionis Zelatorem maximum, Pontificiæ authoritatis intrepidum Defensorem, Ecclesiasticæ disciplinæ Assertorem fortissimum, Magnum Ordinis vestri lumen, & ornamentum. Amisimus Filium nostrum, Fratrem vestrum, plurimis, quos prò Christi causa suscepit, laboribus attritum: diuturnis, quas pertulit,* B *ærumnis confectum: contumeliis, quas forti, magnoque animo sustinuit, innumeris, velut aurum in fornace probatum. Hæc tamen si rectè perpendantur, tantum abest, ut ad cumulandum luctum nostrum sint apta, ut potius omnem doloris sensum ab animis nostris abstergant. Neque enim juxta monitum Apostoli, contristari de dormientibus debemus; sicut & cæteri, qui spem non habent. Pretiosam in conspectu Domini piissimi Cardinalis mortem fuisse, justè sperare nos jubet eximius* C *ille Catholicæ Fidei propagandæ zelus, quo ubi primum ad Apostolicum Ministerium à Deo vocatus per nos fuit, illico humiliter obtemperans, Aulam, Urbem, Parentes, Consanguineos, Amicos, eaque omnia, quæ natura cuique gratissima facit, alacri, sicuti nostis animo dereliqit; longissimoque itineri, ac periculorum pleno, se committere non dubitavit. Sperare nos jubet ardens illa charitas, qua tot remotis terrarum, mariumque spatiis peragratis, nunquam fecit animam suam pretiosio-* D *rem, quam se; ac foras misso timore, loquutus fuit de testimoniis Domini in conspectu Regum, & non fuit confusus: semperque in tribulationibus gaudens, pergratum Deo, & Angelis ejus spectaculum exhibuit. Sperare nos jubet excelsus ille humanarum rerum contemptus, quo amplissimam dignitatem, ad quam suis ita abundè exigentibus meritis à nobis evectus fuerat, & à qua nihil aliud quam pro Ecclesia, & pro Christo usque ad sanguinis effusionem inclusivè, imperteritè decertandi onus, ac mo-* E *nitum acceperat dimissurum se potius, quam in Europam, Missionibus Synicis derelictis, remigraturum, serio ad nos scripsit, & palam professus fuit. Sperare nos jubet singularis illa pietas, qua in supremis suis tabulis, relicta pauperibus pecunia, consanguineis legata cruce, Propagandæ Fidei opus verè sanctissimum ex asse scripsit hæredem: illustre nobis documentum relinquens, quæ & qualia esse debeant eorum Testamenta, qui de Altari vixerunt, & Ecclesiæ Ministeriis se addixe-* F *runt. Sperare nos demum jubet invicta illa sacerdotalis roboris constantia, qua vir verè Apostolicus, tametsi sustentaretur pane tribulationis, & aqua angustiæ; officium tamen suum nunquam dimisit, ac non minus diutur-*

(*a*) Nec verum est, quod obierit, ictu correptus Apoplexiæ, ut legitur in relatione Parisiis edita, & Gallico sermone exarata anno 1733. (*b*) Polidorus Vit. Clem. XI. pag. 227., & seqq. - Crescimbeni in Vita Card. de Tournon. Idem in notitiis Historicis Arcadiæ Tom. 2. pag. 100. Relatio de antiqua Synensium Religione Bononiæ 1701. Altera Parisiis 1733.

næ custodiæ injuriis, quam aliis gravissimis vexationibus, ad supremum usque vitæ spiritum fortiter toleratis, bonum certamen certavit, cursum consumavit, fidem servavit. Quid ergo reliquum est, nisi quod, & merito etiam speramus, repositam ei fuisse coronam Justitiæ? Ita sanè, & justè sperare nos convenit. Verum quia id facit humana fragilitas, ut de mundano pulvere, etiam religiosa corda sæpe sordescant, nostras pro defuncti Cardinalis Anima ad Deum preces, atque suffragia deesse, Christianæ charitatis ratio non patitur. Id & privatim hactenus nos ipsi sæpius agere non omisimus, ac ut aliquid præter morem erga insuetæ virtutis viri memoriam peragamus; publicis insuper in Pontificio nostro Sacello exequiis, stata die vobis indicenda solemni ritu præstabimus. Firmam interim in spem adducimur, fore ut Cardinalis de Tournon Synensem Missionem, quam vivens dilexit, etiam è cælesti statione benigno vultu respicere non dedignetur, suaque ope id in primis efficiat, ut quod ipse anxiis adeò notis exoptavit, avulsis tandem ex illo agro, quæ inimicus homo super seminavit zizaniis, Catholicæ Fidei seges illic reflorescat, & ad majorem Divini nominis gloriam uberius in dies multiplicetur.


Quinta Cardinalium Creatio habita

Die 15. Aprilis Anni 1709.

In ea duos evulgavit Cardinales, qui fuerunt.

Ulysses Joseph Gozzadinus. Bononiensis.
Antonius Franciscus Sanvitalis. Parmensis.





VLYSSES IOSEPH S. R. E. PRESBYTER
CARDINALIS GOZZADINVS BONONIENSIS
CREATVS DIE XV. APRILIS MDCCIX.
Obijt die 20 Martij 1728.

Petrus Nelli Pinxit — Hieronymus Rossi Incidit

Dominicus de Rubeis Hæres Io. Iacobi formis Romæ ad Templ. S. M. de Pace cum Privil. Summi Pontificis

X X IV.

ULYSSES JOSEPH GOZZADINIUS Bononienſis nobilibus, & Patriciis ortus Parentibus, nempè *Marco Antonio Gozzadinio*, & *Junipera Leoni*, natalem adſpexit lucem die 10. Octobris anni 1650. Chriſtianis imbutus moribus à pueritia, atque optimis traditus Præceptoribus, Dialecticam didicit, & Phyſicam ſub celebri *Aloyſio Magnio*, Mathematicam verò ſub *Geminiano Montanario*, & *Dominico Guglielminio*, inclytis in Patrio Lycæo Profeſſoribus. Poeticam quoque artem, atque Oratoriam luſtravit; Hinc cœtus Literarios percoluit, & in clarioribus Italiæ Academiis receptus fuit. At vero Juriſprudentiæ naviter in-

A cubuit, vixque annum agens viceſimum, Laurea Doctorali ornatus fuit anno 1670.

Pietatis inſtinctu anno 1673. ſemitam Clericalem arripuit, & anno 1674. Canonicus illius Metropolitanæ dictus eſt. Anno 1693. favore *Claudii Gozzadini* ejus germani Fratris Canonicatum dimiſit, & Romam ſe contulit, ut gravibus ejus rebus domeſticis conſuleret. Quum vix Romam perveniſſet, ibique magnam nactus eſſet exiſtimationem, Canonicatum obtinuit in Vaticana Baſilica. Tantam-

B que apud *Innocentium XII.* gratiam inivit, ut brevi ad inſigne munus aſcenderit Secretarii ſupplicum Libellorum, atque ad ſuffragium

ferendum in Congregatione Consistoriali assumptus fuerit. Anno 1699. vexatus calculo, quem renibus enutriebat, Florentiam petere coactus est, ut à celeberrimo Lithotomo curaretur. Vices ejus explevit præclarus vir *Gabriel Philippuccius* (*a*) in eodem munere suffectus Secretarii supplicum Libellorum. Sed quum sequenti anno mors contigerit *Innocentii XII.*, hinc *Gozzadinus* vacuus permansit honoribus, & dignitatibus.

Evecto demum ad Apostolatus apicem *Clemente XI.*, pius iste Pontifex proborum hominum & existimator, & cognitor, eum passus non est inertem, vitamque desidiosam agentem. Propterea Secretarium dixit Brevium, ut vocant, ad Principes, & Titulo decoravit Archiepiscopi Theodosiensis. Anno verò 1709. die 15. Aprilis in Sacrum Purpuratorum Patrum Senatum invexit sub titulo Presbyterali *S. Crucis in Hierusalem*. Congregationibus etiam eum adjecit Episcoporum, & Regularium, Immunitatis Ecclesiasticæ, Rituum, Indulgentiarum, Sac. Reliquiarum, Indicis Librorum prohibitorum, Propagandæ Fidei, Rerum Consistorialium, & Avenionis, & Lauretanæ.


Nec inter hos limites Papæ beneficentia perstitit; nam die 10. Februarii anni 1710. Episcopum Imolensem eum renunciavit, & demum anno 1713. universæ præfecit *Æmiliæ* Legationi (*b*). Utrimque Populorum utilitati consuluit, & optimus Princeps, & Pastor vigilantissimus.

Anno 1714. quum iisdem Magistratibus fungeretur, Legatus etiam de Latere electus est, ut nomine ejusdem *Clementis XI.* omni officiorum genere *Elisabeth Farnesiam* percoleret, Regalibusque nuptiis benediceret, quas ipsa in Hispaniam proficiscens cum Catholico Rege contraxerat *Philippo V. Borbonio*. Munus absolvit ea comitate, ac dignitate, quæ Principem decebat, & Papæ administrum. Comitiis adfuit *Innocentii XIII.*, & *Benedicti XIII.*, sed ætate, laboribusque confectus, vivere desiit die 20. Martii anni 1728. annum quum ageret 77. mens. 5. dies 10., atque in ejus Imolensi Cathedrali honorificè sepultus est.



AN-

(*a*) Crescimbeni in Vita *Gabrielis Philippucci*.
(*b*) Manzonius Historia Episcopor. Imolensium - Faventiæ anno 1719.



ANTONIVS FRANCISCVS S. R. E. PRESBYTER
CARDINALIS SANVITALIS PARMENSIS
ARCHIEPISCOPVS VRBINI
CREATVS DIE XV. APRILIS MDCCIX.
Obijt die 17. Decembris 1714.

Petrus Nelli Pinxit — Hieronymus Rossi Incidit

Cura et sumptibus Dominici de Rubeis Romæ ad Templum S. Mariæ de Pace cum Priuil. S. Pont.

XXV.

ANTONIUS FRANCISCUS SANVITALIS Parmensis die nascitur 5. Julii anni 1660. ex vetustissima Familia plurium bello, togaque præstantium Virorum Matre, & altrice. Hos inter duos edidit ejusdem Parmensis Civitatis celebres Episcopos *Opitium*, & *Albertum*. Patrem habuit Comitem *Aloysium*, Matrem vero Comitissam *Margaritam Florentiam* Matronam Mediolanensem, & Viduam in primis nuptiis Comitis *Bernabò Vicecomitis*.

Antonius optimam indolem excoluit in ipsa Parmensi Civitate, usque ad annum ætatis ejus decimum sextum. Indè ut altiores addisceret disciplinas, anno 1676. Romam venit in

A Collegio Clementino sub disciplina Clericorum Regularium de Somasca. Emensis Philosophiæ, & Theologiæ studiis, Parmam iterum revertitur, anno 1682. Ibi sedulam plures per annos Jurisprudentiæ navavit operam, atque in Doctorum numerum adscriptus est.

Sic laudabiliter exacta pubertate, Literis, & pietati vicissim incumbebat. Integerrimam ejus vitæ rationem quammaximè miratus *Saladinus* ea tempestate Parmensis Episcopus,
B sacris eum initiavit ordinibus, & Sacerdotem inauguravit. In gravissimis suæ Diœceseos negociis illius consilium exquisivit. Examinato-

torem Synodalem esse jussit, & censorem Librorum in lucem prodeuntium.

Piis hisce distentus negociis, quum diù honestissimam egisset vitam, demum, ut Ecclesiæ magis inserviret, Romam redire cogitavit. Priùs tamen cultiores Italiæ Urbes lustravit, atque in Germaniam progressus est. Viennam se contulit, & Hungariam Turcico Bello immanissimè agitatam peragravit. Budam invisit, quam nuper suo Imperio Cæsar adjecerat. Hoc peracto itinere, ut totum se Dei servitio manciparet, Romam inquam venit, & ab *Innocentio XII.*, ut inter Præsules Romanæ Curiæ reciperetur, efflagitavit. Ditissima jam ille fruebatur Præsulis dignitate ejus Familiæ gentilitia. Amplissimo *Referendariorum*, ut dicunt, Ordini adscriptus cito XII. Vir in Tribunali Signaturæ Justitiæ est renunciatus. Consultor etiam Congregationi S. Officii admotus est.

At evecto ad Apostolatus apicem *Clemente XI.* Canonicatum obtinuit in Vaticana Basilica. Archiepiscopus indè Ephesinus dictus est, & Prolegatus Avenionis. Mox anno 1704. Florentiam abiit Nuncius Apostolicus. Atque anno vix exacto hujus amplissimi Ministerii, ut ad majora proveheretur, Romam revocatur, & Pontificio cubiculo Præfectus dicitur.

Omnia hæc munera non sine maxima probitatis, & prudentiæ commendatione quum gessisset *Antonius*, merito hinc die 15. Aprilis 1709. inter Purpuratos Patres relatus est. Titulum obtinuit Presbyteralem *S. Petri in Monte Aureo*. Congregationibus etiam adjectus est S. Officii, Episcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Avenionis, & Laureti. Et ut majora exhiberet pietatis specimina, Urbini Episcopatui admotus est. Ibi naturæ concessit die 17. Decembris anni 1714., atque in illa majori Ecclesia honorificè sepultus est.


Sexta Cardinalium Promotio

IN EA

CLEMENS XI.

Die 23. Decembris Anni 1711.

Unicum Creavit Cardinalem ex Fratre Nepotem suum Annibalem Albanum Urbinaten.





XXVI.

ANNIBAL ALBANUS Urbinas Filius *Horatii* germani Fratris *Clementis XI.* Summi Pontificis, & *Mariæ Bernardinæ Hondedeæ* Patritiæ Pisaurensis, ac piissimæ Matronæ; In lucem editus est die 15. Augusti anni 1682. Plena ipse in pubertate *Clementis XI.* Patrui sui electionem vidit. Et tamen nulla ipsi obvenit fortunæ accessio, nisi postquam severus ille Pontifex, plurium annorum experimento *Annibalis* doctrinam, morumque integritatem probasset. Optima institutus educatione, decimum octavum agebat annum, quum ad Apostolatum *Clemens* assumptus fuit, atque in SeminarioRomano cultioribus disciplinis nava-

A bat operam. Nihilo tamen minùs in eodem Seminario persistere jussus est, ut studia benè cœpta prosequeretur. His probe absolutis, ut Ecclesiæ inserviret, Canonicus dictus est Vaticanæ Basilicæ.

Anno 1704. *Francisco Pignattellio* ad Sarmatas Nuncio, & Archiepiscopo Neapolitano, Laureti in Picæno obvius fuit, pileumque illi detulit purpureum, quum inter Cardinales relatus esset. Tunc solum intimus Papæ Cubicularius Annibal renunciatus est Anno 1706.
B quum viginti egregios viros eadem Cardinalitia dignitate *Clemens* auxisset, frustra nonnulli Cardinales adlaborarunt, flagitaruntque,

ut

ut hoc honore, quo tam multos ornabat, *Annibalem* quoque condecoraret. Pontifex vero eorum precibus, atque argumentis minimè acquievit. Atque in eodem propoſito perſtitit, quum ſequentibus annis quamplures alios Cardinales creaſſet. Præſidem vero eum dixit Cameræ Apoſtolicæ, quod munus in Romana Curia nomine quidem ſpecioſum, revera tamen parvi exiſtimatur.

Ut eum ad maxima quæque agenda Religionis negocia erudiret, anno 1709. ad Imperatorem, alioſque Germaniæ Principes allegavit. *Hagæ* Comitiis generalibus publicati fuerant hoc anno articuli præliminares, ut dicunt, pro pace inter Europæ Principes ſancienda. Plura in illis erant à Fidei hoſtibus Religioni intentata diſcrimina. Batavi hæretici Geldriam à Cæſare ſibi concedi poſcebant. Tuendæ Apoſtolicæ Sedis authoritati, redintegrandæ Religioni, ac provehendæ etiam in Sarmatia Sacrorum diſciplinæ, Annibal præficitur. Pluribus ibi nominibus rei Catholicæ opitulatus eſt. Ut *Fridericus Auguſtus* Regius Sarmatiæ Princeps Catholicis inſtitueretur Magiſtris, à Rege illius Genitore juxta *Clementis* vota impetravit. Uberrimus fructus fuit ſuſcepti Catholici Tyrocinii. Regius namque Princeps itinere in Italiam arrepto, quum Bononiam perveniſſet, anno 1712. Lutheranæ hæreſeos ejuravit errores. Hoc tamen factum glorioſiſſimum ex humanis rationibus nonniſi quinto poſt anno evulgatum fuit. Eximiæ vero actioni robur addidere *Laurentius* Cardinalis *Caſonus* Bononiæ Legatus, & unus ex Generalibus Fidei Quæſitoribus, & *Jo. Baptiſta Salernus* Theologus Societatis Jeſu.

Anno 1711. mortuo *Joſepho* Imperatore, Pontificius extra Ordinem Nuncius Francofurti ad Mœnum *Annibal* adeſſe jubetur, ubi Electorum conventus habebatur. Electioni *Caroli* Auſtriaci, licet abſentis, & ex Hiſpania redeuntis, quam maximè favit. Eidem vero in Imperatorem electo, & Francofurtum petenti *Annibal* ad Oenipontem occurrit. Mutua Pontificis, Cæſariſque officia excepit, & reddidit. Plura etiam à recenter electo Imperatore obtinuit ad divinum cultum, præſertim in Germania, propagandum, ſaluberrima.

His demum ritè peractis tunc de *Annibale* ad Cardinalatum promovendo Pontifex deliberavit, & die 23. Decembris hujus anni 1711. eum inter Purpuratos Patres adſcripſit. *Annibal* in Italiam revocatus, Urbini in Eccleſia majori purpureum pileum ſuſcepit per *Antonium Raſponum* Papæ Cubicularium ſibi delatum. Romam indè adveniens Petaſum Cardinalitium obtinuit, & Diaconiam *S. Mariæ in Coſmedin*. A Secretis etiam ſupplicum libellorum eſt renunciatus. Parvo interjecto tempore Baſilicæ Vaticanæ Archipresbyter datus eſt. Nonniſi tamen, quam anno 1719. poſt mortem Cardinalis *Joannis Baptiſtæ Spinulæ*, Cardinalis *S. Cæſarei* nuncupati, Queſtor S. R. E., quem Camerarium vocant, Annibal eſt renunciatus.

Diaconia relicta, Presbyteralem Titulum aſſumpſit *S. Clementis*, quem poſtea in Commendam retinuit, licet etiam in Ordine Epiſcoporum ad Epiſcopatum Portuenſem aſcenderit. Tot hiſce ornatus muneribus vivit adhuc prudentiæ, & Religionis exemplar. Maximum tamen Camerariatus Officium, ut Deo liberius inſerviret, anno 1747. ſponte in manibus Papæ dimiſit. Sic ille privatam, omniſque expertem periculi vitam gerit. Et poſtquam plures per annos graviora Religionis, rerumque temporalium Ditionis Eccleſiaſticæ negocia feliciter pertractavit, procul à faſtu æternitati conſulit, & rebus incumbit ſuis. Maxima illi fuit in Patrui Pontificatu, & ſequentium Pontificum Regno, atque etiam apud exteros Principes in rebus agendis prudentia, & dexteritas. *Fridericum III.* Saxonum Ducem, ut poſt Genitoris mortem in Sarmatiæ Regno ſuccederet, maximè juvit. In electionibus Summorum Pontificum, quotquot poſt mortem Patrui contigerunt, maximam ſibi partem aſſumpſit. Cum hac prudentia, & authoritatis laude Cardinalium celebravit Comitia pro electione *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.*, *Clementis XII.*, *&* BENEDICTI XIV.

Congregationibus adſcriptus eſt Sancti Officii, Concilii Tridentini, Immunitatis Eccleſiaſticæ, Rituum, Indulgentiarum, Propagandæ Fidei, Indicis Librorum prohibitorum, Rerum Cœremonialium, Rerum Conſiſtorialium, Avenionis, & Laureti, Artis Agrariæ, finium, Clanarum, Signaturæ Gratiæ, & Riparum. Præfectus præterea eſt Fabricæ Vaticanæ Baſilicæ. Protector Regni Poloniæ, Nationis Helveticæ, & Religionis Hieroſolymitanæ. Protector etiam Collegii Germanici, Hungarici, Ordinis Chartuſianorum, Ordinis S. Franciſci de Paula, & Canonicorum Præmonſtratenſium S. Norberti.

Septima Cardinalium Promotio


CLEMENS XI.

Die 18. Maii Anni 1712.

Decem, & octo Purpuratos Patres recensuit. Quorum undecim hac eadem die evulgavit. Alios septem in pectore retinuit, & in binis sequentibus Consistoriis pariter evulgavit. Omnes vero Patres hac eadem die ad Cardinalatum assumpti nomine recensentur.

27 Ludovicus Picus Mirandulanus hac die creatus, & die 26. Septembris hujus anni 1712. evulgatus.
28 Joannes Antonius De Via Episcopus Ariminensis. Bononiensis.
29 Augustinus Casonus Episcopus Ticinensis. Mediolanensis.
30 Julius Piazza Episcopus Faventinus. Forolivienfis.
31 Antonius Felix Zondadarius Archiepiscopus Damascenus. Senensis.
32 Emanuel de Arias Archiepiscopus Hispalensis. Hispanus, qui hac die creatus, die tamen 30. Januarii anni 1713. evulgatus fuit.
33 Joannes Baptista Bussius Viterbiensis, qui die 26. Septembris anni 1712. evulgatus fuit.
34 Petrus Marcellinus Corradinus Setinus proclamatus in sequenti Consistorio die 26. Septembris hujus anni.
35 Benedictus Sala Ordinis S. Benedicti Episcopus Barchinonensis. Hispanus, publicatus die 30. Januarii anni 1713.
36 Armandus Gasto de Rohan Episcopus Argentoratensis. Gallus.
37 Nonius à Cunha de Attayde Episcopus Tangernensis. Lusitanus.
38 Wolfangus Annibal de Schrattembac Episcopus Olomucensis. Germanus.
39 Aloysius Priolus. Venetus.
40 Joseph Maria de Tommasiis Panormitanus. Ordinis Theatinorum.
41 Joannes Baptista Ptolomæus e Societate Jesu. Pistoriensis.
42 Fr. Franciscus Maria Casinus Ordinis S. Francisci Cappuccinorum. Aretinus.
43 Curtius Origus. Romanus, publicatus die 26. Septembris ejusdem anni 1713.
44 Melchior de Polignac Gallus, publicatus die 30. Januarii 1713.





Ludouicus Picus de Mirandula Patriarcha Constantinopolitanus Sacri Palatij Apostolici Præfectus S.R.E. Episcopus Cardinalis creatus á SS. D.N. CLEMENTE PAPA XI. in Consistorio Secreto habito post Semipublicum in Aula Ducali Palatij Vaticani die 18. Maij 1712, et in simili Consistorio Secreto in Palatio Quirinali die 26. Septembris eiusdem Anni Publicatus

Petrus Nelli delin. é Pinx. — Iacobus Frey Incidit

Dominicus de Rubeis Hæres Io. Iacobi formis Romæ ad Templ. S. M. de Pace cum priuil. S. P.

XXVII.

LUDOVICUS PICO Mirandulanus die natus est 9. Decembris anni 1668. ex præclarissimis, Principibusque Parentibus; nempè ex *Alexandro* Secundo Mirandulæ, & Concordiæ Duce, & *Anna Beatrice Estensi Francisci primi* Mutinensium Ducis filia. Ut primum per ætatem licuit, optimis Præceptoribus erudiendus traditur. Rethoricam didicit, Philosophiam lustravit, atque anno 1685. Sacræ Theologiæ præcepta hausit sub disciplina *P. Leonardi Brunetti* Clericorum Regularium Congregationis de Somasca.

Initio volventis sæculi, quum Mirandula à Gallis obsidione cingeretur, ipse Bononiam
A primo, indè Romam aufugit, quo vocabatur Religionis studio, & misera afflictæ suæ Domus perturbatione. Et quidem egregius adolescens, licet præclarissimo loco natus, extrema tamen premebatur rei familiaris angustia. Ut Cæsaris misericordiam impetraret, Viennam se contulit, & redditus, unde ali posset, obtinuit. Quare Romam revertens Præsulum Ordini adnumeratur anno 1701., statim à *Clemente XI.* Cameræ Apostolicæ Clericus renunciatur. Duobus annis Magistratum
B obivit, indè Cubiculo Pontificio præfectus fuit. Mox præfectus etiam Apostolico Palatio, & Patriarcha Constantinopolitanus effectus;

tan-

tandem in hac solemni Promotione diei 18. Maii anni 1712. inter Presbyteros Cardinales refertur sub Titulo *S. Silvestri in Capite*.


In pectore tamen servatus fuit, usque ad diem 26. Septembris ejusdem anni, qua publice enunciatus fuit, Congregationibus etiam adscriptus S. Officii, Concilii Tridentini, Indicis Librorum prohibitorum, Fabricæ Vaticanæ, Propagandæ Fidei, Rerum Consistorialium, Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum.

Idem *Clemens XI.* viri pietate, & morum innocentia permotus, Pastorali eum regimini admovit. Quare vacantem Senogalliensem Ecclesiam illi contulit. Brevi quidem tempore Episcopatum gessit, sed pietatis egregia exhibuit documenta, & grandia præbuit virtutum, & veteris disciplinæ exempla. Sed stimulis actus integerrimæ conscientiæ Episcopatum dimisit. Romam redux, Congregationibus, quibus fuerat scriptus, adesse non prætermisit. Præfectura etiam Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum decoratus fuit. Præterea Basilicæ Liberianæ Archipresbyter, & pluribus aliis locis piis datus fuit Protector. Quidquid Religionis, quidquid erga S. Sedem obsequii, ac reverentiæ proprium erat, id omne exequutus fuit toto suæ vitæ curriculo. Titulum Presbyteralem in alterum *S. Praxedis* immutavit; deinde in ordine Episcoporum, Albani primo, mox vero Portuensis Antistes fuit. Comitiis adfuit in Vaticano habitis pro electione *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.*, *Clementis XII.*, & Benedicti XIV. Demum senio confectus obiit Romæ die 9. Augusti anni 1743. Ejus cadaver in Ecclesia *SS. XII. Apostolorum* funebri pompa exceptum fuit, inde ad Ecclesiam translatum Sanctissimi Nominis Jesu ad Columnam Trajani, ibique honorificè conditum. Ejus vero cor, ut ipse testamento suo caverat, ad Ecclesiam Sanctæ Praxedis olim ejus Titularem illatum fuit; & Cardinalis Angelus Maria Quirini novus ejusdem Ecclesiæ Titularis, hoc illi perenne monumentum extruxit.

LVDOVICO PICO MIRANDVLANO
S. R. E. CARDINALI EPISCOPO PORTVENSI
OMNIBVS ANIMI DOTIBVS
QVÆ SACRVM PRINCIPEM MAXIME DECENT
ORNATISSIMO
QVOD DVM ÆDIS HVIVS TITVLVM GERERET
BENEFACTOREM SESE MVNIFICENTISSIMVM
EIDEM EXHIBVERIT
SVVMQVE TANDEM COR IN EA REPONENDVM
MANDAVERIT
ANGELVS MARIA CARDINALIS QVIRINVS
S. R. E. BIBLIOTHECARIVS
SVMMVS TANTI CARD. VIRTVTVM ADMIRATOR
EIVSQVE IN IPSO TITVLO S. PRAXEDIS
SVCCESSOR
ANN. REP. SAL. MDCCXLIII.



... Pet. Leo Ghezzi inv. et del. Bened. Farjat incid.



IOANNES ANTONIVS S.R.E. PRIOR PRESBYTERORVM
CARDINALIS DE VIA BONONIENSIS
CREATVS DIE XVIII. MAIJ M.D.CCXII.
Obiit die 12 Januarii 1740.
Petrus Nelli Pinxit *Hieronymus Rossi Incidit.*
Curâ et Sumptibus Dominici de Rubeis ad Templum S. Mariæ de Pace cum Priu. S.P.

XXVIII.

JOANNES ANTONIUS DE VIA Bononienſis die natus eſt 13. Octobris anni 1660. ex optimis, & Patriciis Genitoribus, nempè ex *Joanne Baptiſta*, *&* *Portia Ghiſilieria*. Ingenium nactus alacrè, ac vivax, cito rudimenta Literarum didicit. Ad altiores progreſſus diſciplinas, anno 1675. Philoſophicas Theſes publicè propugnavit; cæteras etiam omnes facultates, mathematicas præcipue impenſo ſtudio inveſtigavit; Juriſprudentiæ etiam incubuit, in qua Lauream Doctoralem in Patriæ Univerſitate adeptus eſt.

Sic ille à juventute ad pietatem, & ſapientiam vitam ſuam inſtituerat. In ſæculo tamen

A vivebat, & in publicis Magiſtratibus Patriæ ſuæ inſerviebat. Anno 1682. inter Præſides Civitatis, quos *Antianos* vocant, cooptatus fuerat. Anno 1684. nobili captus generoſæ juventutis ardore, Venetis Bello Turcico incumbentibus voluntarium militem ſe præbuit. Adfuit Leucatæ [a] obſidioni. Indè opportunitate luſtrandi Italiam, Romam ſe contulit. Admiſſus fuit coram *Innocentio XI.*, & ut Romano Pontifici obſequium exhiberet, ſecum fandi copiam nactus eſt. At vero Pontifex co-

B mitatem adoleſcentis, ingeniumque ſuſpiciens, atque eminentem rerum ſcientiam, auctor illi fuit, ut vitam Eccleſiaſticam arriperet. Con-

[a] S. Maura

ſilio

silio acquievit Summi Pontificis, cujus, ut speraverat, pronam, & liberalem expertus est voluntatem.

A

Ab eodem Pontifice Bruxellas allegatus est Internuncius Apostolicus. Indè ab *Alexandro VIII.* Archiepiscopus Thebarum dicitur, & Nuncius mittitur Coloniam Agrippinæ. Demum sub *Innocentio XII.* tertia ornatus est Legatione, & ad Sarmatas abiit. Strenuam impeditissimis temporibus pro S. Sedis utilitate navavit operam. Adstitit electioni *Augusti* Saxonum Ducis, magnamque sibi partem assumpsit, ut ipse Poloniæ Rex inauguraretur. Quare Gallis invisus, & diversimodè insectatus, Magistratu se abdicare, & negocia Sedis Apostolicæ intermittere coactus est. Sed brevi patefecit suam innocentiam, & omnem penitus à se culpam amovit. Strenuè iterum idem Apocrysarii munus arripuit apud Sarmatas, eodemque, quo solebat, studio, & diligentia Catholicæ Fidei amplificandæ, & vindicandæ authoritati Pontificiæ incubuit. Idem *Innocentius XII.*, ut suam illi benevolentiam palam testaretur, Ariminensi Episcopatui eum admovit.

B

C

Demum ad Cæsarem missus eodem Nuncii Apostolici munere, similes ibi ob temporum infelices conditiones perpessus est calamitates. Idem quippè Cæsar, qui de Hispanicæ Monarchiæ successione post mortem *Caroli II.* cum Gallis contendebat, S. Sedis Administros non semel suspectos habuit. Anno 1705. *Joseph* Imperator quum maxima celebritate Viennæ *Carolum* Archiducem Austriæ in Regem Hispanorum salutasset; & Nuncius Apostolicus Pontifici obtemperans, eidem celebritati adesse noluisset, statim Vienna pulsus est. Nullis vel literis, vel officiis tam importunè quæsita discordia componi potuit. *Joannes Antonius* Ariminum petere cogitur. Tunc Pastorali sollicitudini intentus, in erudiendo Grege sibi commisso totus fuit. Nec exigua edidit pietatis, & prudentiæ monumenta. Donec tandem anno 1712. die 18. Maii dilatum diu laboribus prœmium obtinuit. *A Clemente XI.* renunciatus est Cardinalis sub titulo Presbyterali *Sancti Calixti*, quem postea immutavit in alterum *S. Petri ad Vincula*, & demum in illum *S. Laurentii in Lucina*.

D

E

Ab eodem *Clemente XI.* Æmiliæ primum de Latere Legatus dictus est, indè Urbini. Cardinalis *de Via*, utramque Provinciam administravit probitate, & prudentia singulari. Romam redux Congregationibus, quibus erat adscriptus adesse non destitit. Adscriptus autem erat Congregationi S. Officii, Episcoporum, & Regularium, Immunitatis Ecclesiasticæ, Propagandæ Fidei; Visitationis Apostolicæ, & Rerum Consistorialium. Præfectus item fuit Congregationi Indicis Librorum prohibitorum. Præterea Protector Angliæ, & Anglici Collegii, totius Ordinis Cisterciensium, & Nationis Bononiensis. Quum autem sæpissime, ac diutissime chiragra, & podagra laboraret, nec amplius Episcopale munus obire posset, ut illo se abdicaret, anno 1726. à Summo Pontifice obtinuit. Et quum illi Pontifex partem quamdam Episcopalium redditum reservare vellet, strenue recusavit, dicens cum Apostolo: *Qui non laborat, non manducet*. Noluit etiam conlationem beneficiorum suæ Diœceseos, illi sponte oblatam, vereri se ajens, ne districtam nimis rationem redditurus foret de illis, quæ usque dum contulerat.

Assidua Doctorum hominum usus est familiaritate; de Literarum Republica optimè meritus est, & omnigenæ eruditionis vir habitus est. Amicos impensè coluit. Comitiis adfuit Vaticanis pro electione *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.*, & *Clementis XII.* Diu pro eo hæc postrema hæserunt Comitia. In illum quippè plurimi Purpurati Patres confertim animum intenderant, ut Summus Pontifex renunciaretur. Numquam tamen emersit.

Tandem in senectute bona vivere desiit die 11. Januarii anni 1740. corpus ejus in Ecclesiam Titularem delatum fuit *S. Laurentii in Lucina*, ibique justis exequialibus à Sac. Collegio peractis, sepultum fuit absque ulla Epigraphe. Sed major venit post cineres fama. Etenim Benedictus XIV. æternum Civi, & Amico optimo extulit monumentum, illudque ornavit hoc Elogio.

D. O. M.

IOANNI ANTONIO DE VIA BONONIENSI
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI
VIRO RELIGIONE ANIMI CANDORE
ET MVLTIPLICI DOCTRINA CLARISSIMO
IN ECCLESIASTICIS ÆQVE
AC POLITICIS NEGOCIIS INTEGERRIMO
BENEDICTVS XIV. PONT. MAX.
CIVI OPTIMO ET AMANTISSIMO
PERPETVVM HOC AMORIS SVI MONVMENTVM
POS.
PONTIF. ANNO II.
OB. III. ID. IANVARII MDCCXL.
ÆT. AN. LXXIX. MENS. II. DIES XIX.



AVGVSTINVS S. R. E. PRESBYTER
CARDINALIS CVSANVS MEDIOLANENSIS
CREATVS DIE XVIII. MAIJ MDCCXII.
Obijt die 27 Decembris 1730

Ant. Pedeuan il Fiamingo Pinxit — *Hieronymus Rossi Incidit*

Dominicus de Rubeis formis Romæ ad Templum S. Mariæ de Pace cum Priuil. Summi Pontificis

XXIX.

AUGUSTINUS CUSANUS Mediolanensis preclara editus Familia, optimisque Parentibus nempè Marchione *Octavio*, *& Margharita Billia*, natalem adspexit lucem die 20. Octobris anni 1655. Exacto in Patria liberalium artium tyrocinio, annos natus duodecim Romam venit. Die 27. Maii anni 1668. receptus fuit in Seminario Romano sub cura Patrum Societatis Jesu, ibique cultiorum disciplinarum fundamenta jecit. Plena pubertate in Patriam reversus est, ut Jurisprudentiam attingeret. Huic vero facultati impensius incubuit, quum Romam redux optimis usus est Causidicis, ut quum postea in Foro versa- A retur, ad quæque agenda idoneus emergeret.

In Pontificatu *Innocentii XI.* in albo Præsulum Romanæ Curiæ adscribitur. Parvo interjecto tempore Commissarius deligitur, & provisor sanitatis pro avertenda pestilentia, quæ litora pulsabat Ditionis Ecclesiasticæ, & in finibus Neapolitani Regni grassabatur. Mox in Pontificatu *Alexandri VIII.* ad suffragium ferendum in Congregatione Boni Regiminis cooptatur. Præses deindè datur Cameræ Apostolicæ; mox anno 1695. ejusdem Cameræ B Clericus renunciatur. Et demum anno 1696. Archiepiscopus dicitur Amasenus, & Nuncius Apostolicus ad Venetam Rempublicam.

Decem per annos Apoſtolica Legatione ſtrenuè functus eſt. Uſque dum anno 1706. ad Regem Chriſtianiſſimum *Ludovicum XIV.* allegatur in eadem Nuncii Apoſtolici dignitate. Arduis temporibus, quibus immani Bello Europa ferè univerſa diſtinebatur, laudabiliter munus ſuum implevit. Hiſce propterea meritis excitatus *Clemens XI.* ad Ticinenſem Epiſcopatum *Cuſanum* evexit; Et demum anno 1712. die 18. Maii eum Cardinalitia dignitate honeſtavit.

A

Romam reverſus Titulum obtinuit Presbyteralem *S. Mariæ de Populo*, & Congregationes Epiſcoporum, & Regularium, Immunitatis Eccleſiaſticæ, Propagandæ Fidei, Fabricæ Divi Petri, & Rerum Conſiſtorialium. Bononiæ indè Legatus de Latere renunciatus ſumma æquitate Provinciam adminiſtravit. Triennio ſui Regiminis exacto, ad ſuam Epiſcopalem Sedem reverſus eſt. Pietati, cultuique Religionis impenſam navavit operam uſque ad annum 1724. Demum Epiſcopatum in manibus Summi Pontificis reſignavit, ut in Patriam redux quieti, & ſaluti ſuæ conſuleret. Comitia celebravit pro electione *Innocentii XIII.*, *& Benedicti XIII.* Demum apoplectico morbo correptus obiit Mediolani die 27. Decembris anni 1730. ætatis ſuæ 75. Ejus Cadaver honorificè translatum fuit ad Eccleſiam Fratrum Minorum de obſervantia; Ibique, adſtante Cardinali *Herba Odeſcalco* Archiepiſcopo Mediolanen., ſolemni ritu juſta exequialia acta ſunt. Laudatuſque fuit in funere eleganti oratione, quam habuit *P. Jo. Bernardinus Capriata* Soc. Jeſu. Demum in Eccleſia Monialium *S. Praxedis*, ut ipſe teſtamento caverat, apud ſuos humatum fuit cum ſequenti Epigraphe.

B

C

AVGVSTINO CVSANO
S. R. E. CARDINALI ARCHIEPISCOPO TICINENSI
PONTIFICIIS LEGATIONIBVS
VENETA PARISIENSI BONONIENSI
DIFFICILLIMIS TEMPORIBVS
FELICISSIME OBITIS
RELIGIONIS VINDICI
EGENORVM PATRI MAGNANIMO
FORTI MVNIFICO
EX GEMINIS FRATRIBVS FILII AMANTISSIMI
OPTIMO PATRVO MONVMENTVM P.P.
OBIIT A PARTV VIRGINIS
ANNO MDCCXXX. ÆTATIS SVÆ LXXV.

Varia ejus Opuſcula refert cl. Scriptor Argellatus (*a*) nempè

I. *Vota plura circa Sanctificationes Sanctorum.*

II. *Relationes plures ab ipſo factæ Secretariæ Status.*

III. *Ordines, & Conſtitutiones ab ipſo factæ pro Bono Regimine ad tuendam ſanitatem, uti Commiſſario Sanitatis anno* 1691. *&* 1692.

IV. *Epiſtolæ plures inſtructivæ ad Secretariam Status, & ad Nuncios apud Reges.*



Ju-

(*a*) Argellatus in Bibliotheca Scriptorum Mediolanenſium Tom. 4. pag. 537.



IVLIVS S. R. E. PRESBYTER
CARDINALIS PIAZZA FOROLIVIENSIS
CREATVS DIE XVIII. MAIJ M.D.CCXII.
Obyt die 23 Aprilis 1726.

I. Kupezky Pinxit — *Hieronymus Rossi Inc.*

Cura et Sumptibus Dominici de Rubeis ad Templum S. Mariae de Pace cum Priu. Sum. Pont

XXX.

JULIUS PIAZZA Foroliviensis natalem aspexit lucem die 13. Martii anni 1663. Nobiles illius Civitatis habuit Genitores *Franciscum* nempè, & *Franciscam Savorelliam*. Tenera in ætate Romam accersitus fuit à Patruo ejus *Camillo Piazza*, qui inter Præsules Romanæ Curiæ existimatione haud vulgari pollebat. Sub Patrui ergo disciplina in studio literarum versatus, tandem, ut per ætatem licuit, & ipse inter Præsules Romanæ Curiæ relatus fuit.

Aliquot Civitatum Ditionis Ecclesiasticæ Gubernio admotus, prudentiâ præstitit, & felicitate adjutus est. Idoneus hinc habitus ad

A majora S. Sedis munera obeunda ab *Innocentio XII.* Bruxellas allegatur in munere Internuncii, mox Coloniam Agrippinæ missus est Nuncius Apostolicus. Ibi nonnullis obortis difficultatibus Romam redire cogitur, & ab eodem Pontifice præficitur Epistolis arcanis notis conscribendis.

Evecto demum ad Apostolatus apicem *Clemente XI.* iterum ad Sarmatas mittitur Nuncius Apostolicus. Et tandem anno 1709. ad


B Cæsarem Nuncius itidem Viennam se contulit. Nec solum postrema hac Nunciatura insignitus fuit, sed etiam Episcopus dictus est Civitatis Faventinæ. Tot demum probè gestis Magi-

stra-

ſtratibus, debitum laboribus præmium eſt aſſequutus die 18. Maii anni 1712., quo inter Cardinales relatus eſt.

Purpura ornatus Romam advenit, & ab eodem *Clemente XI.* Petaſum obtinuit, & titulum Presbyteralem *S. Laurentii in Pane, & Perna*. Ferrariam indè miſſus eſt de Latere Legatus die 21. Julii anno 1714. In Provincia adminiſtranda Juſtitiæ vindex fuit, probitatis, & liberalitatis exemplar. Faventinæ demum ejus Eccleſiæ reſtitutus pietatem percoluit, Divinumque Cultum ſedulo propagavit. Romam quandoque remeavit. Tunc Congregationibus, quibus fuerat adſcriptus, aſſiduè interfuit. Congregationes autem nactus fue- A rat Epiſcoporum, & Regularium, Immunitatis Eccleſiaſticæ, Propagandæ Fidei, & rerum Conſiſtorialium. Vaticana etiam celebravit Comitia; adfuitque electioni *Innocentii XIII.*, *& Benedicti XIII.*, & in hoc poſtremo Conclavi tantus fuit Purpuratorum Patrum conſenſus, tantuſque atque unanimis ſuffragiorum in eum incumbentium numerus, ut quaſi Summus Pontifex viſus fuerit. At re- B nunciato in Summum Pontificem eodem *Benedicto XIII.*, ipſe ad ſuam reverſus eſt Eccleſiam, atque ibi naturæ conceſſit die 23. Aprilis 1726., & in Faventina majori Eccleſia honorificè ſepultus fuit.





XXXI.

A ANTONIUS FELIX ZONDADARIUS Senensis die natus est 13. Decembris anni 1665. ex *Ansano Zondadari*, & ex *Agnete Chisia*, quæ ex Fratre Neptis erat *Alexandri VII.* Romani Pontificis. Familia Zondadaria, quæ pluribus ab hinc sæculis, opibus, præclarisque fulget affinitatibus, magnum in hac, de qua loquimur, generatione nobilitatis sumpsit incrementum. *Ansano* quippè quatuor fuere Filii, qui ferè omnes magnis dignitatibus inclaruerunt. Primogenitus enim fuit Marchio *S. Quirici* in Agro Senensi, & nobilem propagavit Progeniem. Alter nomine *Marcus Antonius* pluribus in re militari gestis facinoribus, per omnes ferè Hierosolymitanæ Religionis gradus ascendit, & ad supremam pervenit dignitatem magni Magisterii illius Ordinis. Alter nomine *Alexander* plures per annos ejus Patriæ fuit Archiepiscopus, donec ingentibus editis pietatis monumentis Senensibus suis flebilis occubuit. Alter demum, de quo nunc loquimur, fuit *Antonius Felix*, qui maximis in Romana Curia functus muneribus, demùm amplissimus evasit S. R. E. Cardinalis.

Itaque *Antonius Felix* postquam à pueritia
B Christianæ pietatis officia, & prima studiorum rudimenta ex pia Genitorum institutione didicerat; imbérbis adhuc Romam venit sub di-

sciplina Avvunculi sui *Flavii* Cardinalis *Chisii*; A Eo promovente graviores hausit disciplinas, lustratisque Philosophiæ, & Theologiæ dogmatibus, nec non Jurisprudentiæ præceptis, ineunte Pontificatu *Innocentii XII.* inter Præsules Romanæ Curiæ meruit referri, & in Congregatione Fabricæ Vaticanæ suffragium ferre obtinuit.

Flavius Cardinalis *Chisius* insignem illi Abbatiam renunciaverat in Agro Patavino sub titulo *S. Lanfranci*. Ex hac decentem sui substentationem retrahebat. Ab *Innocentio XII.* B Pro-Legatus dictus est Bononiensis, quo tempore *Joannes Baptista* Cardinalis *Spinula Sancti Cæsarei* nuncupatus illius Provinciæ Legationem gerebat. In Congregationem indè Sacræ Consultationis translatus fuit, atque inter Præsules adscriptus est, qui *Ponentes* eo in Tribunali vocantur. Demum Civitatis Anconitanæ Gubernator dicitur. Iisque muneribus maxima cum integritate peractis, tandem ad exercenda vocatur clariora Apostolicæ Sedis officia. C

Etenim Romam adventante *Casimira* Polonorum Regina anno 1699., *Antonius Felix* Archiepiscopus dicitur Damascenus, & eligitur Nuncius Apostolicus, ut eam in finibus Ditionis Ecclesiasticæ Pontificiis exciperet officiis. Assumpto indè ad Apostolatum *Clemente XI.*, Nuncius missus est extraordinarius ad *Philippum V.* Hispaniæ Regem ea tempestate in Italia bellum gerentem. De ineundo pacis fœdere cum Rege agendum erat nomine Papæ. Sed cum pax haberi non posset, Regem in Castris D sequutus est. Adfuit eo die, quo apud Nuceriam [a] in Agro Mantuano pugnatum est. Regem præterea comitatus est tribus sequentibus annis in *Extremadura*, aliisque Hispaniæ Provinciis bellum ferentem.

[a] Vulgo Luzzara.

Anno demum 1706. evecto ad Sacram Purpuram *Francisco* Cardinali *Aquaviva*, eidem sufficitur in munere Nuncii Ordinarii Regnorum Hispaniæ. Gravibus indè anno 1709. obortis dissidiis inter S. Sedem, eumdemque Regem Catholicum, ex Hispania dimissus est. Pontifici tamen, & ipsi Catholico Regi acceptissimus, honorifica Regis habuit Testimonia de ejus egregiè, ac fideliter administrata Legatione.

Præcepto Pontificis in Statu Avenionensi subsistere jussus est, donec eum *Clemens XI.* tot meritis commendatum die 18. Maii anni 1712. inter Presbyteros Cardinales retulit sub titulo *S. Praxedis*. Congregationibus eum adjecit Sac. Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Propagandæ Fidei, Visitationis Apostolicæ, & Disciplinæ Regularium. Præfectus item fuit Signaturæ Gratiæ; Protector etiam fuit totius Ordinis *Camaldulensis*, & *Cælestinorum* Monachorum *Montis Libani*, & Nationis Senensis.

Comitiis adfuit *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.*, & *Clementis XII.* Anno 1737. cum Senas, ut solebat, ivisset, ut tempore vacationum Autumnalium à laboribus Romanæ Curiæ reficeretur, gravem in morbum incidit mense Octobri, quo usque ad finem Novembris protracto, obiit die 22. ejusdem mensis anno 1737. Corpus ejus in Ecclesia Metropolitana Senensi loco depositi adservatum, demum ad aliam Ecclesiam translatum est *Sancti Georgii*, quam ipse magno sumptu ornaverat, ibique sepulcrum elegerat, cum hac Inscriptione.

ANTONIVS FELIX ZONDADARIVS
PRESBYTER CARDINALIS SANCTÆ PRAXEDIS
OBIIT SENIS IX. KAL. DECEMBRIS.
A. R. S. MDCCXXXVII.
ÆTAT. SVÆ LXXII.





XXXII.

EMMANUEL DE ARIAS Y PORRES Hiſpanus die natus eſt . . . Novembris anni 1638. in Oppido *Alæxos* Valdoletanæ Diæceſis in Caſtella veteri. Parentes ejus præſtanti nobilitate claruerunt; illi quippe Pater fuit *Gomez Arias*, Mater vero *Catharina de Porres*. Hinc more Hiſpano utriuſque Parentis retento cognomine *Emmanuel de Arias y Porres* dictus eſt. Celebris Familia de *Arias* in diverſis Hiſpaniarum Provinciis propagata in Gallæcia, in Andalutia, in Extremadura, præſertim vero in eadem Caſtella veteri, opibus ubique eni-

A tuit, maximiſque affinitatibus. Ex hoc nobili fonte diverſæ hinc ſoboles oriuntur; *Arias* ſcilicet *Maldonado*, *Arias Sotomayor*, vel de *Saabedra* Comites de Caſtella, & *Arias Davila* Comites de Pugnonroſtro. Ex hac poſtrema gente originem duxiſſe ferunt *Emmanuelem* noſtrum. Sacris luſtralibus aquis ablutus fuit die 12. ejuſdem menſis Novembris, ſed quo die nativitas ejus contigerit, in libris, in quibus baptiſma deſcribitur, reticetur.

B Pie, ac liberaliter ſub optimis Inſtitutoribus educatus, adeo in ſtudiis literarum profecit.

cit, ut vix ex ephæbis excessus, quasdam ejus lucubrationes in Poetica, & in Mathematica facultate in vulgus ediderit (*a*).

Sed bene cœptum studiorum curriculum abrumpere jussus est, quum Genitorum imperio anno 1652. inter Equites Ordinis Hierosolymitani receptus, Melitam pergere adigitur, & legitimum tempus explere maritimis expeditionibus obeundis. Discendi tamen cupiditate ductus, nedum Philosophicis, & Theologicis studiis naviter incubuit, sed Jurisprudentiam quoque funditus quæsivit. Melitæ plures per annos consedit, tantaque usus est prudentia, tantamque nominis celebritatem adeptus est, ut in publicis illius Ordinis cætibus maximi semper habitus fuerit; & in Comitiis generalibus 1660. gestis pro Magni Magistri electione, *Raphaeli Cotonero* Majori censi postmodum electo maximè opitulatus est, suoque calculo fortunam ejus amplificavit.

Raphael ad supremam totius Ordinis dictaturam nuper assumptus pro meritis, ac laboribus ejus mercedem rependit. Anno quippe 1662. Vice-Cancellarium eum dixit universi Ordinis Hierosolymitani. At brevi è vivis erepto eodem *Raphaele Cotonero*, ubi nova coacta sunt Comitia, *Emmanuel* noster *Nicolao Cotonero* defuncti *Raphaelis* Germano Fratri rursum suffragatus est, atque adeo inter Collegas consilio, & authoritate præstitit, ut ad evehendum Fratrem hunc superstitem ad summi Magisterii fastigium cæteros excitaverit. Voti compos evasit. Die 26. Octobris anni 1663. *Nicolaus Cotonerus* mortuo Fratri suffectus fuit, & Princeps seu Magnus Magister est renunciatus. Tunc pro officiis in eum collatis paria *Emmanueli de Arias* beneficia retulit. Anno quippe 1668. divitem *Commendam de Benavente* nuncupatam ex gratia illi contulit, atque anno 1674. alteram, quam dicunt *del Viso*, jure tamen sibi debitam, & tamquam senior est assequutus. Duodeviginti, & ultra annis quibus regnavit *Nicolaus Cotonerus*, maxima Imperii potestas penes *Emmanuelem* fuit. Graviora totius Ordinis munera strenuè obivit anno 1676. altera auctus est *Commenda de Tevenes* nuncupata.

Die 29. Aprilis anni 1680. mortuo *Nicolao Cotonero*, ut maxima *Emmanuel* pollebat authoritate, nec nisi juxta ejus vota novi Principis electio contingere poterat; hinc totum Potentiæ suæ robur spei *Gregorii Carafa* adjecit. Hic novus emersit Melitensium Princeps, æmulumque suum vicit *Hadrianum de Vignacur* Gallum, qui paribus fermè suffragiis contendebat. *Gregorius Caraffa* supremam hanc Dignitatem acceptam retulit *Emanueli de Arias* cui ut vices pro meritis redderet, divitem anno 1683. ex gratia illi contulit *Commendam de Guiroga*. Magnum etiam Bajulivum eum dixit, atque impetratis a Ven. *Innocentio XI.* facultatibus, idem Summus Pontifex in Diplomate, quod ipsi Magno Magistro in id concessit; ita de *Emmanuele de Arias* loquitur = *Dilecte Fili . . . libenter indulsimus* (*ut ex alio Brevi liquebit*) *precibus, quas ad nos detulisti, ut facultatem tibi tribuere vellemus conferendi magnam Crucem dilecto Filio Emmanueli de Arias. Qua sanè in re peculiarem rationem habuimus meriti, quod enim præcæteris sibi comparat, testaris multis in rebus, in quibus egregia illius virtus, & singularis in inclytum Ordinem Hierosolymitanum Zelus enituit* =

Tot igitur redditibus auctus, novoque hoc præclaro titulo decoratus, tandem de reditu in Patriam suam serius cogitavit. Tunc sponte abdicato Vicecancellarii Magistratu, cæterisque quibus strenue fungebatur, muneribus, anno 1689. Matritum se contulit.

Carolus II. Hispaniarum Rex, qui viri noverat ingenium, ejusque prudentia delectabatur, Oratorem ad Lusitanos suum die 21. Januarii anni 1690. illum designavit. At *Emmanuel*, qui studio detinebatur privatæ vitæ, veniam a Rege efflagitavit, illique animum suum aperuit Ecclesiasticam vitam capessendi. Revera nulla interjecta mora eodem anno 1690., qui erat ætatis ejus 52., ad Sacros Ordines admotus fuit, & die 3. Septembris ejusdem anni Sacerdos dictus est (*b*).

Die 18. Januarii anni 1692. ab Equitibus Magni Prioratus Castellæ plenis suffragiis locumtenens conclamatur in eodem Castellæ Magno Prioratu. Quod munus in ætate adhuc minori, annuente tamen Rege, & ex Dispensatione Apostolica detinebatur a *Carolo* Lotharingiæ Principe. Eodemque anno Orator est renunciatus totius Ordinis Hierosolymitani apud eumdem Regem Catholicum. Hæc munera, utpotè arrepto vitæ instituto non absona libens admisit. At invito prorsus animo subire hoc eodem anno coactus est maximam Hispanicæ Monarchiæ Dignitatem, quum Gubernator dictus est Regii & Supremi Consilii Castellæ. Præclara hæc dignitas *Gubernatoris*, non vero *Præsidis* nomen obtinet, quum ab aliquo ex Magnatibus Hispaniæ non exercetur si vero inter Magnates sit, qui hoc maximo, fungitur Magistratu, tunc *Præses* dicitur, non

Gu-

(*a*) In libro sub hoc titulo - Ente dilucidato - Discurso unico novissimo, que muestra hayen naturalezza animales irracionales, invisibles, y quales sean - Por el P. Fra Antonio de Fuente la Pegua &c. en Madrid 1676. - In principio hujus libri adsunt quædam Poemata in laudem authoris, qui fuit Germanus Frater *Emmanuelis* nostri atque inter hæc Poemata adest etiam breve carmen idiomate Hispano ab Emmanuele nostro exaratum.

Librum etiam edidit Mathematicum, ut non obscure deprehendimus ex funebri Oratione, quam in laudem Cardinalis de *Arias* habuit in Cathedrali Hispalensi Frater *Hyacintus de Mendoza* ex Ordine Redemptionis Captivorum. His ità loquitur - *No se, que el Sennor Arias se aplicasse en sù juventud a otros estudios, que a los de Mathematicas, Geometria, Aritbmetica, Geografia, y Astronomia, de que es buen testigo el erudito libro, que compuso, y diò a la Estampa* -

(*b*) Constat hoc ex monumentis Curiæ Ecclesiasticæ Hispalensis. Unde errat *Moreri Diction. Tom I. verbo Arias edit* anni 1732. ajens Emmanuelem de Arias - aprés avoir ete de ux fois Gouverneur du Conseil de Castille, Conseiller d' Etat, & de la Junte du Gouvernement de la Monarchie d' Espagne, entra dans l'etat Ecclesiastique - omnia quippè hæc munera iniit *Emmanuel de Arias* postquam Sacerdos dictus fuit.

Gubernator. Imperio Regis adactus, cætera dimisit officia, Locumtenentis scilicet in Magno Prioratu, & Oratoris Melitensis.

A Biennio & ultra maximaque cum laude inexpectato hoc munere functus est. Sed tædio affectus actuosæ vitæ, fractæque valetudinis, supplex Missionem a Rege petiit.

Et quum hujusmodi votis nihil Rex respondisset, & minime flecti posset, ut virum hunc sibi dilectum, maximeque necessarium dimitteret, altero emenso anno die nempe 24. Octobris anni 1696. iterum Regem deprecatus est, B qui demum annuit tamdiu efflagitatæ missioni; honoribus tamen, titulisque *Emmanuelem* decoratum voluit, quibus ex dimittenda dignitate fruebatur; literisque sua regia manu conscriptis ad marginem Epistolæ, ita respondit = *Ha me sido de particular satisfacion y agrado el amor, y zelo con que me haveis servido, y desempeñado el concepto, que hice de vos, quando os elegì para esto empléo. Vengo en concederos la licencia, que me pedis. Pero conservandoos los honores de Governador del Consejo, yos tendrè presente para favorecer, y honorar vuestra Persona* =

C Titulum in Castella etiam adjecit, qui post qualitatem Magnatitiam primus est in Hispaniis. Hic vero Titulus, reluctanti *Emmanueli* nuper collatus ad ipsius Emmanuelis nominationem transiit in ejus ex Fratre neptem *Mariamde Arias* nuptam *Andreæ de Rozas*, eorumque filios, & descendentes; fuit autem hic Titulus Marchionatus *de Agnabete*.

D Fugiens interea *Emmanuel* fumum, & opes strepitumque Regalis Urbis solitario in loco se recepit ut Deo liberius vacaret, in ejus nempè *Commenda del Viso*, quæ tamen a Matriti Civitate non procul aberat. Vix biennio tranquillam, omnisque expertem periculi vitam exegerat; quum anno 1699. magna in ipsa Matriti Civitate facta est tumultuatio ob summam annonæ caritatem, & in aperta Plebis secessione, quæ pane indigebat, aufugerat Comes *de Oropesa* ex magnatibus Hispaniæ, qui Præses Supremi Consilii loco *Emmanuelis de Arias* suffectus fuerat. Tunc Rex edoctus quotidie magis de singulari viri prudentia, eum extemplo ad Urbem revocat, dimissamque Dignitatem Gubernatoris Supremi Consilii resumere jubet. Neve moras, aut excusationes necteret, ita literis sua manu conscriptis eum compellavit = *Conviene a mi servicio, que luego, que recivais esta, vengais aqui porque necessito de vuestra persona, sin que lo digais a nadie. Madrid a 16. de Mayo de 1699 Io el Rey* =

E Paruit *Emmanuel*, sed antequam Matritum conscenderet, & in conspectum Regis veniret, obvius illi fuit *Antonius Ubilla*, & ad obtruncandas difficultates, quas ex non firma ejus valetudine, vel ex statu Sacerdotali interposuisset, alteram manu quoque Regis conscriptam Epistolam pertulit, quæ ita ajebat = *Ja teneis experiencia de que en todos los negocios de mi confianza, me he valido de vuestro zelo. Oy nobai ninguno mayor, que el poner persona conveniente, que govierne el Consejo, per lo que os dirà en mi nombre* Ubilla. *Para esto os he elegido con el deliberado animo, de que ninguna dependencia ni aun la de vuestra salud, sean motivo de escusaros, por lo que no lo he de admittir, por ser sola esta resolucion mia.* = *Io el Rey* =.

Enixæ Regis voluntati obsistere ausus est *Emmanuel de Arias*, humilesque preces iteravit, virium objiciens imbecillitatem, & conscientiæ, animique renitentis formidinem. Supplicem propterea in id libellum ad Regem misit. At Rex ad oras ipsius libelli, ita rursum, & tertio voluntatem suam significavit = *Son muy proprias de vuestra prudencia, y Christiano zelo estas espressiones. Pero conviniendo et que volbais a servirme en este empleo, como os lo he mandado, y de nuevo os lo encargo, espero os ayu darà Nuestro Senor a complir con la grande obligacion de este ministerio* =, Statimque eadem die Decretum, Regiumque Diploma datum fuit. Omni itaque spe ad recusandum sublata, mœrens, ac reluctanti prorsus animo pristinum resumpsit Officium. Alacrius tamen, & majori cum laudis accessione difficili functus est Magistratu.

Pluribus certè nominibus profuit Hispanicæ Monarchiæ ubique vigil, ubique præsens *Emmanuelis* Ministerium. Kalendis enim Novembris è vivis erepto *Carolo II.* Hispaniarum Rege, tristissimæ temporum calamitates obvenerunt, atque in iis clarius emersit provida ejus sollicitudo. In qualitate enim Gubernatoris Supremi Consilii Castellæ præfuit cætui illi, quem ex Hispaniæ Magnatibus indixerat defunctus Rex, ut sub auspiciis viduæ Reginæ indigentiæ consuleret vacantis Imperii. *Emmanuel* igitur tamquam caput hujus cætus *la Giunta* nuncupati, & quasi Regni arbiter effectus, nihil antiquius habuit, quam ut solidæ ejusdem Regni utilitati prospiceret. Ipse cum fidissimo ejus Collega Cardinali *Portocarrero* Archiepiscopo Toletano maximoperè studuit, ut *Philippus V.*, qui Jure sanguinis, & confecto à Rege *Carolo* Testamento nitebatur, in Regni successionem veniret. Nutantes in fide populos continuit, proceresque Castellæ, aliarumque Provinciarum excitavit, ut illum salutarent in Regem.

At vero *Philippus V.*, qui nulla interjecta mora in Hispaniam pervenerat, ut Viri fidem studiumque novit, & ejus prudentiam penitus introspexit, nedum, munera quæ gerebat, comprobavit, sed nova etiam ex integro adjecit, & Status Consiliarium dixit. Ille vero F postquam *Philippus V.* Imperii habenas suscepert, ratus suam exonerasse fidem, de reditu ad privatam ejus vitam iterum egit. Supplex igitur Regem rogavit cum hac Epistola = *Senor el año de 1692. Siendo Embaxador de mi Religion me nombrò el Rey (que esta en Gloria) Governador del Consejo .... Complidos tres años consegui con repetidas instancias licencia*

cia para retirarme. En el Mayo del 1699. hallandome retirado en la Aldea a tiempo del Alborato de este Pueblo por falta de Pan, me mandò S. M. venir, y reasumir dho empleo .... con el presupuesto de restituirme a mi sosiego. En cesando a quelle necessidad, solecitè luogo el complimiento de la Real Palabra con continuas, y rendidas suplicas en vox, y por escrito, y esperava de dia en dia mi consuelo. Quando enfermò el Rey y fue Dios servido de llevarle...... para que en tiempo de mi ministerio llegasse a ver a S. M. en su Trono para Gloria de estos Regnos, y de Christiandad toda. Ja Señor se ha perfeccionado la obra de Dios..... con que ha llegado el tiempo para procurar con Justificacion apartarme de Negocies.......y assì prostrado a los pies de V. M. hago renuncia del Governo del Consejo, suplicando a V. M. se digne de aceptarla........

Adeo enixis, candidisque precibus respondit Rex, spemque illi fecit, quod postquam ex Italia rediisset, votis ejus acquieturus esset, petitæque dimissioni annuisset. Atque ita sua regia manu ad marginem Epistolæ *Philippus V.* voluntatem suam aperuit = *Esboy con tota satisfaccion, y gratitud de lo mucho, y bien, que haveis servido. Y quierendo consolaros como mereceis, tengo por conveniente, y de mi servicio le continueis en vuestro empleo hasta que con el favor de Dios vuelba de mi jornada, y os nombre successor; En que quedo mirando para executarlo, y que logreis el descanso, que deseais. Y os offrezeo desde aora:*

Dum itaque spe, maximaque solitudinis cupidine angebatur, vacavit anno 1702. Ecclesia Archiepiscopalis Hispalensis, quæ post Toletanam prima est in Hispaniis. Hanc ad Regis nominationem *Clemens XI.* Emmanueli de Arias extemplo contulit. Rex etiam tamdiu petitæ dimissioni Gubernii Supremi Consilii assensum præbuit. Sed Secretiori Consilio adesse voluit, quod ex quibusdam fidissimis viris, sibique necessariis Rex instituerat. Vix itaque solutus molesto onere Gubernatoris Consilii Castellæ, in aliud incidit æque grave intimi Consiliarii ejusdem Regis. Nil enim aliud in votis habebat, quam Pastorali suo muneri naviter incumbere, & ad Ecclesiam nuper sibi commissam properare. Huc vota ejus dirigebantur, nec preces iterabat dumtaxat, sed Regem ipsum objurgabat, qui contra fas, Canonumque Decreta Episcopum a sua Residentia abesse fineret. Rex vero rem diutius protatabat. Et ne vir scrupulos, Religionemque suam amplius objiceret, medio Ducis de *Uxeda* Oratoris in Urbe sui, dispensationem a Pontifice, ut a sua abesset Ecclesia saltem ad tempus efflagitavit. Initio *Clemens XI.* petitæ veniæ adversabatur. Quod & rescivit Archiepiscopus Hispalensis, & Regi fidentius Religionem exprobravit. Itaque *Philippus V.* datis ad Pontificem literis sua manu obsignatis, pro Gratia supplex rogavit. Eodemque tempore Archiepiscopum precatus est, ut pauli-

A sper quiesceret, quousque saltem Pontifex rescriberet. *Ludovicus* magnus, Gallorum Rex suas itidem adjecit preces, & binas Archiepiscopo dedit literas, quarum una diem habet adscriptam 13. Novembris anni 1703., altera diem 20. Martii 1704. Regina etiam *Maria Aloysia* à Sabaudia suis non defuit precibus, & die 19. Aprilis ejusdem anni 1704. suas exaravit Literas, Archiepiscopum enixè rogans, ne inexpectato Pontificis responso, ut ipse ajebat, discederet. Hæc profecto argumen-

B to sunt quanti *Emmanuel* in Hispaniis, & apud maximos Principes haberetur.

Interea *Clemens XI.* indulsit, ut à sua residentia *Emmanuel* ad tempus abesset; atque hic ut brevitati studeamus, silentio prætereundæ sunt plures Regis Epistolæ, quas vidimus, sua pariter manu obsignatas in quibus de die in diem patientiam ejus exposcit, & quasi supplex exorat, ne eum deserat inter belli clamores vario marte agitatum, tantisque calamitatibus circumseptum.

C Tandem ineunte anno 1705. tamdiu efflagitatæ missioni Rex assentitus est. Ille vero ac si ex exilio, vel è carcere eductus fuisset, velox ad suam properavit Ecclesiam. Vastissimam illam Diœcesim diligenter lustravit, idque sæpè, & multoties iteravit. Cœtus quosdam Virorum virtute, & pietate præstantium frequens cogebat, eosque de rebus Ecclesiæ gravioribus consulebat. Judices probitate, & doctrina celebres accersivit pro causis in ejus Tribunalibus decernendis, & pro moribus Ec-

D clesiasticorum inquirendis.

Malens vero exemplo præire cæteris, quam imperio, multam diei partem in sacris precibus, vel in lectione utilium librorum insumebat. Sacrum ferè quotidiè peregit, nec nisi urgente causa prætermisit. At vero difficile dictu est, quantam pecuniæ vim in Pauperes profuderit. Anno 1709. Gregem suum Annonæ caritate, vel ut aliis placet, contagione laborantem, eximia liberalitate juvit, & aluit.

E Mirifica item sunt ædificia, quæ vel incœpta absolvit, vel ex imo extruxit. Ecclesiam Collegiatam *S. Salvatoris* in Civitate Hispalensi jam inchoatam ampliavit, perfecit. Item & Cœnobium Monialium Cappuccinarum. Ecclesiam Parochialem *S. Juliani*, & alteram *S. Luciæ* instauravit. Collegium Societatis Jesu ampliavit; Aliud Collegium *S. Spiritus* nuncupatum ex integro extruxit pro nobilibus puellis pauperie laborantibus. Immane vero auri pondus profudit in Sacrario, vel in Cap-

F pella, in qua Sanctum Christi Corpus asservatur. Eximio quoque sumptu Ecclesiam Collegiatam de *Xerez* nuncupatam inchoavit, quam postea moriens hæredem scripsit. Quotquot suo ævo atque in sua Diœcesi ædes sacræ extrui cœptæ sunt, omnes hujusce Antistitis liberalitate vel maximè creverunt, vel ad exitum perductæ sunt. At non intra fines dumtaxat illius amplissimi Territorii ejus animi magni-

gnitudo passa est contineri. Nosocomia Septæ (*a*) in Africa, vel collapsa, vel angustia rei familiaris laborantia, instauravit, collatisque opibus auxit. Quid plura? Constat ex Archivo Archiepiscopali Hispalensi, ubi rationes sumptuariæ in Codicem relatæ sunt, eximium hunc Antistitem in sacris ædibus perficiendis summam impendisse sex centum septuaginta millium ducatorum. Atque in ista immani summa minimè pecuniæ illæ comprehenduntur, seu potius Thesauri, quos in Pauperes effudisse famigeratum est in Hispaniis.

Tot ergo virtutibus ornatum Virum ad Catholici Regis nominationem *Clemens XI.* in Sacrum Senatum invexit, & Cardinalem dixit hac celebri die 18. Maii 1712. Eum tamen nonnisi evulgavit quam die 30. Januarii 1713. Eodem anno 1713. Pileolum, aliaque Cardinalatus insignia ad illum detulit *Trojanus de Aquaviva*, tunc Papæ Cubicularius, qui Regis clementia, atque hujusce Cardinalis comitate maximis affectus muneribus, præclarisque beneficiis, rediit in Italiam, variisque postmodum emensis officiis, & ipse Cardinalis emersit.

Quartum supra septuagesimum agebat annum Cardinalis *de Arias*, quum Sacra Purpura ornatus fuit. Jam tum propinquam sibi ominari mortem occœperat; atque sequentibus annis, qui attenuatæ ejus vitæ fuerunt reliqui, ingeminavit, duplicavitque Pastorales sollicitudines, & cætera in Gregem suum amoris, & charitatis officia. Sæpè de Sancta oppetenda morte cogitavit. Anno 1714. suum obsignavit testamentum (*b*). In quo plura prudenter, pieque cavit. Hæredem ex asse instituit sæpedictam Ecclesiam Collegiatam *de Xerez*. Præclara in Pauperes, aliosque usus pios Legata conscripsit. Nepotes ex Fratre suos splendidis item Legatis decoravit. Titulum, quem à Rege in Castella obtinuerat, Marchionatum scilicet de *Agnabete*, variis substitutionibus ad plures familias transitorium reliquit.

Tribus postea supervixit annis. Demum die 16. Novembris anni 1717., qui erat ætatis ejus octogesimus, piissime obiit flebilis Regi, & Populo Hispalensi universo. Pluribus in locis nonnulli eruditione præstantes viri luculentas de laudibus ejus Orationes habuere; Pater scilicet *Hyacinthus de Mendoza* ex Ordine Redemptionis Captivorum, Pater *Gonzalez* è Societate Jesu, aliique egregii Præsulis admiratores eximii. In ipsa Metropolitana Ecclesia, atque in Cappella Sanctissimi Sacramenti sepultus est. Lapidi vero sequens adjecta est Epigraphe.

DON EMANVEL ARIAS ARCHIEP. HISPALENSIS
EQVES HIEROSOLYMITANVS
VIVENS POSVIT HVNC LAPIDEM
SVB EO POST MORTEM CARNIS RESVRRECTIONEM
EXPECTATVRVS
OBIIT XVI. NOVEMB. ANN. MDCCXVII.
PROMOTVS AD DIGNITATEM CARDINALITIAM.

Vivaci *Emmanuel* fuit ingenio, eruditione haud vulgari præstitit, singulari prudentia emicuit. Pietatem vero, Deique timorem semper coluit. Fortuna suffragante res maximas consequutus est, sed non sine sua virtute. Fervida fuit indole, ac vehementi, quam ad extremam usque ætatem perduxit, non tamen iracundus, nec minax, nec severus. Romam nunquam advenit, ideo nec Titulum nactus est Cardinalitium, nec solitis in Urbe cœtibus adscriptus fuit.

Hæc, quæ de *Emmanuele de Arias* breviter collegi, accepta refero eximio Præsuli *Enrico Enriquez* Archiepiscopo Nazanzieno, & in Hispaniis Nuncio Apostolico, qui lustratis Archivis, conquisitisque undique monumentis multo plura de tanto Viro excerpsit, suaque erudita manu ordine disposuit. Hic collatis mecum laboribus plura de Cardinali *de Arias*, aliisque Hispanis Cardinalibus anecdota communicavit. Idque adnotandum censui in veritatis, & grati in eum animi perenne testimonium.

JOAN-

(*a*) Ceuta.

(*b*) Die 25. Octobris anni 1724. conscriptum fuit dictum Testamentum manu Petri Garziæ Duran Notarii



IOANNES BAPTISTA S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS BVSSIVS VITERBIENSIS, EPISCOPVS ANCONITANVS CREATVS DIE XVIII MAIJ MDCCXII ET PVBLICATVS DIE XXVI SEPTEMB. EIVSDEM ANNI

Obijt die 23. Decembris 1726.

Hieronymus Rossi inc.

Dominicus de Rubeis Hæres Io Iacobi formis Romæ ad Templ. S. M. de Pace cum priu. Sum. Pontif.

XXXIII.

JOANNES BAPTISTA BUSSIUS Viterbiensis Filius alterius *Joannis Baptistæ* Comitis *Podii Aquilonis*, *&* *Eleonoræ* Comitum *de Marsciano*, natus est die 2. Aprilis anni 1657. Ut pia, & liberali educatione institueretur, Romam puer adhuc ductus est. Diu perstitit sub Disciplina *Ludovici Bussii* Patrui sui, & in Romana Curia Præsulis præstantissimi; atque eo promovente optimis præceptoribus usus est. Nedum rudimenta literarum, sed majores etiam Philosophiæ, & Theologiæ facultates edoctus, ad Arcana Jurisprudentiæ gradum fecit, & in Romana Universitate Laurea Doctorali meruit insigniri.

A Adolescentis cura, & diligentia ut primum innotuit *Innocentio XII.* proborum hominum fautori eximio, statim Vaticanæ Basilicæ Canonicatu donatus est. Pauperum indè Gubernio, & curæ admotus est, qui in Urbe Leonina ex morbo, ea tempestate grassante, misere peribant. Munus a paterna *Innocentii* sollicitudine sibi commissum, pari pietate, studioque absolvit. Quare ab eodem Pontifice ad majores Ecclesiæ Legationes obeundas destinatur; & Apostolicus in Belgio Internuncius ablegatur.

B Florentissimam Provinciam Calvinianis, & Jansenianis erroribus infectam, prudentia


& authoritate in Sinu Romanæ Matris Ecclesiæ ita continuit, ut Catholicorum numerus difficillimis illis temporibus non modo non imminutus, sed auctus maximè fuerit. Quinquaginta ferè millia Catholicorum censebantur sacris fœderati Belgii Ministris commissa, hisque præerat *Petrus Coddæus* Archiepiscopus Sebastenus Vicarius in Belgio Apostolicus, & de collusione cum Jansenianis hæreticis apud Pontificem postulatus. *Bussius* in causa fuit, ut *Coddæus* anno 1703. Romam evocaretur, ibique Doctrinæ, & villicationis suæ rationem redderet. Validis proindè momentis *Coddæus* pluries Romæ auditus, reus compertus est, & coram Pontifice constantibus Cardinalium suffragiis, Apostolici Vicariatus munere est submotus; *Bussius* vero perturbatam pravorum hominum artibus tranquillitatem Catholicis restituit.

His excitatus meritis *Clemens XI.* Tharsensem primo Archiepiscopum eum dixit, deindè Apostolicum *Nuncium* ad Tractum Rheni, aliasque inferioris Germaniæ partes. Secunda *Bussius* Legatione ornatus, pari vigilantia adlaboravit, ut ibi etiam sacris juribus, & personis irrogatæ injuriæ, opportunis remediis sarcirentur. Ut Ecclesiasticam restitueret disciplinam, visitationem explevit Coloniensis, Leodiensis, & Fuldensis Diæcesis. Confirmationis Sacramentum Catholicis inter Hæreticos degentibus, plures per annos intermissum, ministravit. Solemnes Ecclesiarum, & Altarium Dedicationes, quæ fere ubique prætermissæ fuerant, confecit. Hæreticos præcones, quæ ipsam Coloniam Agrippinam Apostolicæ Legationis Sedem præcipuam infestabant, ejecit.

Viri constantiam admiratus Clemens vacanti primum Anconitano Episcopatui illum admovit, deindè in hac solemni Promotione diei 18. Maii anni 1712., ex ipsa ad tractum Rheni Legatione ad Cardinalatus Dignitatem evexit; eum vero in pectore, ut ajunt, servavit, nec evulgavit, nisi postquam die 26. Septembris ejusdem anni, Romam advenit. Titulum autem obtinuit Presbyteralem *S. Mariæ in Ara Cœli.* Congregationibus etiam adjectus fuit Episcoporum, & Regularium, Immunitatis Ecclesiasticæ, Propagandæ Fidei, Visitationis Apostolicæ, & Rerum Consistorialium. Ille vero ad Ecclesiam suam conversus, Divinum cultum in Cathedrali præsertim Templo instauravit, pauperes fovit, Diæcesim lustravit, hospites excepit. *Benedictus XIII.* Lauterani Sanctuarii visitationem ei commisit.

Cardinalium Comitiis interfuit pro electione *Innocentii XIII.*, & ipsius *Benedicti XIII.* Tandem laboribus, annisque confectus Romæ obiit die 23. Decembris anni 1726., translatusque fuit in Ecclesiam ejus Titularem S. Mariæ in Ara-Cœli, ubi Sacrum Collegium illi parentavit, adstante etiam ipso Summo Pontifice *Benedicto XIII.* Inde vero tumulatus fuit in Ecclesia *S. Mariæ Transtyberim* in Sacello ejus Gentilitio, cum hoc Elogio.

D. O. M.
IOANN. BAPTISTÆ BVSSIO VITERBIEN.
CARD. TIT. S. MARIÆ IN ARA COELI
AD QVAM DIGNITATEM
SINGVLARIS PROBITAS SACRORVM DOGMATVM
PERITIA AC RERVM GERENDARVM
PRVDENTIA
IN BRVXELLENSI COLONIENSI
APOSTOLICI NVNCII
MVNERA CVM HOLLANDIÆ EXTRA ORDINEM
CVRA
QVATVOR SVMMIS PONTIFICIBVS
PLAVDENTIBVS ERGA PAVPERES QVOQVE
AC DEBILES CARITAS
ATQVE IN ANCONITANO EPISCOPATV
INDEPESSI LABORES
RESTITVTVSQVE EVCHARISTIÆ
AC SANCTORVM CVLTVS
PROFVSÆQVE LARGITIONES EVEXERVNT
TVMVLVM HVNC NEPOTES
EX FRATRE MÆRENTES POSVERE
ANNO DOMINI MDCCXLII.
OBIIT X. KAL. IANVARII
A. D. MDCCXXVI.



Petrus Marcellinus Corradinus Setinus, Archiepiscopus Atheniensis SS.mi D. Nri. PAPÆ Auditor S. R. E. Episcopus Cardinalis creatus á SS.mo D. N. CLEMENTE PAPA XI. in Consistorio Secreto habito post Semipublicum in Aula Ducali Palatij Vaticani die 18. May 1712; et in Simili Consistorio Secreto in Palatio Quirinali die 26. Septembris eiusdem Anni Publicatus

Petrus Nelli delin. — *Hieronymus Rossi Incid.*

Dominicus de Rubeis Hæres Io. Iacobi formis Romæ ad Templ. S. M. de Pace cum Priu. Sum. Pont.

XXXIV.

PETRUS MARCELLUS CORRADINUS Setinus die natus est 3. Julii anni 1658. Familiam ejus, quod in Regiensi Civitate Galliæ Cisalpinæ inter nobiles Corradinia gens connumerata sit, Regiensem illam Origine nonnulli perperam crediderunt. Alii Romanam dixerunt, utpote inter nobiles adscriptam ex Decretis à Romano Senatu editis anno 1684. 1610. & 1615. Sed quomodo ex his descendat Petri Marcellini familia, quibusve hæc opinio nitatur fundamentis incertum est. Ex Setiæ Domicilio Setina equidem est; ibique *Petrus Marcellinus* in lucem editus est *à Torquato Corradino*, & *à Portia Ciammariconi* ejus Genitoribus.

Ut per angustiam licuit rei familiaris, liberaliter quidem educatus, adeo in studiis proficiebat, ut vivida mentis alacritate tarda Patris subsidia superaret. Undecim annos natus Romam venit, literisque impensam navavit operam. Sed ætatem nactus grandiorem assiduo labore Jurisprudentiam percoluit. In Universitate Romana Laurea Doctorali donatus est, tantamque in Legali facultate existimationem invenerat, ut à Cardinali *Benedicto Pamphilio* ejus Assessor fuerit renunciatus.

Caufas tamen in Foro agere non deftitit. Imo parum in aula præfati Cardinalis permanfit; quia Legatus de Latere *ab Alexandro VIII.* dictus, & Bononiam *Pamphilius* concedere juffus, *Petrus Marcellinus* in Urbe perftitit, & palam Advocati munus exercuit.

Nedum in Tribunalibus Urbis luculentis Confultationibus inclaruit, fed ejus celebritatis fama exteras quoque pervafit nationes ob Typis editos Libros, quos inter maximè commemorandus eft ille, cui Titulus *de Jure Prælationis*; & alter = De primariis Precibus Imperialibus. *Innocentius XII.* proborum hominum, item & Doctrina fulgentium admirator, & Mæcenas eximius, ad præclarum Subdatarii munus eum ultro advocavit, Canonicum etiam dixit Lateranenfis Bafilicæ: Hoc in munere à Succeffore *Clemente XI.* confirmatus. nedum honorificè Minifterii fui partes omnes explevit, fed a Legalibus curis aliquanto recreatus, celebre illud opus evulgavit fub Titulo = *Vetus Latium Profanum, & Sacrum* = Hujus quidem operis duo prima Volumina, quæ *Petrum* noftrum Corradinum habent auctorem, Romæ prodierunt anno 1704., & 1705. Reliqua vero ufque ad undecimum Volumen protracta à Patre *Jofepho Vulpio* Societatis Jefu abfoluta fuerunt. Sanè *Petrus Corradinus* ad majora provectus, & nedum in hoc Pontificatu, fed etiam in duobus aliis Pofterioribus *Innocentii XIII., & Benedicti XIII.* Sanctioribus Confiliis, & maximis adhibitus negociis, hoc opus per fe ipfum explere non poterat, illud huic docto Sacerdoti complendum, atque abfolvendum commifit. Alterum jampridem etiam evulgaverat librum ita infcriptum = *De Civitate & Ecclefia Setina* =

Interea morum feveritate, atque incorrupta juftitia apud *Clementem XI.* tanta *Corradinus* exiftimatione fulgebat, ut illi anteferretur nemo, pauci pares putarentur. Eum Archiepifcopum Athenienfem primo, deindè fuum dixit Affefforem. Demum die 18. Maii anni 1712. inter Cardinales recenfuit; Illum tamen in pectore fervavit, & die 26. Septembris ejufdem anni evulgavit, Titulumque addidit Presbyteralem *S. Mariæ Tranftyberim*. Variis deindè adjectum Congregationibus, eum anno 1717. præclara infignivit Præfectura Sac. Congregationis Concilii Tridentini Interpretum.

Affumpto in Petri Sedem *Innocentio XIII.*, Prodatarius eft renunciatus, quo etiam in munere toto fequenti permanfit Pontificatu *Benedicti XIII.*, à quo munere licet fibi à *Clemente XII.* ultra oblato, abftinuit tamen, ut rebus Sanctæ Sedis graviffimis, quæ ipfi in dies committebantur, vacare poffet. Revera ardua quæque iftis temporibus Ecclefiæ direxit negocia. Diffidia cum Rege Hifpano, & cum Rege Neapolis exorta, ejus præfertim dexteritate, & confilio dirempta funt. Plurimum etiam adlaboravit, ut controverfias componeret cum Sardiniæ Rege vigentes, & circa immunitatem Ecclefiæ, & circa Jura Feudalia, & circa rem Beneficiariam, fed huic negocio diù pertractato BENEDICTUS XIV. extremam manum impofuit.

Ætatem demum laboribufque confectus, quum jam ægrotare cœpiffet an. 1742., ineunte fequenti anno 1743. obiit die 8. Februarii. Recti tenax, in pauperes mifericors, fententiam fuam in Judiciis, & coram Pontifice libera mente pronunciabat. Plura extant adhuc ejus pietatis egregia monumenta. De erigendo Hofpitio S. Gallicani apud *Benedictum XIII.* auctor fuit. Monafterium fub Titulo *Sacræ Familiæ* in Patria Setina a fundamentis erexit. Et quas vivens aluerat, eafdem fanctimoniales moriens ex Affe fcripfit hæredes. Poftremæ fuæ voluntatis exequutores fcripfit Cardinalem *Carolum Rezzonico*, *Marcellum Crefcentium*, tunc ad Gallos Nuncium Apoftolicum, modo vero Cardinalem, & Præfulem *Ludovicum de Valentibus* Protho notarium Apoftolicum, quos omnes longa fibi amicitia, & familiaritate devinxerat. Titulum, quem nactus fuerat Cardinalitium, pluries immutavit, atque inter Epifcopos Car dinales relatus, Tufculanam rexit Ecclefiam. Congregationibus adfcriptus fuit Sac. Concilii Tridentini, cui, ut diximus, fuit etiam Præfectus; item, & Congregationi Sancti Officii, Examinis Epifcoporum, Confiftorialis, Propagandæ Fidei, Vifitationis Apoftolicæ, Artis Agrariæ, Rituum, Aquarum, Avenionenfis, & Signaturæ Gratiæ. Præterea Protector fuit Congregationis Caffinenfium, Cathecumenorum, Xenodochii S. Gallicani, aliorumque piorum locorum.

Comitiis interfuit *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.*, *Clementis XII.*, & BENEDICTI XIV. atque in iis poftquam zelum Domus Dei maximè promovit, omnibus his Pontificibus fuo calculo fuffragatus eft. Ejus Cadaver ad Ecclefiam delatum fuit S. Mariæ Tranftyberim, cujus fuerat Titularis, ibique folemni ritu fepultum eft. Ejus memoriæ *Marcellus* Cardinalis *Crefcentius* ob amicitiam jampridem cum eo inftitutam, hanc appofuit Epigraphen.

D. O. M.
PETRO MARCELLINO CORRADINO
DOMO SETIA
IVRISCONSVLTO CLARISSIMO
POST QVAMPLVRIMA MVNIA
IN ROMANA CVRIA INTEGERRIME EXPLETA
S. R. E. CARDINALI AC EPISCOPO TVSCVLANO
RENVNCIATO LITERARVM
AC PAVPERVM PATRONO
DE PATRIA PARENTIBVS
ATQVE AMICIS OPTIME MERITO
OB. DIE VIII. FEBRVARII AN SAL. MDCCXLIII.
ÆTAT. LXXXIV. MENS. VIII. DIES VI.
MARCELLVS S. R. E. CARDINALIS CRESCENTIVS
IN FERRARIENSI PROVINCIA ABLEGATVS
AMICO CARISSIMO
GRATI ANIMI MONVMENTVM POS.
BENEMERENTI IN PACE

A

Libri, quos Cardinalis Corradinus conscripsit, sunt sequentes.

De Jure Prælationis = Romæ anno 1688.
De primariis precibus Imperialibus sub nomine Corradi Uligenii = Romæ 1706.
Relatio Jurium Sanctæ Sedis in Civitatem Clomacensem.
De Civitate, & Ecclesia Setina = Romæ 1702.
B *Vetus Latium profanum, & Sacrum = duo Volumina Romæ* 1704., & 1705. *= quod opus postea absolvit Pater Vulpius è Societate Jesu =*



Be-



Benedictus Sala ex Ordine S. Benedicti Hispanus, Episcopus, Barchinonensis S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus á S.D.N. CLEMENTE PAPA XI. in Consistorio Secreto habito post Senu: publicum in Aula Ducali Palatij Vaticani die 18. Maij 1712., et in simili Consistorio Secreto in eodem Palatio Vaticano die 30 Ianuarij 1713. Publicatus obijt die Prima Iulij 1715

Dominicus de Rubeis formis Romæ ad Temp Pacis cū Priu S. Pontif

XXXV.

BENEDICTUS SALA Hiſpanus Gerundæ in Principatu Catalauniæ natalem adſpexit lucem anno 1646. Patrem habuit *Franciſcum* nobilitate, & doctrina præſtantem, quique celebris fuit ea tempeſtate Juriſconſultus, proptereaque Aſſeſſor extitit Regiæ audientiæ Barchinonenſis; Matrem vero *Annam de Caramany* pari nobilitate ornatam feminam. Sub Parentum diſciplina pietatem coluit, & rudimenta didicit literarum. Duodecimum vix attigerat annum, quum ſtudio incenſus vitam Religioſam ineundi, Ordini Benedictinorum Caſſinenſium nomen dedit.

In inſigni Cœnobio receptus fuit Beatæ Vir- A ginis de *Monſerrato* Provinciæ Catalaunienſis. Anno 1662. votis illius Inſtituti ſolemniter ſe obſtrinxit. Ab ejuſdem Inſtituti Præpoſitis clariora Hiſpaniarum cœnobia luſtrare juſſus eſt, ut Philoſophiæ, & Theologiæ præcepta perdiſceret. Hiſce peractis ſtudiis, admotus ipſe fuit ad alios erudiendos. Philoſophiæ præceptor dictus eſt in Collegio *S. Stephani de Ribas* in Regno Galleciæ; aliiſque in locis ſtrenuè hoc munere functus eſt.

Salmaticam indè adductus, Profeſſor dici- B tur Theologiæ in Collegio *S. Vincentii* Benedictinorum. Binos per annos hanc profeſſus eſt facultatem frequentiſſimis Auditoribus. At-

que

que in eadem Theologica facultate Lauream A Doctoralem adeptus est in ipsa Universitate Salmaticensi. Tanta indè viri fama, atque existimatio percrebuerat, ut in eadem Salmaticensi Accademia publicus Philosophiæ professor assumptus fuerit.

In Comitiis sui Ordinis generalibus anno 1681. *Valdoleti* in Castella habitis, Definitor electus est, & Visitator Generalis omnium ejus Instituti Cœnobiorum Congregationis *Vallisoletanæ* in Catalaunia. Indè in eodem Catalauniæ Principatu Abbas electus est memorati insignis Cœnobii *S. Mariæ de Monserrato*. B


Pluribus indè aliis clarissimis Cœnobiis Præpositus datus est à Rege Catholico. Cœnobio nempè præfuit Barchinonensi *S. Pauli de Campo*, indè *S. Petri de la Pontela*, & demum *S. Mariæ de Gazzy*. Abbas postremo designatus *S. Mariæ de Rivopullo*, priusquam illius possessionem nancisceretur, anno 1698. Episcopus dicitur Barchinonensis.

Ecclesiam sibi commissam piissimis legibus C emendavit, ornavitque moribus intaminatis; Eam verò tam sedulo amavit, ut alias oblatas Infulas, ditiores licet, vel clariores constantissimè recusaverit. Præsertim verò Archiepiscopatum Tarraconensem rejecit.

Mortuo *Carolo II.* Hispaniarum Rege, fortunæ adhæsit *Caroli VI.* Imperatoris, illique maximè favit, quum de Hispanica successione cum *Philippo V.* contenderet. Hinc ad preces ejusdem Caroli Cæsaris in hac celebri promotione diei 18. Maii anni 1712. à *Clemente XI.* inter Cardinales relatus est; nonnisi ta- E men evulgatus est, quam die 30. Januarii anni 1713. Quum verò *Philippus V.* cuncta Hispaniarum Regna suo adjecisset Imperio, & Principatu præsertim Cathalauniæ potitus esset, Cardinalis *Sala* Barchinonensem Ecclesiam suam deserere coactus est. Romam se contulit anno 1713. Ut verò persepè ægrotabat, laboribusque, atque ætate fessus erat, quum Romam pervenisset, nec Petasum, nec Titulum obtinuit Cardinalitium. Morbo, ac macie confectus supervixit quidem usque ad annum 1715., at tandem occubuit die primo Julii, atque in Ecclesia S. Pauli Benedictinorum extra mœnia sepultus est, adstante, & justa exequialia peragente Sacro Cardinalium Collegio. Tumulo verò sequens appositum fuit Elogium.

D. O. M.
BENEDICTVS DE SALA
CLARO GENERE GERVNDÆ NATVS
ORDINIS SANCTI BENEDICTI MONACHVS
POST SALMATICEN. CATHEDRAM
EPISC. BACHINONEN.
IN HISPANIARVM REGNIS SVPREMVS FIDEI
INQVISITOR
HISQVE NOMINIBVS DE ECCLESIA
OPTIME MERITVS
A CLEMENTE XI. P. O. M.
S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS
CREATVS DIE XVIII. MAII MDCCXII.
RELIGIONE DOCTRINA
ANIMI MAGNITVDINE LIBERALITATE
ET HVMANITATE OMNIBVS CARVS
ÆTATIS SVÆ ANNORVM LXX.
MENS. III. D. XV.
OBIIT ROMÆ II. IVLII MDCCXV.





XXXVI.

ARMANDUS GASTO DE ROHAN Gallus Patrem habuit *Franciſcum* Principem de *Soubiſe* Franciæ Ducem, & Parem, & in Regiis exercitibus Locumtenentem Generalem, Matrem verò Annam de *Rohan Chabot* agnatam ſuam, & hæredem Ducatus de Rohan, & claram virtutibus Principem. Ex his ampliſſimis Genitoribus in lucem prodiit die 26. Junii 1676., præclariſque natalibus idoneam nactus eſt educationem. Rudimentis literarum, deindè Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudiis feliciter incubuit. Mox ad Canonicatum Argentoratenſis Eccleſiæ promotus eſt.

Anno 1700. privilegium ætatis obtinuit à A *Clemente XI.*, quo coadjutor eligi poſſet Emi Cardinalis *de Furſtemberg* Argenttoraenſis Epiſcopi. Die igitur 28. Februarii fuit electus, ac menſe Aprili anni 1701. alio Diplomate Pontificio electio de eo facta confirmata eſt. Eodem quoque tempore Epiſcopus Tyberiadis, ſeu Cæſareæ ab ipſo Pontifice renunciatur, quo Titulo conſecratus eſt Epiſcopus die 26. Junii in Eccleſia *S. Germani à Pratis* à præfato Cardinali *de Furſtemberg* ejus principali, & Coadjuto. Conſecrationi adſtiterunt Epiſcopi Laudunenſis, & Lingonenſis. B

Anno 1703. Abbatia Fuſniacenſi ditatus eſt à Rege Chriſtianiſſimo. Atque in celebri Ac-

ca-

cademia Gallicana inter quadraginta Viros cooptatus est in locum *D. Perrault*; & socius honorarius dictus est in Academiis scientiarum, & Inscriptionum. Anno 1704. mortuo Cardinali de *Furstemberg* justa funebria persolvit, & Episcopatum Argentoratensem adeptus est.


Anno 1706. insignem emit Bibliothecam *Thuaneam* à D. de *M nars*; quam in ædibus suis magno sumptu intra septa Palatii olim *Guisiorum* Principum extructis collocavit. In hac vero Promotione diei 18. Maii anni 1712. ad nominationem ipsius Christianissimi Regis inter Cardinales cooptatur. Pileolum Cardinalatus insigne illi pertulit clarissimus doctrina Præsul Franciscus Blanchinius. Anno 1713. Major Franciæ Eleemosynarius dicitur, eodemque tempore S. Spiritus Commendator institui tur. Magna in Diœcesi Argentoratensi Christiani Principis, & optimi Pastoris edidit monumenta. Statuta capituli majoris Ecclesiæ suæ confirmavit. Ecclesias reparavit, & auxit.

A Mortuo *Clemente XI* Comitiis adfuit Vaticanis, in quibus calculo suo *Innocentii XIII.* electionem promovit. Ab eodem Pontifice Petaso donatus Cardinalitio, Titulum etiam Presbyteralem obtinuit *SSmæ Trinitatis in Monte Pincio*, qui morte Cardinalis *de la Tremoille* anno præcedenti defuncti vacaverat. Comitiis etiam interfuit *Benedicti XIII.*, *Clementis XII.*, & Benedicti XIV. Ludovicum XV. cum Principe *Maria Lesczinska* anno 1725. Matrimonio ritè conjunxit; Qua occasione verba, quæ fecit, digna prorsus habita sunt, ut in Historia Alsatiæ (*a*) referantur. Abbatias quoque possedit Monasterii in *Argona*, *Casæ Dei* in Arvernis, & *S. Vedasti* Atrebatensis Diœcesis.

B Congregationibus Romanis adscriptus fuit Propagandæ Fidei, Sacrorum Rituum, Sacri Concilii Tridentini, & Rerum Consistorialium, & Protector fuit Ecclesiæ Sancti Claudi Burgundionum (*b*). Anno demum 1749. die 19. Julii obiit Parisiis flebilis Regi, & Regno.



(*a*) Hist. Alsat. pag. 360. & 361. (*b*) Gall. Christian. Tom. 5. pag. 821. Hist. Genealogica Galliæ Tom. 4. pag. 67.



XXXVII.

NONIUS A CUNHA DE ATAYDE Lusitanus Patre natus est *Ludovico* Comite de Pavolide, Matre vero *Gujomar de Lencastro* in Lusitania Magnatibus, die 8. Decembris anni 1664. Adolescens in Regali Sancti Pauli Academiæ Collegio literarum studiis, bonisque moribus liberaliter institutus, in Jure Pontificio Doctoris Lauream reportavit. Mox Canonicus in Cathedrali ejusdem Civitatis Ecclesia electus, Sancti Officii causas tanta cum laude, & probitate peregit, ut ad Inquisitoris munus Ulisippone substinendum communi suf- A fragio fuerit evocatus. In Regio Jesu Christi Ordine Eques Commendatarius dictus fuit. Summus etiam Regio cubiculo Præfectus, atque à Sanctioribus Consiliis *Petri II.* Lusitanorum Regis renunciatus fuit. Episcopali Elvensi Sede ab eodem Rege sibi sponte oblata constantissimè recusata, Tangernensis Episcopi titulum saltem gerere coactus est, ut majoris Cappellani munere fungi posset. Ab *Joanne V.* B Petri II. filio, ac in Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum Successore, in Generalem totius Imperii sui Quæsitorem contra hæreticam pra-

vita-

vitatem constitutus, omnium consiliorum suorum particeps factus, primus à Rege est habitus.

Demum die 18. Maii anni 1712. à *Clemente XI.*, eodem postulante Rege, inter Cardinales relatus est. Mortuo eodem *Clemente XI.*, ut Vaticanis adesset Comitiis, Romam venit. Sed maxima perfusus est voluptate quum jam in Romanum Pontificem electum invenit *Innocentium XIII.* olim ad Lusitanos Nuncium Apostolicum, & quum Cardinalatus honore fungeretur, Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum Protectorem. Ab eodem Pontifice Sacris Congregationibus adjectus fuit Episcoporum, & Regularium, Propagandæ Fidei, Sacrorum Rituum, & Rerum Consistorialium. Titulo etiam donatus fuit Presbyterali *S. Anastasiæ*. Hujus Ecclesiæ temporis diuturnitate ruinam jam minitantis, quum ipse in possessionem venisset, restaurationem adornari jussit, magnoque sumptu absolutam reliquit. Postquam plura alia prudentiæ, & liberalitatis monimenta Romæ posuisset, in Patriam redux ibi vivit, atque in prospera senectute eamdem exercet constantiam pro Catholicæ Fidei incolumitate, & incremento.





XXXIII.

WOLFANGUS ANNIBAL DE SCHRATTEMBACH natione Germanus, Patria vero Styrus Zillensis Diœcesis Gurtensis; Die natus est 12. Septembris anni 1660. ex *Joanne Balthassare* Comite S. R. I., & ex *Anna Elisabeth* Comitissa à *Wagensberg*. Idoneam præclaris ejus natalibus nactus est educationem. Ad pietatem enim, & ad Literarum rudimenta à pueritia instititus, indè ut Rethoricam lustraret, Salisburgium missus est, & in illo Collegio Archiepiscopali collocatus. Demum plena pubertate, annum nempè agens decimum octavum receptus est in Seminarium Romanum die 27. Novembris anni 1677. Ibi sub discipli-

A na Patrum Societatis Jesu triennio Philosophię, alioque triennio Theologiæ sedulo incubuit. Hisce absolutis studiis, publicas Theses propugnavit in eadem Theologica facultate non sine magna ingenii commendatione.

Anno 1683. egressus è Collegio Canonicatum obtinuit in Ecclesia Cathedrali Olomucensi per Literas Apostolicas *Innocentii XI.* Altero deindè decoratus est Canonicatu in Metropolitana Salisburgensi per collationem illius Archiepiscopi nempè Cardinalis de Kiemburg Affinis sui,


B & ex Indulto Apostolico. Romæ tamen aliquan diù perstitit, Laureaque Doctorali ornatus fuit donec ut sedem figeret in Ecclesiis, qua-

rum servitio addictus fuerat, in Germaniam reversus est. Pluribus ibi moratus annis Sacerdos dictus est anno 1688. in Civitate Salisburgensi; indè in Aula Cæsaris officiis suis Imperialem sibi gratiam conciliavit. Cæsarea hinc beneficentia, & concordibus Collegarum suffragiis anno 1711. Ecclesiæ Olomucensis totius Moraviæ Metropolis electus est Episcopus, & Princeps. Demum sequenti anno 1712. die 18. Maii ad preces ejusdem Cæsaris in amplissimum Cardinalium cœtum relatus est â *Clemente XI.*

Romam adveniens Petasum, aliaque Cardinalatus Insignia obtinuit. Titulo etiam Presbyterali *S. Marcelli* decoratus fuit; Cæsareus etiam in Urbe administer dictus est, & Protector totius Germaniæ, aliorumque Regnorum Augustæ Domus Austriacæ. His porrò nominibus grandia à Pontifice auxilia retulit, ut bellum in Turcas acrius Cæsar fovere posset. Mense demum Augusti anni 1719. è vivis erepto *Comite de Gallas* utriusque Siciliæ Pro-Rege, & Locumtenente generali, illi *Wolfangus Annibal* suffectus fuit in hoc amplissimo Magistratu. Strenuè præclaro munere functus est usque ad annum 1721., quo post mortem *Clementis XI.*, ut Vaticanis adesset Comitiis, locum cessit *Principi Marco Antonio Burghesio* in Regimine Regni Neapolitani.

Assumpto ad Apostolatum *Innocentio XIII.*, ipse ad ejus Olomucensem Ecclesiam reversus est. Iterum post hujus Pontificis mortem Vaticana celebravit Comitia, iterumque electo *Benedicto XIII.* ad suam remeavit Ecclesiam. Ibi tandem pluribus relictis pietatis, & eximiæ liberalitatis vestigiis, occubuit die 31. Julii 1738. flebilis Cæsari, & toti Olomucensi Principatui. Honorifico corpus ejus elatum funere, sepultum est loco Depositi in Castro *Cremsier*, ubi Episcopi, Principesque Olomucenses tumulantur.

Romæ Congregationibus adscriptus fuerat Episcoporum, & Regularium, Rituum, Propagandæ Fidei, Indicis Librorum prohibitorum, Indulgentiarum, & Rerum Consistorialium. Aliisque in Aula Cæsaris titulis, & dignitatibus claruerat. Nempè Comes Regiæ Cappellæ Boemiæ dictus fuerat, & Caroli VI. actualis Consiliarius.


Eques Pet. Leo Ghezzi inv. et del. Hier. Rossi incidit



XXXIX.

ALOYSIUS PRIOLUS VENETUS optimis, ac Patriciis Genitoribus in lucem editus est die 15. Septembris anni 1650. Patrem quippè habuit *Marcum Antonium* Senatorem amplissimum, Matrem vero *Helenam Basadonna* lectissimam Matronam, quæ fuit *Petri* Cardinalis Basadonna germana Soror. Quinque habuit Fratres Magistratibus in Patria strenuè gestis præstantes; Quos inter maximè enituit *Hieronymus*, qui quum Venetæ Classi Præfectus esset extraordinarius, & in Turcas navali pugna dimicaret, incendio navis ejus absorta est, ipse vero ab hostibus undique circumventus per tela, per ignes ad superos evolavit.

A

His eductus majoribus *Aloysius*, ut primum per ætatem licuit, optimis quibusque disciplinis imbutus fuit. Nondum pueritiam exegerat, quum Clericale institutum decrevit arripere. In id vitam, & mores ejus instituit. Citò propterea pingui ditatus fuit Sacerdotio, quod dicunt *Abbatiam S. Zeni* in Agro Veronensi, atque altero sub titulo *S. Euphemiæ*.


In legali facultate eruditus, & Laureâ Doctorali ornatus anno 1689. à Veneto Senatu inter quatuor Cives recensetur Pontifici nominandos, ut in Tribunali Rotæ Romanæ XII. Vir assumeretur. Ipse revera à Pontifice inter cæteros selectus fuit. Diù, maximaque

B

cum laude difficili hoc Magistratu functus est. Tandem die 18. Maii anni 1712., ut solitam Venetæ Reipublicæ benevolentiam suam Pontifex testaretur, eum inter Presbyteros Cardinales retulit, & Congregationibus adjecit Episcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Immunitatis Ecclesiasticæ, Fabricæ Divi Petri, & Rerum Consistorialium. Titulum *S. Marcelli*, quem primum nactus fuit, immutavit die 28. Maii anni 1714., & ad alterum ascendit *S. Marci*. Prudentia, & morum integritate viguit singulari. Obiit Romæ die 13. Martii anni 1720. sepultus est in Ecclesia ejus Titulari S. Marci propè tumulum sui avunculi Cardinalis Petri Basadonna cum hoc monumento.

D. O. M.
ALOYSIVS S. R. E. TIT. S. MARCI
CARDINALIS DE PRIOLIS
SPECTATÆ INTEGRITATIS ET PRVDENTIÆ
PRIMVM INTER S. R. ROTÆ XII. VIROS
DEINDE IN PVRPVRATORVM PATRVM
SENATVM COOPTATVS
APVD AVVNCVLVM
PETRVM CARDINALEM BASADONNA
DIGNITATE ET VIRTVTE NON IMPAR
TVMVLARI IVSSIT
OB. ID. MARTII AN. SAL. MDCCXX.
ÆT. SVÆ LXIX. MENS. VI.





X L.

JOSEPH MARIA THOMASIUS Panormitanus à præclaris Parentibus ortum duxit die 12. Septembris anni 1649. Patrem enim habuit *Julium Thomasium de Caro* Baronem de *Torretta*, & *de Monteclaro*, Principem *Lampedusæ*, & Ducem *de Palma*, Matrem vero *Rosaliam Traina* pietate, & generis nobilitate eximiam Matronam. Hæc in ævum spectabilis fœmina veteri in more habuit, lauto dietim prandio miseras aliquot mulieres Domi suæ excipere. Illarum nuditati, & pudori consulebat, ægrotantes medebatur, iisque in mensa propriis manibus ministrabat. Ex illo tempore didicit puerulus *Joseph* in pauperes

A amorem, & liberalitatem. Jussu Matris adstabat ille, dum adhuc ab ubere Nutricis pendebat, tenerosque tendebat lacertos, ut pauperibus inserviret. Prima, quæ protulit verba, caritatem in Deum, & odium peccandi exhibuerunt. Quum Palmæ Ecclesia major ab imò extruebatur, silices, & cæmenta propriis gestabat humeris Ducissa Mater. Idipsum parvuli ejus Filii certatim præstabant. Pauperum pedes abluere, assiduis vacare precibus, aliisque id generis exercita-
B tionibus, hæc prima illi fuerunt pietatis rudimenta.

Talibus imbutus præceptis, propriisque

actus ſtimulis ingenitæ pietatis, nil mirum ſi ætatem nactus idoneam, divitem Paternæ Domus aſpectum aufugerit. Erat ipſe inter ejus Fratres natu major; & tamen ab optimis Genitoribus, ut inter Clericos Regulares, quos *Theatinos* vocant, reciperetur, lacrymis impetravit. Panormi exceptus fuit die 24. Martii anni 1665. Dum ſolitum probationis annum expleret, humilitate, abſtinentia, ſeveritate, cæteris anteivit. Et licet parum firma polleret valetudine, rigoribus ab Ordine ſtatis alios ultroneè quæſitos adjecit. Exacto tyrocinio, illius Inſtituti votis ſe obſtrinxit.

In tanta cupiditatum continentia, & corporis caſtigatione; ingenium tamen avidiſſimè percolebat, & ſtudiis maximè delectabatur. Iis porro ſtudiis, quæ Dei timorem ingerunt, & religioni opitulantur. Sic exhauſto Philoſophiæ curſu, Theologiæ impenſius incubuit. Malebat ipſe ſapiens eſſe, quam videri. Inſomnes idcircò noctes quandoque traducebat, & ſacris meditationibus, & aſſiduæ librorum lectioni viciſſim vacabat. Extimationem nactus haud exiguam apud ſodales ſuos, Romam traducitur in Cænobium Sancti Sylveſtri in Monte Quirinali. Sacram eruditionem funditus inquirebat. Quare nedum Latinas, ſed etiam Græcas, & Hæbraicas callebat literas. His fretus auxiliis, in perſcrutandis Sacræ Vetuſtatis Archivis, & in eruendis antiquæ Eccleſiæ monumentis, tenebris licet obſitis, totus fuit. Quare editis ab eo re fertiſſimis Chriſtianæ eruditionis voluminibus (inferius recenſendis) ejus celebritatis fama percrebuit. Pietatem æquè, ac doctrinam ejus mirificè commendarunt eximii hujus ævi Scriptores Pater *Mabillonius* (*a*) *Joannes Ciampinus* (*b*), *Antonius Mongitorius* (*c*), *Joſeph Manſius* (*d*), acta eruditorum Lipſiæ (*e*) aliique quamplures. Quin imò ejus Libros doctiſſimis notis illuſtrarunt clari viri *Cajetanus Cennius* (*f*) *Joſeph Blanchinius*, & in re Liturgica Occidentalis Eccleſiæ præcipuum Doctorem, & veluti anteſignanum nuncupant. Hoc denique laudibus ejus ſuperacceſſit, ut ipſis Summis Pontificibus probatiſſimus fuerit, præſertim vero Regnanti BENEDICTO XIV., qui viri ſanctitatem, eximiamque ſapientiam & novit, & celebravit (*g*).

Maximo Romæ plauſu præcæteris exceptus fuit *Thomaſii* Liber, cui titulus = *Inſtitutiones Theologicæ antiquorum Patrum, quæ aperto ſermone exponunt breviter Theologiam, ſive Theoreticam, ſive practicam* = Romæ 1709.= In hoc hauſta ab ipſis Sanctorum Patrum Sententiis Theologiæ norma, diverſas noſtrorum Theologorum opiniones ad concordiam revocare conatur. Sic abjectè de ſe ipſo ſentiebat *Thomaſius*, ut fere nunquam ſuam proferret in quacumque quæſtione ſententiam, ſed fontes aperiebat, & dicta Patrum monſtrabat, undè quæſtio dirimeretur. Ex hac ingenita humilitate longo temporis intervallo timuit Sacerdotio inſigniri. Nec ad ſacram hanc Dignitatem aſcendit, niſi obedientia ductus, & ſuperiorum imperio. Oblata ſui Ordinis munera conſtantiſſimè recuſavit. Recuſavit etiam gradus Examinatoris Epiſcoporum, & Conſultoris Sacræ Rituum Congregationis, quæ duo munera *Innocentius XII.* illi ultro obtulerat. A Confeſſionibus excipiendis ſimiliter abſtinuit, indignum ſe prædicans, ac prorſus ignarum Sacri hujus Miniſterii. Scrupulis, & metu Religionis angebatur aſſiduè. Exprimebat animi formidinem ſilentio, modeſtia, & ſolitudine. Quum Domo pedem efferebat (idque raro) defixis in terram oculis incedebat, & ſolitaria quærebat loca. Mira de ejus caſtimonia efferuntur. Adeout etiam poſt mortem hanc ipſe eximiam virtutem patefecerit. Quippe quum ſecaretur ejus Cadaver, ubi penitus denudatum fuit (ferunt) oculos aperuiſſe, quaſi vim pateretur. Eoſdemque clauſiſſe, quando veſtibus tectum fuit (*h*) idque identidem bis, & tertio eveniſſe, quoties Chirurgus manus nudo corpori admovebat.

Laceris obſoletiſque veſtibus induebatur. Cubiculum ejus extremam redolebat paupertatem. Lectulus latitudine trium palmorum protendebatur. Tribus aſſeribus, & culcitrula contabat diſciſſa, ac prorſus dilaniata. Pecuniam non poſſedit, nec illam à Conſanguineis poſtulavit. Oblatam tamen, ſtatim in pauperes erogavit. Menſa cum Sociis utebatur communi, & in Cœnaculo ultimus accumbebat. Cibos tamen condiebat abſinthio, quem in pera ſemper geſtabat. Juſſus à *Clemente XI.*, Congregationibus adeſſe S. Officii, Rituum, & Indulgentiarum, quibus illum Conſultorem admovit, paruit Pontificis coactus imperio, & præcepto obedientiæ. Tota plaudente Urbe, & Cardinalium geſtiente Senatu, ubi eum *Clemens XI.* die 18. Maii anni 1712. inter Purpuratos Patres adſcripſit, maximè adlaborandum fuit. Recuſabat palam; invitum cogi non poſſe ajebat, humilemque in id Pontifici miſerat Epiſtolam. At *Clemens XI.*, qui in ſua ad Apoſtolatum aſſumptione inter quatuor Inſignes Theologos, *Thomaſium* quoque habuit increpantem, & impellentem eum, & ne diutius reluctaret terrore Religionis eum impulerat ad ſuſcipiendum Imperium Eccleſiæ; Eodem prorſus *Clemens XI.* uſus eſt argumento; nec ſine graviſſimi

(*a*) Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti. Pariſ. 1700., & Annal. Ord. S. Benedicti. Pariſ. 1700.
(*b*) De perpetuo Azimorum uſu, & de Cruce ſtationali.
(*c*) Bibliotheca Sicula pag. 390.
(*d*) In vero Eccleſiaſtico Libro 5. cap. 5. pag. 692.
(*e*) Anni ....
(*f*) In Libellum Orationum antiquiſſimi Ritus Gottico Hiſpanici.
(*g*) In inſigni Opere de Servorum Dei Beatificatione lib. 3. cap. 31. pag. 464., & cap. 33. num. 16.
(*h*) Antonius Maria Borromeo Epiſcopus Juſtinopolitanus in vita hujus Cardinalis.

mi criminis labe recusari posse Cardinalitiam dignitatem dixit, eò modo, quo nec Apostolatum dimitti jampridem sibi *Thomasius* prædicaverat. Pontifex præcepit igitur, ne recusaret. Titulumque illi contulit Presbyteralem *Sanctorum Silvestri*, & *Martini ad Montes*. Eum præterea Congregationibus adscripsit Sancti Officii, Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Indulgentiarum, & Rituum.

Sic quacumque abdicationis spe sibi sublata, valetudo ejus, quæ infirma, ac fracta huc usque fuerat, in deterius vergi cœpit. Sæpe, & non obscuris verbis instantem sibi mortem prænunciavit. In iisdem ædibus S. Silvestri in Quirinali, duorum Conclavium angustias amplissimis domibus prætulit. Titulum Eminentissimi maximè abhorrebat. Insignia, & vestes Cardinalitias invitus, & mœrens deferebat. Præsules Romanæ Curiæ officii causa eum comitantes noluit. Noluit etiam Caudatarium Sacerdotali caractere insignitum. Ad hoc genus Officii simplicem elegit Clericum.

Ut decori novæ amplissimæ dignitatis prospiceret, Domum conduxit prope suam Titularem Ecclesiam *SS. Silvestri*, & *Martini* ad Montes. Eumdem ejus Lectulum illuc invexit, eamdem paupertatem transtulit, eodemque vivendi genere usus est. Ad mediæ noctis horam evigilabat, piisque meditationibus incumbebat, ut ad Rem Sacram peragendam summò manè accederet. Si quis intempesta nocte propè ejus Conclave silens accedebat, illum vel orantem audiebat, vel flagris corpus suum affligentem. Divino quotidiè officio in ipsa ejus titulari Ecclesia adstabat. Pueros edocebat rudimenta Christianæ Fidei. In Crypta subterranea hujusmet Ecclesiæ sepulcrum sibi elegit; sed supra fidem abjectum ac vile; morti enim (quam sibi in dies imminentem ajebat) impavidè occurrens, quadam die Familiarem suum ad se accivit. Laterem coctum, quem Cardinalis habebat præ manibus, ipsi Familiari obtulit; In eòque hæc verba incidi jussit ∴ I. M. Presb. Cardinalis Tit. Equitii ∴ Hæc fuit ejus sepulcralis Inscriptio sine cognomine, & sine temporis nota, ideoque aliis etiam Cardinalibus conveniens. Titulum adjecit *Equitii*, quia sic vocabatur antiquus illius fundi Dominus. Nec Sanctorum Silvestri, & Martini veneranda nomina passus est pedibus conteri, & conculcari.

Septimo igitur ab ejus Cardinalatu mense, die S. Thomæ sacro, quique paucis distat diebus à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi in eadem sua Titulari Ecclesia, obvios habuit Præpositum Cœnobio, aliosque illius Confratres. Optima, ut moris, est Cardinali quisque auspicabatur. Cardinalis vero felicia omina libenti animo excipiebat, quia paucis, ut ipse ajebat, diebus ipse moriturus erat. Idipsum Cardinali Fabronio repetiit, idipsum iteravit, & Medico de ejus non firma quidem valetudine consulenti, neutiquam tamen instantem mortem agnoscenti. Die igitur 24. ejusdem mensis Decembris ægrotare incœpit. Febriens tamen Divinis Officiis in Vaticana Basilica adesse voluit. Postridie latens morbus vires exeruit suas. Jussus à Medico Lectum petere, non paruit, nisi post quam Rei Sacræ in ejus domestico Sacello flexis genibus adstitisset. Hic primus dies illi fuit, quo incruentum Sacrificium per se ipsum non obtulerit. Duobus sequentibus diebus conclamata salus est; Patenti enim laborabat Perimneumonia, seu Pulmonum inflammatione. Et tamen summo mane è Lectulo surrexit, & labans, deliquiisque diffluens Rei Sacræ in ejus Sacello similiter adstitit.

Ubi rumor desperatæ ejus salutis Urbem invasit, ferè omnes omnium gentium, atque Ordinum homines angore, & sollicitudine trepidarunt. Quamplurimi Cardinales *Fabronius*, *Ferrarius*, *Origbius*; aliique ad eum invisendum accurrerunt. Ipse Summus Pontifex adversa detentus valetudine, nec per se ipsum ægrotantem convenire valens, ejus Fratris filios immisit *Annibalem* Cardinalem, & *Alexandrum Albani*, ut Pontificio nomine Apostolicam Benedictionem impertirent, & plurima caritatis officia morituro exhiberent. Ipse Familiares suos plorantes, & opem petentes, liberalitati Pontificis commendavit. Timebat enim ne post mortem suam otio, & paupertate marcescerent. Has easdem preces Summo Pontifici repetiit in Testamento. In hoc hæredem scripsit Collegium de Propaganda Fide; nonnulla alia pia Legata adjecit, præsertim favore memoratæ ejus Ecclesiæ Titularis, in qua humari voluit, sepulcro, & Inscriptione superius expressâ. Propinquis, & Consanguineis suis nulla Legata reliquit. Et tamen eos vehementer amavit. Præsertim quia nobili inter eos Religionis contentione, Sanctissimam & ipsi vitam agebant. Jampridem memoravimus, quantum pia ejus Mater humilitate, & Christianis officiis præstiterit. In hac sanctitatis fama itidem Pater ejus objerat. Nec aliter *Carolus Thomasius* Patruus ejus, qui eidem Ordini addictus Theatinorum, huic Nepoti suo præluxit Magister, & exemplar, eumdem prorsus sanctitatis odorem diffudit. Hujus vitam, & res gestas pii æque, ac docti viri Typis mandarunt. Sed fidem excedunt, quæ de Ven. *Maria Crucifixa à Conceptione* Cardinalis *Thomasii* germana Sorore enarrantur, & scriptis proborum hominum evulgantur.

Ita ferè à natali die Sanctus fuit Cardinalis *Thomasius*, ita adolevit, & vixit, ita denique diem suum clausit extremum. Sacrum Christi Corpus pro Viatico avidissimè expetitum summa Religione sumpsit. Sancto etiam delibutus oleo piissimam mortem oppetiit die prima Januarii 1713. Corpus ejus, ut ipse caverat, sepultum fuit; sed quia sumptus funeri deerat ob patrimonium suum in pauperes penitus erogatum; jussu *Clementis XI.* justa funebria acta sunt expensis Cameræ Apostolicæ.

Sed

Sed quoniam celebrior in dies Sanctitatis fama sollicitudinem movit plurimorum, qui fusè vitam ejus scripserunt (*a*) hi idcircò consulendi sunt. Nos ne à proposito aberraremus, vitam ejus, & clariores ejus res gestas brevi narratione perstrinximus. Non tamen reticenda est vera, atque immortalis gloria Cardinalis *Thomasii*. Si major venit post cineres gloria; Jam publico Judicio Ecclesiæ ritè ille relatus fuit inter Venerabiles Dei Servos. Jam de ejus Beatificatione consulitur; & quod præclarum est, Benedictus XIV., dum Præsul esset Romanæ Curiæ, & Fidei Promotor, eximia, quâ etiam tunc pollebat pietate, & doctrina, ipse *Causæ Commissionem signavit de Cardinalis Thomasii Beatificatione*. Quare sperandum est, rem hanc pro bono Ecclesiæ eo auspice cœptam, eo nunc Judice, & Fidei Magistro feliciter absolvi posse.

Statura fuit *Thomasius* mediocri, capite oblongo, colore pallido, ac fusco, ore ad gravitatem composito, ingenio acutus, memoria felix.

Opera Cardinalis Thomasii sunt, quæ sequuntur.

I. *Codices Sacramentorum non nongentis annis vetustiores. Magna hujus Libri pars iterum cusa fuit à clar. Vir. Mabillonio, in ejus* Liturgia Gallicana.

II. *Psalterium juxta duplicem editionem Romanam, & Gallicam, cum Canticis, Hymnario, & Orationali Romæ* 1683.

III. *Psalterium cum Orationibus, & Canticis prisco more distinctum &c.*

IV. *Sacrorum Bibliorum Tituli, sive capitula ante annos mille in Occidente usitata.*

V. *Responsorialia, & Antiphonaria Romanæ Ecclesiæ à Sancto Gregorio Magno disposita, cum appendice monumentorum veterum, & cum Scholiis.*

VI. *Antiqui Libri Missarum Romanæ Ecclesiæ. Idest antiphonarius S. Gregorii Papæ &c.*

VII. *Officium Dominicæ Passionis Feria sexta parasceve majoris hebdomadæ secundum ritum Græcorum, nunc primum latinè redditum.*

VIII. *Indiculus Institutionum Theologicarum Veterum Patrum.*

IX. *Institutiones Theologicæ antiquorum Patrum, quæ sparso sermone exponunt breviter Theologiam, sive Theoreticam, sive practicam.*

Alia Italico idiomate edidit opuscula ad excitandam Christifidelium pietatem; ejus tamen suppresso nomine.



(*a*) Vitam Cardinalis Thomasii fusè scripserunt, *Dominicus Berninus*, Ant. Maria *Borromeo* Episcopus Justinopolitanus, & alii. Opera vero ejus edidit, notisque eruditissimis illustravit *Joseph Blanchinius* Congreg. Orator. S. Philippi Neri, nunc vero avidissimè expectatur ejusdem Cardinalis Vita scripta à Patre Vezzosi ejusdem Ordinis Theatinorum, qui etiam integre Cardinalis Thomasii opera in unum Corpus collecta evulgat.



X L I.

JOANNES BAPTISTA PTOLOMÆUS Pistoriensis, in agro tamen Florentino natus est, & in Fundo paterno juxta pagum *Gamberaja* nuncupatum. Ibi natalem adspexit lucem die 3. Decembris anni 1653. Pater illi fuit *Jacobus*, qui *Victoriæ Roboreæ* Magnæ Ducissæ Etruriæ Assessor, seu ut dicunt, Auditor fuerat. Mater vero *Maria Pulicciana* nobilis Florentiæ Fæmina. Vetustissima Ptolomæorum Familia ex Civitate Senensi trahens originem, Florentiæ etiam diffusa, Pistorii quo- A que consedit (*a*). Illustribus ubique viris bello, togaque claruit, præsertim vero ita Christiana pietate floruit, ut ex ea Duodeviginti prodierint annalibus Beatorum adscripti (*b*).

Ex hac igitur Ptolomæorum Gente, quæ Pistorii consederat, natus est Joannes Baptista, qui ubi per ætatem licuit, Avitæ nobilitatis semina, quæ à majoribus acceperat, luculenter prætulit. B Pueritia etiam Florentiæ exacta in privata Paternæ Domus *Bibliotheca*, procul ab illius ætatis solatiis, otium ducebat suum

In

(*a*) Hieronymus Gigli in Diario Senensi Paulus Carpentierius in Vita Bernardi Ptolomæi.
(*b*) Diarium Literatorum Italiæ Tom. 38. pag. 2. & seq. Edit. Venet. 1727.

In eadem Florentiæ Civitate sub Disciplina Patrum Societatis Jesu prima hausit rudimenta literarum. Vix undecim annos natus Rethoricam lustravit, & auditor fuit celebris Patris *Vincentii Glaria* Tiburtini ejusdem Societatis Jesu. Spectatissimos autem habuit condiscipulos, æmulosque virtutis, quos inter *Antonium Mariam Salvinum*, *Benedictum Averanium*, *Vincentium* postea *Senatorem* à *Filicaja*, *Ansaldum Ansaldium* mox XII. Virum Rotæ Romanæ, *Thomam de Gherardesca*, qui fuit Archiepiscopus Florentinus, aliosque de Literaria Republica optimè meritos. (*a*) Decimumquintum annum attigerat, quum Pisas traductus fuit, ut in celebri illa universitate Legali facultati navaret operam. Tunc mos illi incœpit insomnes quandoque noctes traducere, quam postea vitæ rationem in reliquo servavit ætatis spatio. Æternis tunc intentus cogitationibus, magnam noctis partem pias inter preces insumebat, reliquam vero studio, & assiduæ Librorum lectioni consecrabat.

Erat ipse inter ejus Fratres natu major. Et tamen vehemens illi cupido incesserat Monasticam vitam capessendi. Sæpè Patrem rogaverat, ut piis ejus votis annueret. Pater vero ut filium dehortaretur, atque à proposito dimoveret, eum Romam misit, atque eum addixit Collegio Clementino sub cura Patrum Congregationis de Somasca. Præceptorem habuit *Patrem Julium Corradum*, sub quo eos progressus fecit, ut Philosophicis thesibus, quas publicè exhibuit Cardinalibus *Francisco Barberino* Protectori, & *Felici Rospigliosio* Civi suo, pluribusque adstantibus Præsulibus, maximam de se expectationem injecerit. Rursus paterno imperio Senas revocatur, ut impensius Legali studio animum adjungeret, & ut longius à præconcepta Monasticæ vitæ voluntate abstraheretur.

Paruit quidem; sed ea cuncta contemnens, quæ polliceri sibi ambitio poterat, vix mortuo Patre, quod sibi jamdiu deliberatum fuerat, extemplo exequutus est. Senis itaque Romam profugiens, ut inter Patres Societatis Jesu reciperetur, enixis precibus impetravit. Legalibus tunc vacuus impedimentis, mirum est quot facultates lustraverit, quotque bonarum artium fontes pervaserit. Latinas, Græcasque literas non modo calluit, sed Hæbraicas, & Caldaicas. Has primum Ragusii docuit, deindè Romæ egregius utrobique Rhetorices Professor. Nitidam Ragusii Orationem habuit in funere *Nicolai Bona*, Anconæ Typis datam anno 1679., & alteram in funere *Marini Bona*, uterque de Veneta Republica maxime meritus, quam postremam non evulgavit. Nec multo post alteram Romæ edidit Orationem in die anniversario *Gregorii XIII.* Collegii Romani Fundatoris. Ragusii etiam Illyricam linguam didicerat; Præterea Gallicam noscebat, Anglicam, & Hispanam. Poeta quoque eximius Latinos versus fundebat ex tempore, eosque adeo elegantes, ut ii veterum Poetarum salibus conspersi viderentur.

Romæ Rhetorices, & Theologiæ Professor fuit. Theologiæ inquam intentissimum animum adjunxerat. Et ut eam uberiorem, atque elegantiorem redderet, & à Dialecticorum dumetis sejungeret, assidue Sanctæ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum volumina versabat. Sacras etiam Veteris Testamenti literas frequentissimis Auditoribus interpretatus est. Mox propter egregiam prudentiæ famam, quum annum ageret trigesimum quintum ad munus Procuratoris Generalis universæ societatis traductus est. Anno 1692., qui erat ætatis suæ trigesimus nonus, solitis quatuor illius ordinis votis se solemniter obstrinxit.

Tot probe exactis muneribus, utcumque diversis, atque inter se discretis; reliquum erat, ut tradendæ etiam Philosophiæ præficeretur. Hanc publice docuit in eodem Collegio Romano; tantaque erat in eo ad res investigandas sagacitas, & ad excogitandum ingenii feracitas, ut ad ejus excipiendas lectiones multitudo Auditorum fere incredibilis conflueret. Hanc amicorum impulsu publici Juris fecit Romæ anno 1696. sub titulo = Philosophia mentis, & sensuum secundum utramque Aristotelis methodum = Hanc pluries recusam cupidè exceperunt exteræ gentes, præsertim vero Germani, quos inter celeberrimum *Leibnizium* invenit istius Philosophici cursus laudatorem (*b*). Et acta eruditorum Lipsiæ Philosophicum Ptolœmei opus eximiis laudibus commemorant (*c*).

Ex hisce naturæ penetralibus, ad Polemicam Theologiam gradum fecit. Controversas Fidei quæstiones, quas jamdudum celebris Cardinalis *Bellarminus* publicè enucleandas susceperat, quasque ex eo fermè tempore intermissas Ptolœmeus lugebat, ipse iterum tradere instituit. Quid ab hæterodoxis nostra hac ætate, aut pravè excogitatum, aut falso dictum est diligentissimè conquisivit, & refutavit. Lectioni idcircò sacrarum Literarum, Sanctorum Patrum, & Conciliorum iterum, impensiusque incubuit; solidos sæpè dies in literis collocabat; ad longam sæpè noctem pias, doctasque meditationes protrahebat. Decem per annos Polemicas hasce quæstiones elucubravit, & publicè recitavit. Has easdem (ex quibus eximium opus, atque utilissimum haberi potuisset) moriens comburi mandavit. Adeo in tanta sciendi copia humiliter de se ipso sentiebat. *Vindicias* quoque, & *addictiones ad Bellarmini* controversias absolverat; quas etiam desideramus, nisi forte aliquis illius Instituti socius eas servet.

Kir-

(*a*) Diarium Literatorum Italiæ ubi supra - Jo. Lamius in Vit. Ant. Mariæ Salvinii - Et ego harum rerum Scriptor in vita ejusdem Ant. Mariæ Salvinii.
(*b*) Leibnizius in sua Epistola relata in Diario Literatorum Italiæ Tom. 38. pag. 35.
(*c*) Acta erud. Lipsiæ Mensis Augusti Anni 1693. pag. 367.

Kirkerianum Musæum, seu potius istius Musæi Fragmenta cupidè collegit, novisque ubique comparatis antiquitatis monumentis, ampliavit. Studio deindè *Patris Bonanni*, aliorumque in illo ordine eruditorum hominum, ad tantam excrevit veterum monumentorum seriem, ut indigenis, exterisque mirandum nunc evaserit cimeliarchium. Bibliothecam auxit, eamque colere, & ampliare perrexit in dignitate Cardinalitia constitutus. Eam præterea Indice copiosissimo locupletavit, in quo nedum Librorum titulos, sed materias præcipuas in singulis quibuscumque libris digestas facile inveniendas exhibuit. Hunc etiam fructum ex assidua talium librorum lectione retraxerat.

Tanta hæc agebat quo tempore unanimi suorum suffragio Præses Collegio Romano electus fuerat. Quem Magistratum non imperio regebat, sed comitate, mansuetudine, & exemplo. Multorum vices unus sustinebat, & licet tot diffitis curis distraheretur, singulorum tamen studiis, & moribus solus prospiciebat. Sacris præsertim officiis intentus sæpè & ad longum tempus, vigiliis, piisque precibus vacabat. Ab excipiendis confessionibus numquam destitit. Summo mane evigilabat; Qua hora cæteri è somno expergebantur, ipse jam diutinæ meditationi vacaverat, & sacrum Altaris Sacrificium absolverat, ut integrum negotiis, & studiis diem impenderet. In Comitiis totius Ordinis generalibus, ne Summus Præses universæ daretur Societati, impetratis à Pontifice literis cavit, ne cogi posset.

Anno 1709. Pontificis imperio in consilium sacrorum cœtuum cooptatus fuit. Consultor nempè Sacrorum Rituum, Indicis, Indulgentiarum, & Examinis Episcoporum renunciatus est; Præficitur inde alteri Collegio *Germanico*, *& Hungarico*. Sed *Clemens XI.*, cui tanti viri pietas, & doctrina, & suscepti pro Ecclesia labores explorati erant; hoc die 18. Maii anni 1712. eum in Sacrum Purpuratorum Patrum cœtum adscivit sub Titulo *S. Stephani in Monte Cœlio*. Adstabat ipse in eodem Collegio cuidam Theologicæ Disputationi, quo tempore electionis certior factus est.

Primo intermitti disputationem vetuit. Mox urgente salutantium, & undique confluentium turba, mœstus aufugit, atque in cubiculum ita se abdidit, ut nemini eo die sui adeundi potestatem fecerit. Lacrymans, totamque noctem vigilans, gravissimam ad Pontificem scripsit Epistolam, & petitis ex Theologia rationibus totis viribus postulavit, ut conlatum honorem a se amoliretur. Clemens vero ne vir modestissimus diutius recusaret, imperii religione deterruit. Postridie visitatus à Cardinali Fabronio Cive suo, Pontificio obedientiæ præcepto adactus fuit. Sic recusandi sublata spe, ita dignitatem sustinendam censuit, ut nihil de pristino vivendi genere remitteret. Congregationibus datus fuit S. Officii, Concilii Tridentini, Indulgentiarum, Sacrorum Rituum, Reliquiarum, Examinis Episcoporum, Indicis, & Visitationis Apostolicæ. Sæpè præterea a *Clemente XI.* de gravissimis Ecclesiæ controversiis consultus fuit, & ad profligandos errores præsertim in causa Quesnelliana gliscentes non semel adhibitus.

In Collegium Romanum secessit; duobus Cubiculis contentus, lectulo tantum, & Librorum Pluteis ornatis. Familiarium commodo, & ut publica expleret munia, Palatium ibi contiguum conduxerat, quo necessitate impellente externo Ponte ferebatur. Vestitus plerumque, ut jampridem consueverat, somnum cœpit. Redditus illi ad sustinendam dignitatem mediocris fuit, numquam tamen majorem concupivit, imo oblatum recusavit. Et tamen tanta erat in se ipsum parsimonia, ut maximam in pauperes misericordiam exhibuerit. Victu tam frugali, tamque arido usus est, ut cæteris admirationi esset, quomodo actuosam illam vitam agere posset; si quis lectior mensæ cibus apponebatur, hunc pauperibus reservabat. Privatim quidem ille vescebatur, sed in pervigilio S. Aloysii, & S. Ignatii, quos mirificè colebat, publicè capiebat cibum, sed flexis genibus, spectandus in hoc humili situ sodalibus suis. Incorrupti mores, singularis abstinentia, vigiliæ, & maxima in seipsum severitas voluptatis loco illi fuerunt.

Quatuordecim ferè per annos nunquam domo prodiit solatii, aut remissionis animi gratia. Adstitit tamen, assiduusque fuit sacris illis cœtibus, quibus fuerat adscriptus. Plura alia munera strenue obivit. Præfectus fuit Congregationi Linguarum Orientalium, plurium Protector Locorum Piorum, præsertim vero totius Ordinis Patrum Trinitariorum.

Bis Comitiis interfuit Vaticanis, in quibus *Innocentius XIII.*, & deindè *Benedictus XIII.* ad Summum Apostolatum assumpti fuerunt. Anno demum 1725., solemniori hominum expiationi destinato, gravissimo conflictari morbo cœpit, quo pariter laboravit usque ad initium sequentis anni 1726. Die igitur 15. Januarii de desperata ejus valetudine certior factus a Patre *Gallutio* ejus conscientiæ moderatore, & Sacramenti pœnitentiæ administro, non expavit ad nuncium mortis. Cupido, atque animo quasi gestiente, sacris ritè munitus fuit. Advenientem ad se *Benedictum XIII.* demisse rogavit, ne morti proximum, atque in cubiculi angustiis agentem Pontificia Majestate perturbaret. Sic ille die 19. ejusdem mensis Januarii sanctissime mortem oppetiit annum agens 73. Ejus cadaver solemni pompa elatum fuit in Ecclesia Sancti Ignatii, adstante Sacro Collegio, & ipso Summo Pontifice *Benedicto XIII.* Ibi honorificè conditum fuit cum hac Epigraphe.

D. O. M.
IOANNEM BAPTISTAM
TITVLI S. STEPHANI IN MONTE CÆLIO
PRESBYTERVM CARDINALEM PTOLOMÆVM
SOCIETATIS IESV
ERVDITIONE PIETATE PRVDENTIA
EXIMIVM COLLEGIVM ROM. HÆRES
SVVM OLIM ALVMNVM
MOX DOCTOREM PRÆSIDEM
DECVS ET QVOAD VIXIT CONVICTOREM
EODEM HIC

A


CVM SOCIIS TVMVLO VOLENTEM
COMPOSVIT ANNO DOMINI MDCCXXVI.
OBIIT XIX IANVARII
ÆTATIS SVÆ LXXII.

Laudes ejus recitavit nitidiſſima funebri Oratione in Aula maxima Collegii Romani, Pater *Contuccius Contucci* in eodem Collegio Rhetorices Profeſſor (*a*).



FRA-

(*a*) De Vita Card. Ptolomæi videndi ſunt ſuperius citati - Diarium Literatorum Italiæ - Contuccius Contucci in ejus Oration. funebr.



XLII.

FRATER FRANCISCUS MARIA CASINUS Aretinus nobilibus ortus Parentibus, nempè *Carolo Casini*, & *Olimpia Albergotti*. Ab his optimis Genitoribus piè, & liberaliter institutus studiis ab infantia impensè incubuit, & Christianis virtutibus emicuit. Quindecim annos natus Habitum assumpsit Sancti Francisci Ordinis Cappuccinorum, nempè die nono Decembris anni 1663. In hac humili Familia humilitate certavit, cæterisque animi dotibus pluribus anteivit. Studia insuper, quorum in sæculo tam firma jecerat fundamenta, majori alacritate percoluit. Philosophiæ, & Theologiæ lector fuit, & clariora illius instituti officia laudabiliter obivit. Pluribus Cœnobiis datus fuit Præses, atque Ordini universo præfuit munere nedum ornatus Definitoris Generalis, sed & Procuratoris Generalis, & postremo etiam Commissarii Generalis.

Præcipua verò ejus cura in Evangelico Verbi Dei Ministerio versabatur. Huic dicendi generi totum adjecerat animum. Nitidas, piasque habuit Orationes, & clariores Italiæ Civitates peragravit, ubique de Rebus Divinis Orator laudatissimus. Romæ etiam sacros, nec semel sermones habuit frequentissimis Auditoribus. Anno 1677. Venetiis Typis edidit hos Sermones Panegyricos, atque an-

no

no 1681. alium Italico idiomate edidit Librum, cui Titulus = Consilia Sapientiæ =.

A

Innocentius XII. laudibus permotus egregii viri, eum Concionatorem dixit Palatii Apostolici, quo in munere Evangelicâ libertate plures per annos gliscentia insequutus est vitia, Purpuratisque Patribus, atque Aulæ Romanæ universæ Canonicam edixit vivendi normam. Illum *Clemens XI.* in hac solemni Promotione diei 18. Maii anni 1712. inter Cardinales recensuit sub Titulo *S. Priscæ*, ex quo Cardinalis *S. Priscæ* cognomento vocatus est. Eum præterea Congregationibus adjecit S. Officii, Episcoporum, & Regularium, item Examinis Episcoporum, Sacrorum Rituum, Visitationis Apostolicæ, Propagandæ Fidei, Indicis Librorum prohibitorum, Reliquiarum, & Indulgentiarum. Præterea Protector fuit totius Ordinis Trinitarii Redemptionis Captivorum, & plurium Cœnobiorum Sanctimonialium.

B


Anno 1713. sacras ejus conciones in tria Volumina digestas Romæ evulgavit. Multiplicibus Congregationibus, quas supra memoravimus, frequens erat. Ecclesiæ suæ Titulari egregia contulit beneficia. Illius ampliationi, & ornatui insistens mille scuta annuatim impendebat ex suis Ecclesiasticis redditibus residua. Hispidam sui Ordinis vestem nunquam deposuit, eamque in Statu etiam Cardinalitio super nudam carnem gestavit. Cibo usus est vulgari, ejusque Confratribus usitato. Palatium conduxerat decens quidem, sed in parvis ipse degens mansionibus, splendidam abhorruit supellectilem, & cuncta ornamenta neglexit.

C

Sic piam ipse traduxit vitam usque ad annum 1719., quo acerbissimis vexatus renium doloribus, atque urinæ difficultate, piè etiam vivere desiit die 14. Februarii illius anni ætatis suæ 70. mens. 3. dierum 3. Ejus corpus in Ecclesiam sui Ordinis honorificè translatum, ibidem etiam humatum fuit, cujus sepulcro hæc insculpta fuit Inscriptio.

F. F. M.
CARDINALIS S. PRISCÆ CAPPUCCINUS
ORATE PRO EO.





XLIII.

CURTIUS ORIGUS ROMANUS nobilibus Parentibus, nempè Marchione *Gaspare*, & *Maria Laura de Palumbaria* insigni Matrona die natus est 9. Martii anni 1661. Vividi adolescens ingenii, sedulâ diligentia Literarum rudimenta posuit. Eodem prorsus studio altiores disciplinas sub optimis institutoribus inquisivit. In Romana Universitate Doctoratus nomen, & Insignia promeruit. Hinc idoneus effectus ad Magistratus obeundos, anno 1686., sedente in Apostolico Solio *Innocentio XI.*, in Albo Præsulum Romanorum relatus est.

In Congregatione Boni Regiminis citò adA lectus fuit inter Judices œconomico gubernio Ditionis Ecclesiasticæ præpositos. Anno indè 1690. Assessor vulgo Auditor Signaturæ Justitiæ renunciatus est; Et demum anno 1696. Auditoris Cameræ Locumtenens Generalis est designatus. In his difficillimis muneribus omnes Fori controversias, omnes Jurisprudentiæ latebras lustravit: maxima illi laudis accessio fuit.

A *Clemente XI.* vix ad Apostolatum assumpto, ad majora evocatus, statim supplicum B Libellorum à Secretis dicitur. In Congregatione etiam Avenionensi, & Lauretana, nec non in altera constituta ad levamen Urbis, ut

suf-


ſuffragium ferret, adeſſe eum voluit. Eum demum præpoſuit Conſultationibus Rerum Status Eccleſiaſtici, quod munus ſub nomine *Secretarii Sacræ Conſultæ*, maximum in Urbe eſt. Prothonotarium etiam Apoſtolicum renunciavit.

Multiplices hi labores, quos plures per annos eximia integritate ſuſtinuit, Pontificem tandem impulerunt, ut ſupremo Cardinalatus honore condecoraret. Hoc ritè præſtitit in hac ſolemni enunciatione diei 18. Maii anni 1712., eum tamen in pectore, ut ajunt, retinuit, evulgavitque in Conſiſtorio diei 26. Septembris ejuſdem anni. Tunc Diaconiam obtinuit *S. Mariæ in Domnica*; Et Congregationibus adjectus fuit Concilii Tridentini, Sacræ Inquiſitionis Eccleſiaſticæ, Rituum, Sacræ Conſultæ, Boni Regiminis, Fabricæ Vaticanæ, oneris Miſſarum, Avenionis, & Laureti, Examinis Epiſcoporum, Viſitationis Apoſtolicæ, & Reſidentiæ Epiſcoporum.

Tanta vix auctus dignitate, ſtatim Bononiam mittitur Apoſtolicus de Latere Legatus. Strenuè Legatione peracta, Romam redux, Congregationi præponitur Sacri Concilii Tridentini, illique Congregationi Præfectus dicitur, ut juſtitiam, quam ſemper coluerat, in præcipuis etiam Religionis controverſiis miniſtraret.

Diaconiam, quam ab initio nactus fuerat, in alteram immutavit *S. Euſtachii*. Comitia Vaticana celebravit pro electione Summorum Pontificum *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.*, *& Clementis XII.* Ætate demum, meritiſque gravis naturæ conceſſit die 18. Martii anni 1737. Honorifice humatus fuit in ſua Eccleſia *S. Euſtachii* in Sacello S. Hieronymi cum hac Epigraphe, quam vivens ſibi ipſe poſuerat.

D. O. M.
CVRTIVS S. R. E. TIT. S. EVSTACHII
PRESBYTER CARD. ORIGVS
SAC. CONG. CONCILII PRÆFECTVS
MORTIS MEMOR VIVENS
SIBI POSVIT.



Melchior de Polignac Gallus Sacræ Rotæ Auditor S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus á SS.mo D.N. CLEMENTE PAPA XI. in Consistorio Secreto habito post Semipublicum in Aula Ducali Palatij Vaticani die 18. Maij 1712, et in simili Consistorio Secreto in eodem Palatio Vaticano die 30 Ianuarij 1713. Publicatus

Obijt die 20 Novembris 1741

Roccus Pozzi delin. et Sculp.

Laurent. ... de Fabeis Calcographi Vatic. Filius q. Dominici Hæredis Io. Iacob. form. R.e ad T. S. M. de Pace cum priv. S. P.

XLIV.

MELCHIOR DE POLIGNAC GALLUS ex vetustissima in Arvernis Familia die natus est 11. Octobris anni 1661. Patrem habuit *Ludovicum Armandum* Vicecomitem de Polignac in Occitania, Marchionem de Chalançon, aliisque à Rege Galliarum auctum titulis, & dignitatibus; Matrem vero *Jaquelinum de Beauvoir Grimoard*, quæ lectissima Matrona tertia eidem Ludovico Armando Uxor fuerat.

In Podii Civite, [a] cui Pater ejus pro *Ludovico XIV.* præerat Gubernator, natalia sortitus est. Atque ut puer officiis Christiano homini impendentibus, studiisque literarum imbueretur, Parisios traducitur. In Collegio de *Clermont* nuncupato, (quod etiam Ludovici Magni dicitur) impensam lectissimus adolescens eloquentiæ, & Philosophiæ navavit operam. Grandior indè factus in aliis eruditorum hominum cœtibus, præsertim vero in Domo Sorbonica eidem Philosophiæ, ac Theologiæ impensius incubuit. In binis hisce altissimis facultatibus adeo profecit, Thesesque suas exposuit, propugnavitque adeo scitè, atque eleganter, ut exindè ingenio, & doctrina ornatissimus homo haberi cœperit.

Ejus sapientiæ fama consensu Doctorum hominum

[a] Podium Civitas est celebris ejusdem Occitaniæ Provinciæ quam Galli vocant *Puy, au Velay*.

minum excitata, in Aula quoque Regis vulgata est. Ut erat natalium splendore clarus, ore, moribusque elegans & gravis, eloquio comis, & facundus; amplissima hinc fortuna dignus putabatur. Cardinalis *Emmanuel Bullionæus* Vaticana celebraturus Comitia, quæ post mortem *Innocentii XI.* Romæ habebantur, eum anno 1689. itineris socium habuit, atque in Conclave perduxit.

Parisios reversus, pingui ditatus à Rege fuit Sacerdotio *Boni Portus* nuncupato; Inde anno 1693. ad Sarmatas allegatur Regius Administer. Diu perstitit eo in Regno, quo tempore *Joannes III. Subjeskius* Polonico Imperio potiebatur. Eo vero è vivis erepto anno 1696., maximum, quod sibi demandatum fuerat negocium, curare incœpit. Pro evehendo ad Sarmatici Regni fastigium Principe *Francisco Ludovico de Conty* omnem operam, atque industriam suam contulit. Pro viribus illi opitulabatur Cardinalis *Radzieovvski* Archiepiscopus Gnesnæ, & Regni Primas, infelici tamen exitu. Etenim inter potentissimos contradictores, & candidatos, Rex est inauguratus *Fridericus Augustus* Saxonum Dux Regio clarus sanguine, & virtute militari, clarior adhuc ob ejuratos Lutheri errores, fidemque Catholicam sponte susceptam.

Ubi vero transactum negocium Galliarum Regi nuntiatum est, is rem male à *Melchiorre* gestam fuisse ratus; eum anno 1698. in Gallias revocatum, ad suam *Boni Portus* Abbatiam abire jussit. Ille patienter tulit hanc fortunæ vicem; atque in hoc recessu, & solitudine, literarium otium quæsivit. Tunc componere incœpit celebre illud Poema, quod sub *Anti-Lucretii* Titulo tantam illi peperit nominis immortalitatem. Brevi tamen patefactâ ejus innocentiâ, incœptum opus abrupit, & redux in Aulam Magni Regis, maximis, ut antea, negociis vacavit.

Anno 1706. nominatur a Rege XII. Vir Rotæ Romanæ. Postquam triennio in hoc amplissimo Tribunali laudabiliter versatus fuerat, anno 1709. secunda ornatur Legatione, & in Hollandiam allegatur ad Conventum pro sancienda pace habendum in Civitate *Montis Sanctæ Gertrudis*, quæ *de Gertruydemberg* nuncupatur. Rursus, eademque de caussa anno 1713. Trajectum ad Rhenum mittitur Administer cum maxima potestatis plenitudine. Ibi certior evasit se inter Purpuratos Patres ad Regis nominationem fuisse cooptatum. Creatus enim fuerat a *Clemente XI.* die 18. Maii 1711. Plures tamen per menses celatus in pectore, exinde die 30. Januarii anni 1713. evulgatus fuerat. Magister etiam Regiæ Cappellæ dictus fuit; Abbas insuper, & Comes Corberiæ [a], Aquiscinti [b], Mausonii [c] & Begarii [d] renunciatus est.

Postquam vero naturæ concesserat Ludovicus Magnus, & Regni Rector evaserat *Philippus* Aurelianensium Dux, illi Melchior suspectus esse cœpit. Specie rursus exilii in sua *Aquiscinti* Abbatia anno 1719. subsistere jussus est. Solita ille usus patientia, in hac nova solitudine musas percoluit, eximiumque opus absolvit *Anti-Lucretium* nuncupatum. In eo arcana pervadens Philosophiæ Atticas venustates, & gratias in Latium derivat, & impiam Epicuri sententiam refellit.

Anno tandem 1722. in gratiam Regis reductus Parisios remeavit. Rursus illi arcana Regni credita sunt; anno 1724. Romam advenit, ut Vaticanis adesset Comitiis, quæ post mortem *Innocentii XIII.* pro novo eligendo Pontifice habebantur. Electo *Benedicto XIII.* Titulum obtinuit *S. Mariæ in Via*, quem postea immutavit in alterum *S. Mariæ Angelorum*. Congregationibus etiam adscribi meruit Concilii Tridentini, Rituum, Immunitatis, & Rerum Consistorialium. Protector etiam dictus est totius Ordinis Trinitarii.

Regiis inde apud S. Sedem Præfectus negotiis, res Gallicæ nationis prudentia curavit, & dexteritate singulari. Anno 1726. Archiepiscopus Auscitanus [a] est renunciatus.

Comitiis iterum quum adfuerit, quæ pro electione *Clementis XII.* anno 1730. acta sunt, mox anno 1732. in Galliam revocatur; iterumque, ac tertio ab excitata fortuna ad inclinatam, ac pænè jacentem desciscere visus est. Anno 1733. Commendatarius effectus est Regii Ordinis S. Spiritus. In illis Literatorum hominum cœtibus, in quos antea receptus fuerat, assiduè præstitit ingenii fama, & omnigenæ eruditionis commendatione, adeout illi anteferretur nemo, pauci pares putarentur.

Venerandæ antiquitatis sedulo investigator, & cultor, eximia Romæ monumenta ex ære, & marmore affabre excusa collegerat. Atque ex iis in Galliam advectis suum Parisiis Palatium decoraverat. Et signa, Numismata, Anaglypha, aliaque id generis admiranda, quæ vel ab Ægyptiis, vel a Græcis, vel a Romanis artificibus prodierant, Gallis conspicienda exhibuerat.

Auscitanam Ecclesiam suam ne quidem semel invisit, aliis semper gravissimis curis distractus. Quod morti proximus maximè doluit. Obiit Parisiis octogenarius die 20. Novembris anni 1741. in Hydropem lapsus, & Tympanitide oppressus. Humatusque fuit in Ecclesia S. Sulpicii.

a Corbier.
b Anchin.
c Mouzon.
d Begard.

a Auch


Octava Cardinalium Promotio


CLEMENS XI.

In qua die 30. Januarii Anni 1713.

Tres evulgavit Cardinales, quos creaverat die 18. *Maii* 1712. *Isti vero fuerunt.*

Emmanuel de Arias Archiepiscopus Hispalen. Hispanus.
Benedictus Sala Episcopus Barchinon.. Hispanus.
Melchior de Polignach. Gallus. Unum demum ex integro creavit, qui fuit.
Benedictus Odescalchus Mediolanensis.
Alterum rursus in pectore servavit, quem evulgavit die 29. *Maii Anni* 1715. *Is vero fuit*
Damianus Hugode Schoemborn. Germanus.





X L V.

BENEDICTUS ODESCALCHIUS Mediolanenſis ex præclara Familia *Erba* in alteram adſcitus eſt æquè eximiam *Odeſcalchi* ex teſtamento *Livii Odeſcalchi* Ducis Bracciani, & Sirmii, qui prole maſcula deſtitutus, filios ejus Sororis nuptæ Marchioni *Benedicto Erba*, hæredes ſcripſerat. *Benedictus* ergo *Odeſcalchius* filius fuit Marchionis *Antonii Erba Odeſcalchi*, & *Thereſiæ Turconiæ*; & ex Fæmina Abnepos fuit *Innocentii XI.* Summi Pontificis. Ex his præſtantibus genitoribus natalia ſortitus eſt die 9. Auguſti anni 1679. Prima pietatis, & Literarum fundamenta jecit in Patria. Inde

A ut illis intentius incumberet, undecim annos natus Romam venit, & die 2. Decembris anni 1690. à Patribus Societatis Jeſu exceptus eſt in Seminario Romano; Ibi cultiores hauſit diſciplinas, donec pubertate exacta è Seminario egreſſus, ſedulam Juriſprudentiæ navavit operam.

Ineunte *Clementis XI.* Pontificatu inter Præſules Romanæ Curiæ cooptatur; Et parvo interjecto tempore Pro-Legatus Bononiæ dicitur. Ibi nedum Juſtitiæ vindex, quam litera-
B rum, hominumque Literatorum fautor fuit perpetuus. Præ cæteris amicum, & Familia-

rem habuit *Fr. Vincentium Gotti* ex Ordine Prædicatorum, postea à *Benedicto XIII.* inter Cardinales relatum.

Ab eodem *Clemente XI.* ad Sarmatas missus est Nuncius Apostolicus. Strenuè Magistratu functus est Benedictus, donec anno 1712. mortuo Cardinali *Josepho Archinto*, illi in amplissimo Mediolanensi Archiepiscopatu suffectus est. Sequenti demum anno 1713. die 30. Januarii Sacra Purpura ornatus est, & inter Cardinales adscriptus sub titulo Presbyterali *SS. duodecim Apostolorum*. Sacras præterea Congregationes nactus est Episcoporum, & Regularium, Boni Regiminis, Propagandæ Fidei, & Rerum Consistorialium. Plura in

A Civitate Mediolani reliquit suæ pietatis, & liberalitatis monumenta. Ecclesiam *S. Mariæ Fulcorinæ* nuncupatam magnificè à fundamentis erexit. Plures alias vel redditibus auxit, vel supellectilibus ornavit; in pauperes vero effusissimus fuit.

Comitiis adfuit Vaticanis habitis pro electione *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.*, & *Clementis XII.* Naturæ tandem concessit die 13. Decembris anni 1740. in eadem Civitate Mediolani, & flebilis Civibus suis sepultus est in

B Ecclesia S. Joannis Patrum Carmelitarum Congregationis Mantuanæ. Laudes ejus recensuit in funere *P. Antonius Gessaga* ex Oblatorum cætu, eleganti, quam habuit, Oratione.





Damianus Hugo ex Comitibus de Schônborn Buchaim, Præceptor, seu Commendatarius Ordinis Beatæ Mariæ Teutonicorum, Germanus S.R.E. Presbyter Cardinalis, Creatus à SS.^mo D.N. CLEMENTE PAPA XI in Consistorio Secreto die 30 Ianuarij 1713, et in simili Consistorio publicatus die 29 Maij 1715.
Obijt die 19 Augusti 1743
Hieronymus Rossi incidit
Dominicus de Rubeis Hæres Io. Iacobi formis Romæ ad Templum S. M. de Pace cum Priuil. S. Pont.

XLVI.

A DAMIANUS HUGO DE SCHOENBORN BUCHAIM Germanus Moguntiæ natus eſt 19. Septembris anni 1676. ex præclariſſimis Genitoribus, nempè ex Comite *Melchiore Franciſco* intimo Cæſaris Conſiliario, & primo Adminiſtro Electoris Moguntini, & *Sophia de Boyneburg* præſtantiſſima Matrona. Fratrem habuit *Fridericum Carolum* Herbipolis, & Bambergæ Epiſcopum. In ipſa Civitate Herbipolis prima didicit Literarum rudimenta, deindè Aſcanſſenburgi cultiores diſciplinas excoluit. Demum, ut Arcana Philoſophiæ in- B veſtigaret, Romam venit anno 1693. die 31. Octobris: In Seminario Romano exceptus fuit à Patribus Societatis Jeſu, annum ipſe agens decimum ſeptimum. Biennio eidem Philoſophiæ incubuit, ſuaſque Theſes maxima ingenii vivacitate publicè expoſuit, & propugnavit.

Biennio tamen vix exacto, in Patriam revocatur ab Emo Electore Moguntino ejus Patruo. Diſceſſit die 26. Septembris anni 1695., nec multo poſt eodem Patruo promovente Cæſaris Conſiliarius renunciatus eſt. Indè ab eodem Cæſare Plenipotentiarius allegatus eſt ad Comitia in Circulo Saxoniæ inferioris habenda. Demum primus Conſiliarius, & Status Adminiſter dictus eſt Electoris Moguntini, & ma-

gni Magistri Ordinis Theutonici; & ejus Ordinis Theutonici Commendator, sive Summus Præfectus Præceptoriæ Marpurgensis in Hassia, & veteris Junci in Tractu Leodiensi. Præpositus etiam Ecclesiæ Vveissemburgensis, & Odenheim.

Anno 1713. die 30. Januarii ad preces ejusdem *Caroli Cæsaris* inter Cardinales relatus est; sed ejus electio non evulgata fuit ante diem 29. Maii anni 1715. Pileolum, aliaque Cardinalatus insignia illi detulit *Petrus Paulus Marcolinus* Papæ à Cubiculis honoris, & doctrina, atque optimarum artium studiis ornatus Præsul.

Sequenti anno 1716. Ecclesiæ Spirensis Coadjutor eligitur, ejusque insignis Episcopatus

A

exeunte anno 1719. per mortem antecessoris possessionem adivit. Ecclesiæ etiam Constantiensis Coadjutor primum indè Episcopus fuit vigilantissimus. Post obitum *Clementis XI.* Vaticanis interfuit Comitiis pro electione *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.*, *&* *Clementis XII.* Titulum nactus fuit *S. Mariæ de Pace*, quem postea immutavit in alterum *S. Pancratii*. Congregationibus etiam adjectus fuit Sacri Concilii Tridentini, Propagandæ Fidei, Rituum, Signaturæ Gratiæ, & Rerum Consistorialium.

B

Ecclesiis, quibus præfuit, eximia reliquit pietatis, & liberalitatis monumenta. Meritis demum onustus Spiræ occubuit die 19. Augusti anni 1743. (*a*).

Nona Cardinalium Promotio habita

Die 6. Maii anni 1715.


In qua unicum Creavit Cardinalem Fabium Oliverium Pisaurensem.



P. Leo Ghezzius Fecit

PA-

(*a*) Gallia Christian. Tom. 5. pag. 738. Histor. Principum Orbis Tom. 2. pag. 472. Gallice inscribitur - Histoir de Sovverains du Monde.



XLVII.

Fabius Oliverius Pisaurensis die natus est 29. Aprilis anni 1658. ex nobilibus, optimisque Parentibus, nempè ex *Joanne Andrea*, & *Julia Albani* Amita *Clementis XI.* Sobrinus idcirco eidem Summo Pontifici fuit. Illi verò, licet ætate minor, morum integritate, & vitæ gravitate adeò similis, ut familiarem cum eo consuetudinem à pueritia instituerit. Præterea domi una enutriti, ac ferè semper contubernales fuerunt.

A

Fabius, ut rudimenta perdisceret Literarum, imberbis adhuc Romam venit, & sub disciplina Patrum Societatis Jesu in Seminario Romano Rhetoricam, Philosophiam, & Theologiam lustravit. Maximis hisce facultatibus eruditus, & è Seminario egressus, ad convivendum se contulit cum eodem *Clemente XI.*, eo tempore inter Præsules Romanæ Curiæ diligentia, & studio præstante. Eo familiariter usus est, nedum uti affine, sed etiam uti amico, & Magistro. Post mortem Cardinalis *Slusii* anno 1687., quum Joannes Franciscus *Albanus* Apostolicis Diplomatibus, quæ Brevia vocant, præfectus fuisset, illi *Fabius* Comes penè fuit, & studiorum adjutor.

B

Albanus erat eo tempore Basilicæ Vaticanæ Vicarius, & Judex. Itaque eo adnitente in eadem Basilica *Oliverius* Sacerdotium obtinuit,

quod nostri *Beneficiatum* vocant. Ex eo honestam ducebat vitam, & Ecclesiæ suæ sine intermissione inserviebat. Evecto, ut notum est, ad Apostolatus apicem eodem *Joanne Francisco Albano* Amitino suo, quamvis *Oliverius* iisdem Apostolicis Diplomatibus præfectus fuerit; plures tamen per annos, non sine humilitatis exemplo, memoratum Sacerdotium retinuit in Vaticana Ecclesia, cui, ut solitus erat, inserviit in illo quamvis tenui ministerio.

A

Multo deinde interjecto tempore Canonicatu donatus fuit Basilicæ Lateranensis, & Prothonotarius Apostolicus dictus fuit. Præfectus etiam Palatio Apostolico datus est. Tandem die 6. Maii anni 1715. Cardinalatus honore auctus fuit, & obtinuit Diaconiam *SS. Viti, & Modesti*. Congregationibus etiam adscitus fuit Indulgentiarum, Rituum, Propagandæ Fidei, Boni Regiminis, Fabricæ Divi Petri, Residentiæ, Episcoporum, Rerum Consistorialium, & Status Avenionis. Protector præterea fuit Congregationis Silvestrinorum, totius Ordinis Trinitarii, aliorumque in Urbe piorum locorum.

Comitiis adfuit Vaticanis pro electione habitis *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.*, *& Clementis XII.* Iisdem Pontificibus gratus extitit in ipso eximio munere Secretarii Apostolicorum Diplomatum. Tandem post piè, atque integerrimè exactam vitam morti concessit die 9. Februarii anni 1738. Corpus ejus ad ejus Ecclesiam translatum fuit *Sanctorum Viti, & Modesti*, cui Sacer Cardinalium cœtus parentavit, ibidemque humatum fuit.

B

Decima Cardinalium Promotio habita

Die 29. Maii anni 1715.

In qua evulgato Damiano Ugone de Schoemborn, *quem die* 30. *Januarii anni* 1713. *in pectore servaverat; Quatuor ex integro Creavit Cardinales, qui fuerunt.*

Henricus de Thyard de Bisy Gallus.
Innicus Caracciolus. Neapolitanus evulgatus die 16. Decembris ejusdem anni.
Bernardinus Scottus. Mediolanensis.
Carolus de Marinis. Genuensis evulgatus die 16. ejusdem anni.



HEN-



XLVIII.

HENRICUS DE THYARD DE BISSY Gallus, nobili apud Burgundos editus familia; Patrem habuit Comitem *Claudium* de Thyard de Bissy Regiorum Ordinum Equitem auratum, Matrem vero *Eleonoram Angelicam de Nucheze*. Ex quibus natus est die 25. Maii anni 1657.

Henricus à pueritia sedulum Literis adjecit animum. Cito etiam Ecclesiasticis ditatus est Beneficiis.

Anno 1680. Abbas *Nobiliaci* dictus est; & brevi aliis fulsit Ecclesiæ dignitatibus. Anno 1687. *Tullensis* Episcopus renunciatur; mortuo postea celebri *Jacobo Benigno Bossuet* Episcopo Meldensi, eidem Henricus sufficitur, atque anno 1705. illius Episcopatus possessionem assumit. Anno 1714. à *Ludovico XIV.* Abbas *Sancti Germani à Pratis* renunciatur. Et deinde eodem Rege promovente, die 29. Maii anni 1715. à *Clemente XI.* inter Cardinales cooptatur. Anno 1719. inunctioni Regis *Ludovici XV.* invitatus adfuit. Ecclesiam suam Meldensem plurimis ornavit monumentis. Ædes Episcopales condecoravit; Fundationi tertii Ordinis S. Francisci Pœnitentium apud Beatam *Mariam de Quercu* assensum præbuit. Antecessorum suorum Statuta in unum colle-

git


git Librum, & nova addidit. In Templo Cathedrali novum extruxit Altare, magnifico sumptu, pretiosisque ornamentis.

Catholicæ veritatis tenacissimus assertor, errores in illam gliscentes, errorumque auctores palam insectatus est. Sic semper Jansenistas corripuit, iisque obstitit constantissimè. Quamobrem Parisiis anno 1727. nonnulli Præsules congregati, Comitia habuerunt in Palatio *S. Germani à Pratis*, in quibus Præside Cardinali de *Bissy* vera Sanctissimæ Eucharistiæ dogmata enarrata sunt, & authoritas Ecclesiæ Romanæ contra quosdam novatores vindicata est (*a*). Historiam Ecclesiæ Meldensis *P. Tussano du Plessy* Monacho Benedictino è Congregatione S. Mauri conscribendam mandavit, quæ postea anno 1731. cura, & sumptibus ejusdem Cardinalis est (*b*) evulgata. Parochiales suæ Diœcesis Ecclesias instauravit,

A &auxit; pluraque alia memoranda gessit in Divini Cultus incrementum, & ad sui nominis immortalitatem.


Trium Pontificum electionibus adfuit, nempè *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.*, & *Clementis XII.* Titulum Cardinalitium *SS. Quirici*, & *Julittæ*, quem primo adeptus fuerat, anno 1730. in alterum immutavit *S. Bernardi.* Congregationibus adscriptus erat Episcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Sacrorum Rituum, & Indicis Librorum prohi-

B bitorum. Demum laboribus, annisque gravis obiit octogenarius Parisiis in Abbatia S. Germani à Pratis die 26. Julii anni 1737. Corpus ad Cathedralem Ecclesiam translatum, humatum fuit die 29 ejusdem mensis in Crypta, quam pro tumulandis Meldensibus Episcopis ipse vivens construxerat (*c*).



In-

(*a*) Gallia Christiana Tom. 8. pag. 1662. (*b*) Ibidem, & pag. 1596. (*c*) Histor. Eccl. Meldensis Tom. 1. pag. 549. Gallia Christiana Tom 8. pag. 1661. ad 1664.



XLIX.

INNICUS CARACCIOLUS Neapolitanus die natus est 9. Julii anni 1642. in Oppido Martinæ, quod est Feudum hujus præclarissimæ Familiæ. Pater ejus fuit *Franciscus* Martinæ Dux, Mater vero *Beatrix Caracciola* hæres Marchionum de Ariola, & Soror alterius *Innici Caraccioli* Archiepiscopi Neapolitani, ab *Alexandro VII.* inter Cardinales relati. Post emensa in Patria feliciter studia, in Hispaniam perrexit; ibi longam traduxit ætatem sæculari indutus veste. Ast exacta adolescentia, vitæ severioris iter quæsivit, & de Statu Ecclesiastico capessendo serius cogitavit.

Hinc sub *Innocentio XI.* Romam venit, & A inter Curiæ Præsules receptus est. Quæsitor Fidei in Insula Melitensi electus fuit, quo Magistratu laudabiliter gesto, ab *Alexandro VIII.* Romam revocatur, & Secretarius dicitur Congregationis Disciplinæ Regularium, quo in munere mores intaminatos, ac pietatem illam, cui intentum adjecerat animum, omnibus patefecit. *Innocentius XI.* ad Episcopale officium eum ultro admovere curaverat; sed oblata id generis munera, & præcipue insignem Capuanam Ecclesiam constantissimè recusavit, nimis B humiliter de se ipso sentiens. At sub *Innocentio XII.* anno 1697. vacanti Aversano Episcopatui præficitur. Timens ille iteratis Dei vo-

ci-

cibus amplius obsistere, libensm anum apposuit ad aratrum in Vinea Domini.

Triginta tres per annos, quibus Aversanæ præfuit Ecclesiæ, egregiis semper fulsit virtutibus. Diffluentes Clericorum mores emendavit prudentia, longanimitate, & exemplo. In pauperes adeo effusus fuit, & liberalis, ut cibos persæpè ex propria mensa detractos illis apposuerit. Redditus omnes illius pinguis Ecclesiæ aliorumque Ecclesiæ beneficiorum, quæ possidebat, & sui Paterni peculii, cui nunquam renunciavit, detracta ejus frugali sustentatione, piisque ædificiis, quæ extruxit, omnes quot annis usque ad assem in Pauperes erogavit. Singulis annis Diæcesim lustravit. Anno 1702. Synodum Diæcesanam coegit, sanctissimasque leges evulgavit. Cathedralem Ecclesiam magno sumptu instauravit. Seminarium a fundamentis erexit, optimisque Præceptoribus instruxit. Sibi ipsi severus humi persæpe dormiebat, ut plurimum vero in culcitra straminea. Hæc, aliaque egregia virtutum specimina in unum volumen collecta Romæ in lucem protulit *Michael Saglioccus* Aversanæ Ecclesiæ Canonicus (*a*).

Propterea *Clemens XI.* in hac promotione die 29. Maii anni 1715. illum inter Cardinales recensuit; nonnisi tamen quam die 16. Decembris ejusdem anni illum evulgavit, totoque hoc tempore retentus fuit in pectore. Quum Romam pervenisset, Titulo decoratus fuit *S. Thomæ in Parione*. Præterea Congregationibus adjectus fuit Episcoporum, & Regularium, Sacrorum Rituum, Immunitatis Ecclesiasticæ, Disciplinæ Regularium, & Visitationis Apostolicæ. Comitiis adfuit *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.*, & *Clementis XII.*

Quo ad Pontificatum assumpto, ægrotare incœpit, & stranguria vexatus, sive urinæ difficultate obiit die 6. Septembris anni 1730.

Ad Ecclesiam S. Agathæ ad Suburram solemni ritu ejus cadaver delatum, justisque exequialibus à Sacro Collegio peractis expiatum fuit. Inde loco depositi ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Victoria Patrum Carmelitarum Discalceatorum traductum, tandem ad Ecclesiam ejus Aversanam translatum fuit, ibique honorifice sepultum in Cappella Sanctissimi Sacramenti ab eo constructa. Caverat ipse Testamento suo, ne aliquis in ejus memoriam lapis erigeretur, quam sola sequenti exsculptus epigraphe = *Ossa Innici Cardinalis Caraccioli* = sed ejus ex Fratre Pronepos *Martynus Innicus Caracciolus* Archiepiscopus Calcedonensis, & Venetiis pro Sancta Sede Nuncius Apostolicus, ejus licet virtutum cultor eximius, ejusque exemplo maximè insistens, hac solum in re Propatrui imperium detrectavit. Hic enim Præsul ære suo magnificum illi extruxit sepulcrum, Tumuloque hoc adjecit elogium, quod celebris *Alexius Symmachus Mazzochius* Neapolitanæ Cathedralis Canonicus concinne exaraverat.

MEMORIÆ SEMPITERNÆ
INNICI TITVLI S. THOMÆ IN PARIONE
S. R. E. CARD. CARACCIOLI
E MARTINENSIVM DVCIBVS
PONTIFICIS AVERSANI
OPTIMI SANCTISSIMIQVE VIRTVTIBVS
A DEO ET CONTEMPLATIONIS DONO
ILLVSTRATI
QVEM D. O. M.
IN HÆC TEMPORA RESERVAVIT
VT PERMAGNI BORROMÆI VESTIGIA
STRENVE INGREDIENS
DIFFLVENTES ORDINIS PLEBIVMQVE MORES
CORRIGERET ARTES ET INTERIORES LITTERAS
AB INTERITV VINDICARET
RELIGIONEM CONSTABILIRET
FLORENTISSIMO IPSE EDITO SEMINARIO
CÆTEROS AD PARIA PROVOCARET
IVVARETQVE
SE VERO OMNIBVS CIRCA EPISCOPIS
ILLVSTRE PASTORALIVM OFFICIORVM
EXEMPLAR PROPONERET
SEDIT ANN. XXXIII. MENS. V. D. XIV.
VIXIT ANN. LXXXVIII. MENS. I. D. XXVII.
AD ÆTATEM ET RES GESTAS PER DIV
AD EGENTIVM ET POPVLORVM SOLATIVM
HEV PARVM DIV
AD COMITIA PONTIFICIA
HOMO ID ÆTATIS PROFECTVS
ROMAE OB. POSTRID. NONAS SEPTEMBRIS
ANNI MDCCXXX.
EIVS POLLINCTVM
CORPVS MARTINVS INNICVS
SVAE IN PATRVVM MAGNVM
EIVSQVE SPONSAM
ECCLESIAM PIETATIS CAVSSA REDVXIT
ET POSITO A SE MONVMENTO
CONDIDIT ANNO MDCCXXXVIII.

BEN-

(*a*) Epitome virtutum Cardinalis Innici Caraccioli. Romæ 1738.



BERNARDINVS SCOTTVS MEDIOLANENSIS SACRÆ ROTÆ AVDITOR
ALMÆ VRBIS GVBERNATOR ET VICECAMERARIVS
S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS SIGNATVRÆ IVSTITIÆ PRÆFECTVS
CREATVS A SS.ᵐᵒ D. N. CLEMENTE PAPA XI. IN CONSISTORIO SECRETO
DIE XXIX. MAIJ MDCCXV. ET IN SIMILI CONSISTORIO PVBLICATVS
DIE XVI. DECEMBRIS EIVSDEM ANNI
Obijt die 16. Novembris 1726.

Petrus Nelli Pinxit — *Hieronymus Rossi Incidit*

Dominicus de Rubeis Hæres Io. Iacobi formis Romæ ad Templum S. Mariæ de Pace cum priuil. Sum. Pont.

BERNARDINUS SCOTTUS Mediolanensis Comite Vincentio, & *Theodora Cusani* clarissimis Genitoribus in lucem editus est die 6. Octobris anni 1656. sub disciplina Patrum Societatis Jesu prima literarum rudimenta posuit. Indè in Universitate Ticinensi severioribus studiis, præsertim vero Legali facultati impensè incubuit. Ibi in Collegio *Borromæorum* nuncupato moram traxit, ibi in utroque Jure doctoratus insignibus ornatus est. Mediolanum demum reversus est; & in nobili, ut dicunt, Judicum, & Doctorum Collegio relatus fuit.

Postquam Cardinalis *Caccia* ex Advocati

A Consistorialis, quod tunc gerebat munere XII. Vir Sacræ Rotæ Romanæ renunciatus fuit; *Scottus* ab eodem Judicum, & Doctorum Collegio inter tres Candidatos Pontifici exhibendos nominatus; à Vener. *Innocentio XI.* cæteris antefertur, & Advocatus dicitur Consistorialis. Causas propterea egit in Foro, eas præcipue, quæ pro Beatorum Canonizatione proponebantur.

Maximam sibi nominis celebritatem pepererat. Quare è vivis erepto eodem *Innocen-*
B *tio XI.*, ejus in Apostolatu Successor *Alexander VIII.* virum hunc Petro Cardinali *Otthobono* ejus ex Fratre Pronepoti Assessorem

dedit. Eumdem inter Præsules Romanæ Curiæ recensuit, & ad ferendum suffragium assumpsit in Congregatione, quæ consultationibus præest Status Ecclesiastici negociorum. Haud multo post à Secretis est dictus Congregationis Aquarum.


Ab *Innocentio XII.*, qui proborum hominum fuit extimator haud minor, XII. vir primum in Tribunali Signaturæ Justitiæ, deinde quum promotus esset ad Mediolani Archiepiscopatum Cardinalis *Caccia*, qui per id temporis erat Nuncius ad Hispanos, & Sacræ Rotæ Auditoratum retinebat, illi in hoc postremo munere suffectus fuit, & XII. Vir ejusdem Sacræ Rotæ est renunciatus. Dum hunc Magistratum strenuè gerebat, locum uni ex iisdem Auditoribus reservatum est assequutus in Congregatione Immunitatis Ecclesiasticæ, & alterum in Congregatione Sacrorum Rituum.

Anno 1702. quum *Philippus V.* Hispanorum Rex Neapolim appulisset, ut illud Regnum adversis jactatum partium studiis, in ejus obedientiam confirmaret, & *Clemens XI.* ut Pontificiam tanto Principi benevolentiam testaretur, Carolum Cardinalem *Barberinum* de Latere Legatum illi misisset; Huic Comitem dedit *Bernardinum Scottum*, qui in illa Legatione Datarii munus sustinuit. Hunc eumdem Magistratum strenuè obivit anno 1711. quum mortuo *Josepho* Imperatore, *Carolo Austriaco* ex Hispania revertenti Cardinalem *Josephum Renatum Imperiali* de Latere similiter Legatum Mediolanum immisit. Omnia hæc laudabiliter gessit, dum Sacræ Rotæ Auditoris munere fungeretur. Demum hoc eodem retento Officio anno 1711. Prætor Urbis designatur. Maxima cum integritate Gubernio Romanæ Urbis quadriennio præfuit. Hac demum die 29. Maii anni 1715. optatum laboribus præmium est assequutus, & inter Cardinales relatus est. Nondum tamen est evulgatus, quia eum Pontifex in pectore, ut ajunt, retinuit usque ad diem 16. sequentis Decembris, quo die locum illi inter Presbyteros Cardinales attribuit, & Titulum *S. Petri in Monte Aureo*. In statu tamen Cardinalitio Prætoris dignitatem per alterum fere biennium retinuit. Eamdemque dimisit, quum anno 1717. Præfectura ornatus est Signaturæ Justitiæ.

Congregationes adeptus fuerat Sacrorum Rituum, Immunitatis Ecclesiasticæ, Concilii Tridentini, Propagandæ Fidei, Sacræ Consultæ, Signaturæ Gratiæ, Examinis Episcoporum, Aquarum, & S. Officii. Altera progressu temporis Præfectura auctus est, nempè de rebus œconomicis Congregationis de Propaganda Fide. Præterea Protector fuit Collegii Germanici, Hungarici, S. Caroli Nationis Mediolanensis, aliorumque in Urbe piorum locorum. Eximia semper fama doctrinæ, & integritatis emicuit. Quare Summis Pontificibus acceptus fuit, & à Sacro Cardinalium cœtu maximi habitus. Plurimi ex iisdem Cardinalibus in eorum supremis tabulis exequutorem Testamentarium illum elegerunt. Quos inter *Carolus Barberinus*, *Alexander Caprara*, *Jo. Baptista Spinula S. R. E.* Quæstor, seu Camerarius, *Aloysius Priolus*, *Ferdinandus de Abdua*. Splendidus ille fuit, & liberalis. In pauperes pronus, & effusus. Plura aureorum millia insumpsit in Ecclesiarum reparatione, & cultu. Ecclesiam Beatæ Virginis *Miraculorum* nuncupatam in *Platea Populi* maxime ditavit. In altera *Sanctorum Ambrosii*, & *Caroli* Mediolanensium Altare erexit ejusdem *S. Caroli* magnifico sumptu. Multam præterea pecuniæ vim contulit in subsidium *Corcyræ* Turcarum obsidione pressæ; multam denique pro bello Helvetiorum.

Vivere desiit die 16. Novembris anni 1726., cunctamque ejus substantiam favore pauperum, & in alias causas pias testamento reliquit. Supremæ ejus voluntatis exequutores scripsit eximios Præsules *Albertum Cavalchinum*, & *Joannem Baptistam Mesmerum* Cives, & amicos suos, nunc vero præstantes S. R. E. Cardinales. Corpus ejus ad eamdem Ecclesiam delatum fuit *S. Caroli* Nationis Mediolanensium, ibique sepulcro traditum, adstante Sacro Cardinalium Senatu, & ipso Summo Pontifice *Benedicto XIII.* Ad lævam propè hostiolum ipsius Ecclesiæ adest in pavimento ejus Epigraphe, prout sequitur.

OSSA BERNARDINI
S. R. E. TIT. S. PETRI IN MONTE AVREO
CARDINALIS SCOTTI MEDIOLANENSIS
HIC EXPECTANT RESVRRECTIONEM ÆTERNAM
ORATE PRO EO
OB. DIE XVI. NOVEMBRIS MDCCXXVI.
ÆTAT. SVÆ LXX. MENS. I. DIES X.



L I.

CAROLUS DE MARINIS GENUENSIS, Romæ tamen natus est, qua occasione Parentes ejus Italiam peragrantes in hac Urbe substiterant. Præstantes, ac Patricios habuit Genitores, nempè *Goffredum Mariam*, & *Mariam Franciscam Imperiali*, quæ lectissima Matrona Romæ hunc infantem enixa est die 13. Martii anni 1667. Sacris lustralibus aquis ablutus fuit in Ecclesia S. Laurentii in Lucina; Indè cum Parentibus ejus in Patriam reductus, paterna primum in Domo officiis Christiani hominis, & rudimentis literarum imbutus, deindè Augustam Taurinorum traductus est, & in celebri illa Academia gravioribus incubuit discipli-
A nis; demum longinquas iniit peregrinationes, & Galliam, Hollandiam, & Germaniam peragravit. In Angliam quoque trajecit.

Postquam mores exterarum Gentium, & cultiores Europæ Urbes lustraverat, Romam remeavit, ut se Ecclesiæ servitio manciparet. Exeunte *Innocentii XI.* Pontificatu Præsulum Romanæ Curiæ amplexus est institutum. Ut vero maximis affluebat divitiis, statim officium coemit Clerici Cameræ Apostolicæ, quod tunc venale exponebatur. In Pontificatu *Ale-*
B *xandri VIII.* altero vacante officio Auditoris Generalis ejusdem Cameræ Apostolicæ, illud quoque pecunia comparavit. Sed in Pontifi-

catu *Innocentii XII.* suppressa hac officiorum venalitate, & restituto emptoribus pretio, ipse tamen ex munifica ejusdem Pontificis beneficentia in eodem Magistratu remansit Auditoris Cameræ.

In Pontificatu *Clementis XI.* PræfectusCubiculo Pontificio renunciari obtinuit. Mox hac celebri die 29.Maii anni 1715. inter Cardinales relatus est. Celatus aliquamdiu fuit, donec die 16.Decembris ejusdem anni ab ipso Pontifice fuit evulgatus. Tunc Diaconia illi est attributa *S. Mariæ in Aquiro*, & Congregationibus adjectus fuit Episcoporum, & Regularium, Immunitatis Ecclesiasticæ, Sacræ Consultationis, Indicis Librorum prohibitorum, & Fabricæ S. Petri.

Vaticana celebravit Comitia pro electione *Benedicti XIII.*, à quo vix ad Apostolatum assumpto, Æmiliæ de Latere Legatus dictus fuit. Qua Legatione absoluta, Romam rediens Præfectus datus est Congregationi Sacrorum Rituum. Comitiis iterum adfuit *Clementis XII.*, iterumque ejusdem Æmiliæ Provinciæ Legatus de Latere est evulgatus. A BENEDICTO XIV. feliciter Regnante altera demum Proconsulari dignitate ornatus fuit; Urbini scilicet de Latere Legatus est dictus.

Studio Patriam suam revisendi labente anno 1746. Genuam se contulit. Ibi lethali correptus morbo brevi aliquot dierum intervallo naturæ concessit die 16.Januarii anni 1747., & in Ecclesia Sanctissimæ Annunciationis *del Vastato* nuncupata MinorumObservantium sepultus fuit.

Ex Diaconia Sanctæ Mariæ in Aquiro ad alteram transierat *SS. Viti, & Modesti*; die vero 15. Julii anni 1739. hac quoque dimissa, optaverat alteram *S. Agathæ*, quam pariter demum dimisit, optans illam *S. Mariæ in Via Lata*.

Ex testamento, quod condidit, nova illi laudis accessio fuit. Quippè supra centum millia aureorum in pios usus eroganda reliquit. Et quibusdam exceptis Legatis favore Fratris, alteriusque affinis sui, scilicet favore Præsulis eximii *Cosmæ Imperiali* Romanæ Urbis Prætoris, reliquum prædivitis suæ substantiæ censum, partim Genuæ, partim Romæ in pias causas distribuendum exhibuit. Atque ut ejus voluntas celeriter, omnique cum diligentia adimpleretur, ipsum Romanum Pontificem BENEDICTUM XIV. fiduciarium scripsit hæredem. Hic vero solerti, ac paterna fide, quod Genuæ implendum erat, ut citissimæ daretur exequutioni, curavit, delegata facultate Archiepiscopo, & quibusdam illius Urbis Magistratibus in testamento Cardinalis designatis, ut hæc pia opera exequerentur. Quod vero Romæ perficiendum supererat, idem Summus Pontifex plenissimè absolvit, atque in pios usus convertit partim continuo confectos, partim vero perpetuo duraturos.

Undecima Cardinalium Promotio

Die 16. Decembris


CLEMENS XI.

Duos evulgavit Cardinales in pectore servatos die 29. Maii hujus anni 1715. Isti vero fuerunt.

Innicus Caracciolus. Neapolitanus, & Carolus de Marinis. Januensis.

Quatuor deindè alios creavit, qui fuerunt.

Nicolaus Caracciolus. Neapolitanus.
Joannes Patricius. Romanus.
Ferdinandus Nuptius. Neapolitanus.
Nicolaus Spinula. Januensis.



LII.

Nicolaus Caracciolus Neapolitanus die natus est 8. Novembris anni 1658. Patricios, & spectatissimæ nobilitatis habuit Genitores. Pater enim *Nicolai* fuit *Philippus Caracciolus*; Mater vero *Zenobia Judice* Filii Principis de *Cellammare*, & Ducis de *Giovinazzo*. Prima Literarum rudimenta hausit in Patria, sub optimis Præceptoribus, & sub vigili Parentum cura. Decimum octavum agens annum Romam venit, & in Seminario Romano sub disciplina Patrum Jesuitarum majores scientias lustravit, didicitque Philosophiæ præcepta, & dogmata Theologiæ.

A

Reversus indè in Patriam Jurisprudentiæ incubuit, ibique Lauream Doctoralem adeptus est. Romam iterum petens in Pontificatu *Innocentii XI.*, inter Præsules Romanæ Curiæ adscribi meruit. Variis Ecclesiasticæ Ditionis Civitatibus electus fuit Gubernator. Anno demum 1699. Perusinæ datur Civitati in eodem gradu Gubernatoris, ejusque administratio, ut in aliis Civitatibus contigerat, universæ Perusinæ Provinciæ perutilis fuit, & acceptissima.

B

Clemens XI. Virum quamplurimis probatum muneribus, præterea pietate, & singulari morum innocentia fulgentem, ad majora promovere non destitit. Scilicet Archiepiscopum

A eum dixit Calcedonensem, & deindè Florentiam allegavit Nuncium S.Sedis Apostolicum. Dum ibi moraretur gratus Principi, & Populo, Pontificiæ vero authoritatis Assertor, nondum absoluto Ministerio, Archiepiscopatu Capuano decoratur: Nec dum expleto sui instituti cursu, eum ad Episcopale officium optimus ille Pontifex allexit, ne præclaræ huic Ecclesiæ piissimus Pastor deesset. Animum tamen non abjecit eum in dies novis beneficiis cumulandi. Ille vero Divinæ obtemperans vocationi, omnia libens reliquit, collumque tanto B oneri suppofuit, ut vineam Domini exerceret, & coleret.

Ut novum Sacerdotale Ministerium assumpsit, statim robusto pectore virtutes omnes explicuit, quas animo retinuerat. Pauperes aluit, nova profusis sumptibus molitus est ædificia; diffluentes vero Populi, & Clericorum mores radicitus emendavit. Honestati Mulierum maximè consulens, ne per Urbem vagarentur, severè prohibuit. Et ne peccandi adesset occasio, eas si parum modestè viverent, C privatum in locum detrusit, ædesque idoneas, & perampla domicilia à se munificè extructa adsignavit.

Idem *Clemens XI.* gliscentem Romæ impudicitiam evellere cupiens, virum hunc accersivit, atque Urbis dixit Vicesgerentem cum effrænata potestatis plenitudine. Paruit *Nicolaus*, & munus ejus dignitati, fortasse minime par, invicto animo explevit. Mulieres inhonestas, virosque muliebriosos pœnis, carceribusque insectatus est, eorumque neniis, D & quærimoniis obsurduit. Maximus ille Pontifex idoneum tandem præmium huic adstruens virtuti, eum in hac Promotione diei 16. Decembris anni 1715. ad Sacrum *Purpuræ honorem evexit*, Tituloque donavit *S. Martini ad Montes*. Præterea Congregationibus adscripsit Episcoporum, & Regularium, Rituum, Immunitatis Ecclesiasticæ, & Visitationis Apostolicæ.


Novis hisce auctus meritis, & dignitatibus annuente Pontifice suæ redditus est Ecclesiæ. Eadem constantia incœptum vitæ genus prosequutus est. Cathedralem Ecclesiam penitus fermè collapsam ab imo instauravit, erexit, aliisque publicis ædificiis exterius etiam ornavit. Vasa sacra, pretiosasque supellectiles in Sacrarium invexit. Nec minorem centum millium ducatorum summam in sua Cathedrali insumpsit.

Benedictus XIII. omni familiaritatis officio *Nicolaum* percoluit. Pluribus licet ditatum Ecclesiæ beneficiis, nova illi contulit Sacerdotia. Bis eum in sua residentia invisit. Ad eamdem dicandam Cathedralem ex Fratre Nepotem suum misit *Mondillum Orsini* Patriarcham Constantinopolitanum, *ut ritè Ecclesiam consecraret*. Dumque penè regali sumptu Palatium quoque Episcopale instaurare parabat, naturæ concessit die 7. Februarii anni 1728., Annum agens 69., atque omnibus desideratus in eadem Cathedrali à se magnificè erecta sepultus fuit.

Comitiis adfuit *Innocentii XIII.*, & *Benedicti XIII.*, eorumque Pontificum electioni suo calculo suffragatus est.



JOAN-



LIII.

JOANNES BAPTISTA PATRITIUS Romanus Patrem habuit Marchionem *Patritium*, Matrem vero *Virginiam Corsini* lectissimam Matronam. Ex his præclarissimis Parentibus in lucem editus est die 24. Decembris anni 1658. Parem egregiis ejus natalibus sortitus est educationem. Pietatis enim, & literarum rudimenta accepit ab optimis institutoribus; Illisque usus est ad altiores etiam disciplinas assequendas. Postquam Laurea Doctorali in Archigymnasio Romano ornatus fuit, ad publica ipse munera capessenda idoneus est habitus.

Innocentio XI. supremum tenente Apostola-

A tus apicem, *Joannes* Ordini Præsulum Romanæ Curiæ adscriptus fuit. Brevi ad suffragium ferendum in Congregatione Boni Regiminis cooptatur. Indè inter XII. Viros Signaturæ Gratiæ, quos nostri *Votantes* vocant, recensetur. Clericus demum Cameræ Apostolicæ dictus est; atque in hoc Tribunali officia ferè omnia, istis Præsulibus dari solita, diligenter obivit. Etenim in Congregatione Baronum, ac *Montium*, atque in altera *Computorum* nuncupata, suffragium tulit. Riparum, & Fluminis itidem
B Gubernio præfuit. Nec non Viarum Præses dictus fuit. Hoc munere fungebatur, quum *Innocentius XII.* Petri Cathedram ascendit.

Ab hoc Pontifice Perusinæ Civitati datus est Præses. Quæ sanè Provincia *Patricio* delegata, actis ab eo Magistratibus impar videbatur. Ille tamen casum patienter tulit. Postea Neapolim Nuncius Apostolicus missus fuit, & Seleuciæ Archiepiscopus designatus. His, aliisque strenuè functus muneribus, etiam antequam Questor, seu Thesaurarius Generalis designaretur, nil mirum, si *Clemens XI.* usque ab exordio sui Pontificatus de eo ad altiora provehendo cogitavit.

Evecto itaque anno 1706. ad Cardinalatum *Laurentio Corsinio*, cui *Joannes* affinis erat, ipse illi Successor fuit in supremo Ærarii generalis Magistratu. Et postquam plures per annos hoc eximium Ministerium laudabiliter absolvit, in hac Promotione diei 16. Decembris anni 1715. in Sacrum Purpuratorum Patrum cœtum invectus est.


A Titulum obtinuit Presbyteralem *Sanctorum Quatuor Coronatorum*, & adlectus est in Congregationes Concilii Tridentini, Immunitatis Ecclesiasticæ, Propagandæ Fidei, Consultationum Status Ecclesiastici, Aquarum, & Paludum Pontinarum.

Postquam Cardinalitiam dignitatem fuerat assequutus, plures per annos in Prothesaurarii munere perstitit, ut munus jamdiu tanta cum laude gestum, eadem integritate prosequeretur. Demum Ferrariæ dicitur de Latere Legatus, ubi postquam plurium annorum

B spatio Justitiam coluerat, & publicæ utilitati consuluerat, ac postquam Vaticana celebraverat Cardinalium Comitia pro electione *Innocentii XIII.*, *&* *Benedicti XIII.*, tandem ipse morti concessit.

Obiit Ferrariæ die 31. Julii anni 1727., atque in illa Cathedrali honorificè sepultus est.





FERDINANDVS NVPTIVS HORTANVS ARCHIEPISCOPVS NICENVS
SIGNATVRÆ GRATIÆ DECANVS SACRARVM CONGREGATIONVM
TAM EPISCOPORVM ET REGVLARIVM QVAM AQVARVM SECRETARIVS
S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS CREATVS A SS.MO D.N. CLEMENTE PAPA XI
IN CONSISTORIO SECRETO DIE XVI DECEMBRIS MDCCXV.
Obijt die prima Decembris 1717

Io. Baptista Canziani pinxit — *Hierony. Rossi sculp.*

Dominicus de Rubeis Hæres Io. Iacobi fortis Romæ ad Templ. S. Mariæ de Pace cum priuil. Summi Pontificis.

LIV.

FERDINANDUS NUPTIUS Hortanus ex *Jacobo Nuptio*, & *Maria Anna Persiani* natus est die 10. Septembris anni 1645. in Hortæ Civitate sita in Patrimonio S. Petri. A prima ætate annorum novem Romam venit, ut studiis incumberet, quod ipse præstitit diligentia incredibili. Nam citò emenso humanarum Literarum curriculo, haustisque Philosophiæ præceptis, & Arcanis Theologiæ, impensum Jurisprudentiæ addiscendæ animum adjecit. Adeoque in hac facultate profecit, ut optimus brevi Causarum Actor graviores Romanæ Curiæ controversias egerit in Foro.

Innocentius XI. virum hunc cæteris præstan-

A tem, in Romanis dignitatibus censuit adhibendum. Commissarius idcirco dictus est Cameræ Apostolicæ, paucisque interjectis mensibus, Canonicus etiam renunciatur Vaticanæ Basilicæ. Nec minorem nactus est existimationem apud *Alexandrum VIII.*, qui, ut eum cuicumque muneri obeundo idoneum putabat, ita ad majora promovisset, si diutius vixisset.

Profectò ferè omnes Urbis Magistratus egregie *Nuptius* obivit. Mortuo enim *Ferdinando Raggio* Ærario Cameræ Generali, tempore,
B quo Sedes etiam Apostolica vacabat per mortem ejusdem *Alexandri VIII.*, ipse à Sacro Cardinalium Collegio illi sufficitur cum titulo

A Prothesaurarii. Atque evecto ad Summum Sacerdotium *Innocentio XII.*, in hoc eximio munere Nuptium confirmavit. Quinque, & ultra annis officium laudabiliter implevit. Inde ad munus Secretarii Sacræ Congregationis Concilii promovetur: Quo etiam quatuor annis egregiè peracto, Assessor dicitur Sacræ Universalis Inquisitionis. Sed assumpto ad Apostolatum *Clemente XI.*, nova, & diversa prorsus munia illi attribuit. Etenim ex Assessoratu S. Officii Clericus Cameræ Apostolicæ nuncupatus est, & Præfectus Annonæ. B Quibus amplissimis muneribus plura alia idem Pontifex adjecit. Secretarius enim designatus est Congregationis Aquarum, Consultor Sancti Officii, Votans, ut dicunt, Signaturæ Gratiæ, & ipsius Congregationis Cameralis. Tantis tamen titulis licet fuerit cumulatus; noverat ipse tamen quod à dignitate Cardinalitia longe remotus esset, illique propius erat, quum uno tantum munere fungeretur.

Casum tamen patienter ferens nil amplius in votis habuit, quam ut benè cœptum honoris, D & integritatis cursum optimè prosequeretur. Collatis his muneribus præclarè satisfecit, eximiamque ejus in rebus agendis dexteritatem scripto etiam patefecit.


Etenim in Annonæ Ministerio adeo idoneum se præbuit, ut optimum Typis dederit dissertationem, seu potiùs Librum italicè scriptum, cui titulum adjecit = *De Agri Romani cultura* = Excitatus hinc *Clemens XI.*, & meritis hujus Viri permotus, de eo ad majora promovendo E seriò cogitavit. Contigit eo tempore, quod egregius vir *Laurentius Corsinius*, qui postea ejus adnitentibus virtutibus, & Cardinalis, & Summus Pontifex evasit, quum in officio Thesaurarii Generalis Præsul sederet; pro gravibus Cameræ negociis Ferrariam ire coactus fuerit. Illi iterum *Nuptius* sufficitur in munere Prothesaurarii. Exiguo indè temporis intervallo à Secretis renunciatur Congregationis Episcoporum, & Regularium, & Archiepiscopus Nicænus, nec non Corrector Pœnitentiariæ Apostolicæ. Congregationi rursus adscribitur disciplinæ Ecclesiasticæ, & Sacrorum Rituum.

Hinc postquam ferè omnes Romanæ Urbis Magistratus (quod perraro evenit) absolverat, & circumiverat; quin imo plures ex iis bis expleverat, tandem die 16. Decembris anni 1715. inter Cardinales refertur tota plaudente Urbe, quæ Viri labores, doctrinam, moresque intaminatos commendaverat. Titulum nactus est *S. Pudentianæ*. Episcopatui etiam Urbevetano brevi admotus fuit. Annum tamen vix exegit in ejus Ecclesia administranda. Nam die primo Decembris anni 1717. interiit, annum agens 72. menses 2., & dies 20. *Innocentius Nuptius* ejus hæres, & Nepos ex Fratre, in Ecclesia Cathedrali Urbevetana in Cappella Beatæ Virginis *S. Britii*, sepulcrum illi magnificè extruxit, lapidemque insculpsit, ut sequitur.

FERDINANDO NVPTIO
S.R.E. PRESB. CARDINALI TIT. S. PVDENTIANÆ
QVEM SVMMIS ROMANÆ AVLÆ MVNERIBVS
FVNCTVM
INTERQVE PVRPVRATOS PATRES
OMNIVM ORDINVM PLAVSV COOPTATVM
ECCLESIA ET CIVITAS VRBEVETANA
VIX DATVM
MAXIMO EIVS DESIDERIO SIBI EREPTVM
LVXERVNT
OBIIT KAL. DECEMBRIS ANNO SAL. MDCCXVII.
EPISCOPATVS ANNO II.
VIXIT ANNOS LXXII. MENS. II. DIES XX.
INNOCENTIVS NVPTIVS FRATRIS FILIVS
PATRVO OPTIMO
ET DE SE MERITISSIMO M.P.



Ni-



L V.

NICOLAUS SPINULA Genuensis, in Hispania tamen natus est die 20. Februarii anni 1659. Pater ejus *Joannes Dominicus* Comes Pezzuolæ plurimis in Hispaniarum Regnis affluebat divitiis, præclarisque affinitatibus, præsertim vero Comitem *de los Balbases* Consanguinitatis vinculo propinquum habebat. Idem Pater ejus Uxorem duxerat...... Filiam Ducis *de Schiattino*. Ab his amplissimis Genitoribus *Nicolaus* optimis datus est Præceptoribus instituendus, ut valida in studio pietatis, & Literarum poneret fundamenta. Ut vero adolescentiam egressus fuerat, Romam traductus, fidei, ac disciplinæ creditus est

A Cardinalis *Joannis Baptistæ Spinulæ* Patrui sui, qui à titulo *S. Cæciliæ* Cardinalis S. Cæciliæ vocabatur, ut ab altero ejusdem nominis, & cognominis Cardinali distingueretur, qui ab altero similiter Cardinalitio Titulo Cardinalis *S. Cæsarei* nuncupabatur.

Nicolaus igitur postquam Romæ gravioribus disciplinis intentum animum adjecerat, ac in Legali facultate Doctoratus Insignibus ornatus fuerat, inter Præsules Romanæ Curiæ referri, atque inter Prothonotarios de numero Participantium meruit cooptari.

B

Cito regendis Ditionis Ecclesiasticæ Civitatibus admotus fuit. Atque in hac Gubernato-

ris dignitate maximam sibi integritatis famam conciliavit. Hoc demum exacto curriculo in Pontificatu *Innocentii XII.* ad graviora vocatus Romanæ Urbis munia, Clericus Cameræ Apostolicæ est renunciatus. In hoc Tribunali Ædilis etiam emersit, quem Romæ usitato nomine *Grasciæ Præsidem* dicunt.

A

Clemens XI. majora etiam de eo cogitans, Thebarum Archiepiscopum eum dixit, & Florentiam allegavit *ad Cosmum III.* Magnum, Etruriæ Ducem Nuncium Apostolicum. Mox secunda eum Legatione ornavit, & ad Sarmatas misit cum eodem Nuncii Apostolici munere. Postquam denique amplissimis hisce Magistratibus laudabiliter functus fuerat, eum Romam revocatum, Auditorem Generalem Cameræ Apostolicæ pronunciavit. In hac vero celebri Cardinalium enunciatione die 16. Decembris anni 1715. in S. Senatum invexit sub titulo *S. Sixti*, quem postea in alterum immutavit *SS. Nerei*, & *Achillei*.

B

Pluribus adscriptus fuit Sacris Cardinalium cœtibus, scilicet Episcoporum, & Regularium, Propagandæ Fidei, Fabricæ S. Petri, Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Immunitatis Ecclesiasticæ, Sacræ Consultationis, Aquarum, & Rerum Consistorialium. Præterea protector fuit Congregationis Monasticæ Olivetanæ, Hospitii Apostolici S. Michaelis ad Ripam Tyberis, aliorumque in Urbe piorum Locorum.

C

Vaticana celebravit Comitia pro electione *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.*, & *Clementis XII.* sub quo Pontifice naturæ concessit die 12. Aprilis anni 1735. Corpus ejus elatum fuit ad Ecclesiam S. Andreæ *de Valle*, ibique adstante Sacro Cardinalium cœtu fuit expiatum. Indè translatum ad Ecclesiam Collegii Urbani de Propaganda Fide, ibidem humatum fuit cum hac Epigraphe.

D

D. O. M.
OSSA NICOLAI CARD. SPINVLA
TIT. SS. NEREI ET ACHILLEI
VIX. ANN. LXXVI. MENS. I. DIEB. XX.
OB. DIE XII. APRILIS ANN. MDCCXXXV.


Quum centum circiter millia aureorum eidem Collegio de Propaganda Fide munifice donaverit; hinc à Cardinalibus illius piissimi Instituti curatoribus, in perenne grati animi monumentum hæc altera Inscriptio adjecta fuit, quæ in claustro superiori ejusdem Collegii conspicitur.

NICOLAO PRESBYTERO SS. NEREI ET ACHILLEI
S. R. E. CARD. SPINVLA
QVOD CVM COHÆREDIBVS SVIS
IOANNE LVCA FRATRE
ET IOANNE DOMINICO AVGVSTINO FILIO
NONAGINTA CIRCITER AVREORVM MILLIA
IVRE HÆREDITATIS
AB HISPALENSI REGIO PATRIMONIO
ÆQVIS PARTIBVS SIBI EISQVE DEBITA
S. CONGREGATIONI DE PROPAGANDA FIDE
MVNIFICA DONATIONE CONCESSERIT
ET S. S. IO. DOMINICVS
ALIIS INSVPER NOVEM MILLIBVS
PRIVS DE SVA PECVNIA DATIS
EXINDE AD TRES EX ILLYRICO ALVMNOS
IN COLLEGIO FIRMANO INSTITVENDOS
PLVSQVAM DVODECIM MILLIA AVREORVM
PIA LARGITIONE TRIBVERIT
CARDINALES PROPAGANDÆ FIDEI CVRATORES
TANTORVM BENEFICIORVM M. P. P.


Duodecima Cardinalium Promotio

In qua die 15. *Maii Anni* 1717.

Unicus Creatus fuit Cardinalis Gibertus Borromœus. Mediolanensis



Gi-



Gibertus Borromęus Mediolanensis, Patriarcha Antiochenus, Episcopus Nouariensis, SS.^mi Dñi Nri CLEMENTIS PAPÆ XI Cubiculi Præfectus, S. R. E. Presbyter Cardinalis, creatus, et publicatus à Sanctitate Sua in Consistorio Secreto, habito in Quirinali Palatio die 15. Martij 1717

Obijt die 22. Januarij 1740.

Petrus Nelli delin. *Hieronymus Rossi scul.*

Dominicus de Rubeis hæres Io: Iacobi formis Romæ ad Templum S.^æ M.ª de Pace cum Priu. Sum. Pon.

LVI.

GIBERTUS BORROMÆUS Mediolanensis ex præclarissima natus Familia Patrem habuit *Renatum* Comitem *de Aronc*, & *Juliam Aresiam* spectatissimam Matronam. Ex his in lucem editus est die 12. Septembris anni 1671. Exempla sequutus aliorum Cardinalium vetustissimæ ejus Familiæ, præsertim vero *S. Caroli Borromæi* pietati, studioque literarum impensam à pueritia navavit operam. Exacta pubertate, ut Dei servitio intentius vacaret, Romam venit. Sub *Innocentio XII.* inter Præsules Romanæ Curiæ receptus, & Prothonotarius dictus est de numero participantium. Post

A varios obitos inferioris Ordinis Magistratus, in Pontificatu *Clementis XI.* ad majora vocatus, Patriarcha Antiochenus renunciatur. Deindè Cubiculo Apostolico Præfectus assumitur. Et demum Episcopatui Novariensi admovetur.

Tantis quum esset auctus Titulis, & Dignitatibus, reliquum erat, ut supremo etiam Cardinalatus honore cumularetur. Hoc præstitit idem Summus Pontifex die 15. Martii anni 1717., quo eum sacro Purpuratorum Patrum Collegio adscripsit sub Titulo Presbyterali *S. Alexii*. B Congregationibus etiam adjecit Sac. Concilii Tridentini, Episcoporum,

& Re-

& Regularium, Sacrorum Rituum, & Rerum Consistorialium.

A

Ad suam indè conversus Episcopalem sedem, Novariam petiit, ubi plures per annos pietatem, & justitiam coluit, ac propagavit. Insignem Librorum collectionem confecerat, quorum magna pars in Ambrosianam Bibliothecam post ejus mortem, ut ipse Testamento caverat, illata fuit.

Cardinalium comitiis interfuit pro electione *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.*, & *Clementis XII.* Sui demum desiderium moriens reliquit die 22. Januarii 1740. Novariæ, ubi obiit, sepultus est in Sacello *S. Caroli*, ut ipse demandaverat. Tumuloque sequens Inscriptio adjecta est.

B

GIBERTO BORROMÆO
S. R. E. PRESB. CARD. TITVLI S. ALEXII
PATRIARCHÆ ANTIOCHENO
EPISCOPO NOVARIENSI
QVOD SANGVINE ET IMITATIONE VIGILANTIÆ
MVNIFICENTIÆ PIETATIS
SANCTI CAROLI BORROMÆI CONIVNCTVS
NEC MORTE SEIVNGI VOLVERIT
SEPVLCRO ANTE ILLIVS ARAM DELECTO
COMES D. IOANN. BORROMAEVS
ARESIVS MAGNAS HISPANIARVM
EX FRATRE NEPOS ET HAERES
IMMORTALEM HANC MEMORIAM
MAESTISSIMVS POSVIT
ANNO MDCCXL.

Decimatertia Cardinalium Promotio

Habita die 12. Julii 1717.

In qua duos Creavit Cardinales. Isti vero fuerunt.

Julius Alberonus. Placentinus. Et Emericus Csaki Hungarus hac die Creatus; publicatus vero die prima Octobris hujus anni.



Ju-



LVII.

Julius Alberonus Placentinus humilibus ortus Parentibus, natalem adſpexit lucem die 30. Martii 1664. Pater ejus *Joannes* in anguſtia rei familiaris, qua premebatur, anxius erat, & mærens, quod idoneam vivido adoleſcentis ingenio educationem conferre non poſſet. Quæ anguſtia adoleſcentem non fregit, ſed erexit. Ut enim vires ſuas novit, indoliſque ferventis ſtimulis agitari cœpit, paternæ domus paupertatem ſprevit, & quam natura meliorem ſortem negaverat, ſibi ipſe quæſivit. Clericale inſtitutum amplexus eſt. Rector ſuæ Parochialis Eccleſiæ locum ipſi inter ejus Clericos attribuit, eum- A que literarum rudimenta edocuit. Facilem præterea ipſi viam aperuit, ut in publico Civitatis Gymnaſio reciperetur, à Religioſis Congregationis Divi Pauli Bernabitarum. Ibi Grammaticen luſtravit, eodemque tempore ut erat eloquio promptus, & elegans, conſuetudine comis, & lepidus; hinc plurimos ſibi adſcivit fautores. A quibuſdam Canonicis illius Civitatis in clientelam receptus, ope eorumdem Clericus renunciatur Cathedralis Placentinæ Eccleſiæ. Patrocinium etiam Epi- B ſcopi nactus eſt, qui eum minoribus ordinibus initiavit; & brevi interjecto tempore Sacros etiam Ordines illi contulit.

Sacerdos factus inter domesticos receptus fuit Præsulis *Barni*, qui tunc Ravennæ Pro-Legatus erat, & postea Episcopus Placentinus renunciatus est. Sic iterum *Julius* in patriam redux, novi Antistitis curator admovetur universæ ejus rei Familiaris. Sua tamen fortuna *Alberonius* dexterè, prudenterque utebatur. Quare in dies hominum existimatione, & beneficiis amplificabatur.

Felix *Alberonio* arrisit occasio, qua tempestate Italia bello premebatur, & in Insubria, & in Ducatu Mediolanensi de successione Hispanicæ Monarchiæ post mortem *Caroli II.* Catholici Regis contendebatur. In eas regiones Cæsar suas copias immiserat, Galli, & Hispani suas. Annus erat 1703., quo Duci Vindocini, seu de *Vandomo* summum Gallici exercitus Imperium traditum fuerat. Dux Parmensis, qui eum in vicinis habebat, plura sæpe agere fusiusque tractare debuit cum eodem Duce de *Vandomo*. Quare *Comitem Roncovieri* illi adlegaverat, qui postea fuit Episcopus *Fidentinus*, seu, ut dicunt, *Burgi Sancti Donnini*. In ejus Comitatu *Alberonius* fuit, qui occasionem minimè neglexit Duces, Bellique administros comiter adeundi, & post iterata colloquia, iisdem demum familiariter uti. Tanta ab iisdem exceptus est humanitate, ut inde ipsius summi moderatoris in conspectum venerit; quod cum bis, & tertio factum fuerit, tanta *Dux de Vandomo* captus est voluptate ob viri urbanitatem, & comitatem, ut ad colloquia ferme quotidiana illum admiserit.

Hæc felix epocha fuit fortunæ *Alberonii*. Quippe idem supremus Belli moderator, qui ejus familiaritate maxime oblectabatur, cum eo solum arcana communicabat, quæ Ducem Parmensem spectabant, & ipse Comes *Roncovieri* agnita eximia gratia, quam cum Gallorum Duce inieverat Alberonius, eum enixe rogabat, ut gravissimis de rebus sequester esset. Sic bonam Principi suo navavit operam; sic Canonicatum in Cathedrali Parmensi adeptus est, sic denique ad grandia quæque capessenda aditus illi est patefactus. Summo studio hanc benevolentiam coluit *Ducis de Vandomo*, quousque ille in Italia permansit. Anno tamen 1706. revocatus à Rege Christianissimo, ut Regio exercitui in Belgio præesset, & disjectam Belli fortunam ad spem pristinæ gloriæ restitueret, secum *Alberonium* adduxit, atque oportunitatem nactus est, ut ipse conspectum Regis subiret. Omni commendatione illum extulit, eumque coram laudavit. Sic Regis clementiam expertus est, & Pensionem, seu annuam mercedem ex Regis Ærario est assequutus. Anno 1707., & 1708. vario Martis discrimine pugnavit in Belgio *Dux de Vandomo*, secumque semper habuit Alberonium Consiliarium suum, & familiarem maximis hisce beneficiis affectum.

Philippus V. Borbonicus ancipitem & ipse in Hispania belli fortunam experiebatur. Propterea *Ludovicum XIV.* Avum suum enixè rogavit, ut nulla adjecta mora, ipsi suppetias veniret *Dux de Vandomo*. Paruit ipse, magnisque itineribus ingentes copias eduxit, & Regem *Philippum* ex Matriti pulsum Metropoli, & in Civitate Valdoleti [a] obsidione pressum, ab imminenti exemit periculo. Hostes pluribus in locis profligavit, atque in fugam egit, multasque Urbes in *Philippi* Regis ditionem redegit. *Alberonium* præterea in diversas Valentiæ, & Aragoniæ Civitates misit, ut cum magnatibus ageret; Populosque in fide nutantes in obsequio, animique firmitate contineret.

Quod & feliciter præstitit, & rerum vicissitudines, eximia Ducis de Vandomo virtute pene compositas, amplificavit, erexit. Quare summa Imperii potestas penes eumdem Ducem in Hispaniis erat: Omnia fere nutu suo moderabatur, & fidus ejus interpres *Alberonius* populorum existimationem, & intimam Catholici Regis gratiam assequebatur. Magna idcirco volvebat animo, & majora concupibat.

Interea anno 1711. naturæ concessit *Joseph* Romanorum Imperator. Quare Regnorum Hispaniæ corona eo magis capiti *Philippi* Regis adhæsit. Nam *Carolus III.*, qui postea fuit Carolus VI. Cæsar, Hispaniam deseruit, ut Germanici Imperii hæreditatem, & titulum nancisceretur. Angli, & ipsi cum Cæsare fœdere juncti, qui in Conventu *Ultrajectensi* res Europæ confusas, & perturbatas ad ordinem, & ad concordiam revocare contendebant, serius de Pace agere instituerunt. Sed per id temporis gravis *Alberonio* obvenit calamitas. Anno enim 1712. occubuit in Hispaniis celebris *Dux de Vandomo* fautor ejus eximius. Quem *Alberonius* viventem sincera fide coluerat, eumdem morientem extremis juvit officiis, ulnisque pene suis animam agentem excepit. Depositarius etiam fuit, & executor ultimæ illius voluntatis, & spei.

Alberonius vero dolore, & calamitatibus affectus, fidenti tamen, erectoque animo in Galliam proficiscitur, ut mandata quædam, quæ defunctus ipsi commiserat, exequeretur; eodemque tempore Galliarum Regem de statu exercitus, adhuc in Hispania consistentis, certiorem faceret. Dum in Aula Magni Regis comiter, ac perurbane excipiebatur, rebusque ipse suis prospere consulebat, ex Epistolis sibi redditis Parmensis Ducis admonetur, quod ad reditum in Hispaniam se compararet tanquam ejus Legatus, seu Administer. Ibi enim ejus opera uti cogitabat Parmensis Dux, qua nuper feliciter usus fuerat: Non deses, nec invitus mandata exequitur, & lætus in Hispaniam revertitur, ubi maximis amicitiis, & Regis gratia pollebat. Revera nedum humaniter, ac peramanter exceptus est, sed Rex etiam ejus consilio frequens usus fuit. Ipse vero, ut erat Beneficiis Catholici Regis obstrictus quotidie magis, sic ingenue, integraque fide

[a] Vagliadolid.

fide quascumque Regni utilitates promovebat.

Anno 1714. extremum morte diem confecerat *Aloysia Maria* è Sabaudia Hispaniarum Regina, florida in ætate, maximis ornata virtutibus Princeps Fœmina. Regi ad novas nuptias properanti *Alberonius* persuadet, ut *Elisabeth Farnesiam* Uxorem sibi adjungat ætate nedum, & forma, moribusque præstantem, sed jura secum afferentem in Ducatum Parmæ, & Placentiæ, atque etiam in Etruriæ Magnum Ducatum. Assentitus est Rex, consiliumque probavit, utque majus momenti pondus huic rei adderetur, demandata Provincia fuit *Francisco Cardinali Aquaviva*, ut in maximo negocio authoritatem Summi Pontificis interponeret. Gaudio perfusus est *Clemens XI.*, nec minori lætitia affectus est Parmensium Dux, cui Pontifex Catholici Regis nomine *Elisabeth Farnesiam* postulavit in Conjugem. Cito conciliatæ sunt nuptiæ, & cito Regia Sponsa itineri se commisit. Ut vero Matritum Regina pervenit, Abbas Alberonius nedum in suo munere permansit Administri Ducis Parmensis, sed etiam Reginæ Minister, & Consiliarius fuit. Facilè hinc ad Regium etiam Consilium advocatur, in quo pro Regis gloria ardens zelo, & sollicitudine plura protulit & Regno valde utilia, & Populo acceptissima. Jurium quoque S. Sedis strenuus visus est in nonnullis rebus assertor. Idcirco à Clemente XI. die 12. Julii anni 1717. in Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium invectus fuit. Romam tamen venire distulit toto animo incumbens dilatandæ ejus fortunæ, rebusque Hispanicæ Monarchiæ amplificandis. Ad *Malachæ* Episcopatum ad notus fuit, pauloque post ad Archiepiscopatum translatus Hispalensem. Bullas tamen hujus postremæ amplissimæ dignitatis obtinere nequivit, Romæ obsistente Oratore Cæsareo, ipsoque Pontifice detrectante; ex quo non levia inter Pontificem, Regemque Hispanum dissidia sunt orta.

Objerat anno 1715. invictus Galliarum Rex *Ludovicus Magnus*. Quare in minori *Ludovici XV.* ætate summam rerum in Galliis obtinente Aurelianensium Duce, deferbuerat amicitia, & maxima illa necessitudo, qua Catholico Regi Gallia tota addicta erat. Noverat hoc *Alberonius*, atque à longe mentem Cæsaris penitus introspiciens, resciverat secretas ejus pactiones cum Duce Sabaudiæ, uti Siciliæ Rege initas, ex quibus, Anglia consentiente, de restituenda Cæsari eadem Sicilia conventum fuerat: Tantundem vero ipsi Duci Sabaudiæ in Agro Mediolanensi, vel alibi promittebatur. Totum hoc detexit Alberonius *Philippo* Regi, eique persuasit præripienda esse hostium consilia; ajebat enim pacta hinc *Ultrajectensis* Conventus penitus eversa esse, & spem recuperandæ Italiæ prorsus esse sublatam. Et licet Catholicus Rex ad aliud tempus bellum differre exoptaret, ne Cæsarem aggrederetur Bello Turcico ea tempestate involutum; tamen vicit *Alberonii* consilium, ne oblata omitteretur occasio.

Prætextu augendi subsidii, quod Venetæ Reipublicæ in eodem Bello Turcico irretitæ anno nuper elapso immiserat *Philippus* Rex, classem paraverat instructissimam. Naves onerarias omnes, etiamsi alienigenarum gentium, quæ in portubus erant Hispaniæ, mercede conduxit, ut pedestres copias in Italiam transveherent. Anno 1717. indicta discessio est, secundâque navigatione ad oras Sardiniæ Classis appulit, atque exercitus in Insulam descendit. Strenuus Hispanorum Dux Marchio de *Leede* rectâ *Calarim* petiit illius Regni Metropolim, atque ut imparata erant omnia, idoneoque militum numero Civitas laborabat; brevi oppugnatione in deditionem recepta est. Hujus exemplum cæteræ sequutæ sunt Civitates, & illius Insulæ Oppida, ut brevi duorum mensium intervallo tota Sardinia Hispano adjecta sit Imperio.

Infremuit Carolus Imperator, nec minori indignatione conatum *Philippi* Regis incusarunt Angli, & Galli Cæsari fœderati. Pacificatum Legati venerunt in Hispaniam; Consultationibus annus insumitur, & licet Angliæ Rex Classem ornasset munitissimam, tamen promptior fuit *Alberonii* sollicitudo, qua terra, marique multiplicatis subsidiis eadem celeritate anno 1718. Siciliam aggreditur, eademque facilitate *Panormum* oppugnat, undè non ita pridem discesserat Comes *Maffejus* Siciliæ Pro-Rex, præter opinionem impetitus. Levi impedimento Civitas Panormitana venit in fidem Hispani Regis, pauloque majori obstaculo *Messanæ* pugnatum est, quæ & ipsa ut Hispano paruit Imperio, Siciliæ Insula ferè universa in deditionem recepta est. Sed diverso penitus fato cum Anglis pugnatum est in Mari: Quippè Comes de *Castagnedo* Navium ductor Hispanarum, qui cum Anglica Classe, quæ ad oras Siracusanas pervenerat, pluries certamen detrectaverat; tandem pugnam inire coactus est. Strenuè quidem dimicavit, sed infelici prorsus eventu. Duodecim Hispanorum naves captæ sunt, cæteræ in fugam versæ. Et Anglica Classis devictis hostibus, Maris imperio potiebatur. Mulæ [a], aliæque Siciliæ Civitates, quæ nondum potestati Hispanorum accreverant, adeo copiis, munitionibus, & commeatibus firmatæ sunt, ut diutinam obsidionem substinuerint, & cunctando perditam Regni fortunam restituerint.

[a] Melazzo

Anno enim 1719., nedum cum Austriacis pugnatum est in Sicilia, sed etiam cum Gallis, qui cum Anglis fœdere juncti, bellum Hispano Regi denunciaverant. Jamque Galli in *Guipuscoæ* Provinciam irruperant; *Fontarabiam*, aliasque Civitates invaserant. Nec tamen cœptis destitit *Alberonius*, quinimo nova in dies moliebatur. *Jacobum III.* Angliæ Regem Roma profectum ad sua Regna reducere statuerat. Ducem *de Ormond* cum magno navium numero, & decenti pedestrium mil-

militum Comitatu ad litora immiserat Scotiæ, & Hiberniæ, ut alicubi appelleret, & milites educeret. Partim rem maximi momenti exequutus est, pluresque pedestres copias è navibus emiserat. Sed ab Anglis rejectus, & propulsus iterum Pelago se commisit, atque in Hispaniam redux naufragium passus est. In Sicilia quoque mutata penitus erat rerum facies, & Marchio *de Leede*, licet Austriacis victoriæ magni constarent; tamen ubique impetitus, & hostium obrutus multitudine, quotidiè loco cedere cogebatur. Tantarum author calamitatum nedum ab Hispanis, sed ab exteris quoque Alberonius habebatur. Præterea à Gallis accusabatur de secreto commercio cum nonnullis hujus Regni seditiosis, qui ut tumultum excitarent, tempus, & auxilium præstolabantur. Quod cum *Carolo XII.* Svecorum Rege fœdus iniisset in perniciem Austriacæ Domus, aliaque molitus esset, ut funditus Europæ tranquillitatem everteret. Hæc vel vera, vel ultra fidem amplificata, Principes bello pressos adeo lacessiverant, ut Hispano Regi unanimiter edixerint, pacem haberi non posse, nisi virum hunc è suis finibus expulisset. Annuit tandem *Philippus* Rex, atque ut tantis se eriperet calamitatibus, *Alberonium* dimisit, & ab Hispaniis abire jussit. Parvo deindè interjecto tempore, eodemque anno 1720. reddita fuit Europæ pax, & *Philippus* Rex pactioni illi accessit, quæ *de Quadruplici fœdere* est appellata.

Alberonius vero Italiam petens, Hispaniam magnamque Galliæ partem peragravit. Quum ad Litora tandem pervenisset Genuensis Reipublicæ, rescivit aversum sibi esse Pontificis animum, nec tutum sibi Romæ accessum patere. Scriptis enim in vulgus editis, secretisque denunciationibus illius fama impetebatur, quod ad evertendam Europæ pacem seditiosis in Gallia favisset, fœdera hæreticorum in Germania, & alibi promovisset, pluraque alia pertentasset, ipsamque fidem Catholicam

A penè in discrimen adduxisset. Diutina tamen usus patientia omnibus ignotus latuit, & plura scripsit, plura attulit documenta, ex quibus suam purgare fidem autumavit, & crimina impacta diluere. Mortuo *Clemente XI.*, à Sacro Cardinalium Collegio ad Comitia vocatur pro novo eligendo Pontifice. Electo demum *Innocentio XIII.*, nulla reperta causa ejus criminationum, absolutus fuit. Diaconia decoratur *S. Adriani*, & Sacris Congregationibus adjicitur Indulgentiarum, Reli-
B quiarum, Propagandæ Fidei, Immunitatis, & Signaturæ Gratiæ. Eamdem Diaconiam in titulum Presbyteralem immutavit *S. Chrysogoni*, deindè in alterum *S. Laurentii in Lucina*.

Comitiis iterum quum adfuerit *Benedicti XIII.*, *Clementis XII.*, & BENEDICTI XIV. In Pontificatu ejusdem *Clementis XII.* renunciari obtinuit Legatus de Latere Provinciæ Æmiliæ. Sexennio ibi permansit. Plura in utilitatem Provinciæ cogitavit, & præstitit.
C Præsertim vero Ravennates à quotidiano eluvionum periculo eripuit. Etenim duo illa Flumina *Vitis*, & *Bedesis*, nunc *Roncus*, & *Monto*, quæ ex duobus partibus Civitatem subluebant, in unum adegit alveum, & bino ab Urbe lapide fluere jussit. Opus quidem inchoaverat Cardinalis *Massejus*, sed *Alberonius* absolvit. Rempublicam *S. Marini* Æmiliæ Provinciæ finitimam ad præstandam Pontificis obedientiam adegit cum juramento fidelitatis. Rem tamen improbavit *Clemens XII.*, qui ut
D primum intellexit, non hanc esse concordem Populi mentem, Reipublicæ Civitatem, & libertatem restituit. In Pontificatu BENEDICTI XIV., qui felix regnat, Legatus dictus fuit de Latere Bononiensis Civitatis. Hoc etiam munere laudabiliter exacto tandem Placentiam se recepit, annisque, & vicissitudinibus fatigatus, privatam prorsus in Patria degit vitam.



EME-



Emericus Czacki Hungarus, Archiepiscopus Colocensis S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo Dño Nro CLEMENTE PAPA XI. in Consistorio secreto die 12. Julij 1717., et publicatus in simili Consistorio die 1. Octobris eiusdem Anni.
Obijt die 28. Augusti 1732.

Hieronymus Frezza incid.

Dominicus de Rubeis Hæres Io Iacobi, formis Romę ad Templ. S. M. de Pace cum Priuil. S. P.

LVIII.

EMERICUS CSACKI Hungarus die natus est 28. Octobris anni 1672. in ejus Feudo de *Csepusio*. Clarissimum Patrem habuit *Stephanum* Judicem Curiæ, Comitem *Csepusii*, *Tarsal*, *Bendreo*, aliarumque Dinastiarum Dominum; Matrem vero *Claram Melith* eximię nobilitatis fæminam. Vetustissima Csakiana Familia quamplures enumerat viros belli, pacisque artibus præstantes, quorum nonnulli in præliis contra Turcas persæpè commissis, pro Fide, & pro Cæsare gloriosissimè vitam fuderunt.

Emericus optimæ indolis adolescens Cassoviæ in domicilio Junioris Cleri, liberalium
A disciplinarum studiis ab egregiis institutoribus primum imbutus fuit; deindè anno 1688. Viennam ad Collegium *Pazmanianum* missus Philosophiæ triennio incubuit, suasque Theses publicè, & laudabiliter propugnatas *Leopoldo* Imperatori nuncupavit. Ut demum rebus Theologicis impensam navaret operam, Romam petiit, & in Collegio Hungarico S. Apollinaris receptus est. Profecit quidem incredibili conatu, & industria in hac altissima facultate, magna ingenii commendatione. Suas item
B Theses exposuit, & *Innocentio XII.* inscripsit. Ibi Laurea Doctorali ornatus fuit in eadem Theologica facultate.

A In Patriam redux Parochus primum, & Præpositus Collegiatæ Posoniensis Ecclesiæ, deinde Canonicus Agriensis renunciatur; Insigni etiam Abbatia *S. Gothardi* auctus fuit. Demum Episcopatui Varadiensi admovetur. Summo animi ardore, quem pietas, & prudentia moderabantur, Religionem Catholicam coluit, & propagavit; illo præsertim tempore, quo ea Provincia à rebellibus perturbabatur. Eos à Fide Romani Pontificis, à Fide Cæsaris deficientes increpavit, insectatus est. Nec sine vitæ periculo Sacra Romano more peregit:
B Gregem sibi commissum edocuit, morientibus Sacramenta ministravit, pauperes levavit, aliaque optimarum virtutum exempla reliquit. Varadini Ecclesiam majorem, & Seminarium penè à fundamentis erexit.

Anno 1710., ut amplior ejus virtuti pateret via, ad Archiepiscopatum Colocensem translatus est, retentâ tamen etiam Varadiensi Ecclesia. Exulasset penitus ex Urbe *Detreczini* fides Catholica, nisi *Csakius*, & authori-
C tate, & industria stabilem veræ Religioni locum firmasset. *Detreczinum* enim opulentissima Regni Hungariæ Civitas iis maximè Sectariis referta est, qui Helveticæ Confessionis Sectatores dici volunt. Adeòque à Romana, & Apostolica Religione abhorrebat, ut neminem in suum Civem adsciscerent, nisi ejus errores palam profiteretur. *Csakius*, ut morbum evelleret, Templum ex redditibus suis à fundamentis extruxit, quod curæ Clericorum Regularium Scholarum Piarum cum Jure
D Parochiali commendavit; aliaque gessit, ex quibus Catholica fides securior effecta est. Quatuor novas Ecclesias in Diœcesi Colocensi ex integro ędificavit, iisque Parochos prętecit Religione, & morum innocentia spectatissimos. Cœnobitas S. Pauli primi Eremitę, & S. Francisci Ordinis Cappuccinorum Varadinum invexit. Nobiles quoque Hungaros, prętertim vero eos, qui erroribus ejuratis, Orthodoxam Romanam fidem sunt amplexi, benignè fovit, eisque de vita honestè sustentanda liberaliter providit.

Tandem ad ornamentum Apostolici Regni Hungarię, & ad preces *Caroli VI.* Imperatoris *Emericus Csakius* Sacro Purpuratorum Patrum Senatui adscriptus est die 12. Julii 1717., & publicatus in alio simili Consistorio die primo Octobris ejusdem anni. Mortuo *Clemente XI.*, Vaticanis adfuit Comitiis pro novi Pontificis electione. Et evecto ad Apostolatum *Innocentio XIII.* Galerum obtinuit, & titulum *Sancti Eusebii*. Congregationibus etiam adscriptus fuit Episcoporum, & Regularium, Indicis Librorum prohibitorum, Propagandę Fidei, Indulgentiarum, & S. Reliquiarum.

Redux in Patriam piissimè vixit usque ad annum 1732. quo obiit die 28. mensis Augusti penes Varadinum in Castello à se constructo, quod *Scalka* nuncupatur. Maximis in eadem Varadini Civitate, & in altera Colocensi affectus honoribus, flebilis Patrię, flebilis Orthodoxę fidei, sepultus est Detreczinii in Ecclesia S. Annę Clericorum Regularium Scholarum Piarum olim à se constructa. Tumulo vero sequens adjectum fuit Epitaphium.

HVNGARIÆ FVLCRVM TENET HOC POST FATA SEPVLCRVM
ORBIS AMOR REGIS DEXTERA NORMA GREGIS
QVEM VIRTVS CHARVM ROMANAQVE PVRPVRA CLARVM
FECERAT ET SVAVEM MOS PROBITASQVE GRAVEM
TEMPLIS SPLENDOREM DEDERAT CLEROQVE DECOREM
ET PATRIÆ LVCEM SE POPVLOQVE DVCEM
DE CVIVS GESTIS EST FAMA RECIPROCA TESTIS
PRÆMIA QVÆ QVÆRIT VITA PERENNIS ERIT
NVNC ERGO PRINCEPS IN CÆLIS VIVE DEINCEPS
SITQVE TIBI REQVIES ET SINE FINE DIES.

Decima quarta Cardinalium Promotio habita

Die 29. Novembris anni 1719.

CLEMENS XI.

Decem Cardinales promovit. Novem evulgavit, unum vero in pectore servavit, publicavitque die 30. Septembris anni 1720
Ipsi decem Cardinales nomine recensentur.

59 Leo Potier de Gesures Archiepiscopus Bituricensis. Gallus.
60 Franciscus de Mailly Archiepiscopus Remensis. Gallus.
61 Georgius Spinula Archiepiscopus Cesareæ. Januensis.
62 Cornelius de Bentivolis Archiepiscopus Athenarum. Ferrariensis.
63 Thomas Philippus de Alsatia Archiep. Mechliniensis. Belga.
64 Ioannes Franciscus Barbadicus Episcopus Brixiæ Venetus. Hunc vero evulgavit die 30. Septembris anni 1720.
65 Ludovicus Belluga Episcopus Murciæ. Hispanus.
66 Joseph Pereyra de la Cerda. Lusitanus.
67 Michael Fridericus de Althan. Germanus.
68 Joannes Baptista Salerno è Societate Jesu. Cosentinus.



LIX.

LEO POTIER DE GESURES Gallus, nobilibus ortus Parentibus, nempè ex *Leone Duce de Gesures*, qui fuit etiam Franciæ Par, Præfectus stipatorum Regis Christianissimi, ejusdem primus inter nobiles Cubicularios, & Eques Torquatus; & ex *Maria-Francisca-Angelica du Val* lectissima Matrona. Ex his in lucem editus est die 15. Augusti anni 1656., & pie, & liberaliter educatus. Ætatem indè nactus idoneam optimis traditur magistris, sub quibus eloquentiæ incubuit, deinde vero in Philosophiæ, & Theologiæ studiis mirè profecit; atque in eadem Theologica facultate Lauream Doctoralem adeptus est in universitate Parisiensi.

Zelo, quo flagrabat Religionis, Romam venit, ut inter ejusdem Aulæ Præsules reciperetur. Hinc Prothonotarii munus assumpsit inter illos duodecim, qui *Participantes* dicuntur. Sed anno 1694. à Rege Galliarum Archiepiscopus Bituricensis eligitur. In Galliam redux Parisiis consecratus est anno 1695. à Cardinali *Cæsare d'Estræo*, cui aderant Episcopi Ebroicensis, & Claramontanus. Anno 1710. Comitiis adstitit Cleri Gallicani Parisiis congregati, illique præfuit tamquam caput

put Anno 1715., quum Parisiis pariter idem Clerus coactus esset. *A Stanislao Lenziſkio* tunc Poloniæ Rege, & Augusti Regis æmulo nominationem obtinuerat ad Cardinalitiam Dignitatem, Hanc autem nominationem aliquo interjecto tempore confirmavit ipse Rex Augustus, cui *Leonis* virtutes perspectæ erant. *Hinc Clemens XI.* in hac ejus promotione diei 29. Novembris anni 1719. eum inter Cardinales recensuit.

Pastorali intentus Ecclesiæ suæ regimini, plura edidit pietatis, & liberalitatis monumenta. Numquam tamen sacra ornatus Purpura Romam venit. Quare nec Titulum, nec

A

B

Galerum Cardinalitium obtinuit. Romani tamen Pontificis eximius cultor, novatoribus authoritatem Romanæ Sedis impetentibus, constanter obstitit. Puritatem vero Catholicæ Fidei nedum in sua Diæcesi, sed ubique locorum impavide vindicavit; idque scriptis in vulgus editis palam fecit. Anno 1722. Consecrationi adstitit *Ludovici XV.* Galliarum Regis. Anno 1724. Commendator dicitur Regii Ordinis Sancti Spiritus. Ætate demum laboribusque confectus obiit in fundo suo in agro Parisiensi diei 11. Novembris anni 1744. annum agens 87. (*a*).



FRAN-

(*a*) Gall. Christian. Tom. 2. pag. 110. Histor. Genealog. Galliæ Tom. 4. pag. 772.



L X.

FRANCISCUS DE MAILLY Gallus, cujus prænobilis Familia vetustissimam ex Picardiæ Provincia ducit originem, Patrem habuit Marchionem *Ludovicum de Mailly*, Matrem vero *Joannam de Monchy - Moncaurel* Marchionissam de *Nesle*. Ex his præclaris genitoribus natalia sortitus est die 4. Martii an. 1658. Paternis adactus stimulis, sed magis egregia fretus indole, studiis Literarum impense incubuit, atque in Sorbonica Domo Lauream consecutus est Doctoralem.

A

B

Regi primum ab Eleemosynis, deindè Abbas *Sancti Martini Masciacensis*, & de *Flavigny* anno 1693. designatur. Anno vero 1697. Archiepiscopus dicitur Arelatensis [a]. Anno sequenti consecratus in Ecclesia S. Victoris Parisiensi ab Emo Cardinali *Tussano de Jamson Fourbin*, & à Romano Pontifice Pallio donatus est.

Die 12. Julii anni 1710. cum *Ludovicus XIV.* ad Archiepiscopatum Remensem [b] transtulit, cujus anno insequenti possessionem cœpit ma-

gna

[a] D' Arles.

[b] Rhens.

gna gestientis populi frequentia. Eodem anno Comitiis extraordinariis Cleri Gallicani Parisiis coacti astitit, & præfuit.

Zelo Catholicæ Fidei, & promovendæ Ecclesiasticæ Disciplinæ adeo claruit, ut eum Motu proprio *Clemens XI.* inter Cardinales recensuerit in hac Promotione diei 29. Novembris anni 1719. nec Regi displicuit inopina *Francisci* provectio, & fortuna; imo Pa- A risiis delatum Biretum Cardinalitium manu sua ipsi imposuit, novaque pingui Abbatia *Sancti Stephani de Caen* illum ditavit.

Quum Romam non venerit, nec Titulum, nec Petasum Cardinalitium obtinuit, nec ullis Congregationibus adscriptus fuit. Morbo enim correptus brevi interiit die 13. Septembris anni 1721., sepultusque est in ejus Ecclesia Metropolitana (a).



GEOR-

(a) Gall. Christian. Tom. I. pag. 594., & 595. Histor. Genealog. Franciæ Tom. 3.



Georgius Spinula, Archiepis. Cæsareæ, apud Cæsaream Maiestatem Apostolicæ Sedis Nuntius, Ianuensis, S.R.E. Episcopus Cardinalis Creatus in Consistorio Secreto a SS.mo D.N. CLEMENTE PAPA XI. die 29. Nouembris 1719.

Obijt die 17 Januarij 1739

Gaspar Massi sculp.

Laurent. Philipp. de Rubeis Calcographus Vatican. Fibil. q. Dom. Hæredis Io. Iacobi form. R. ad T.S. M. de Pace cum Priv. S.P.

L X I.

GEORGIUS SPINULA Genuensis die natus est 5. Junii anni 1667. ex patriciis, eximiisque Parentibus *Christophoro*, & *Ersilia* filia *Joannis Baptistæ Centurioni*, qui Dux Reipublicæ Genuensis, & Princeps in Patria sua non ita pridem evaserat. Paterna primum in Domo officiis imbutus Christiani hominis, & rudimentis Literarum, Senas inde traductus est in Collegio nobilium Ptolomæorum, ut à Patribus Societatis Jesu ad graviores disciplinas institueretur.

A

Hoc posito pietatis, & literarum tyrocinio, Romam se contulit; ac postquam Legali facultati incubuerat, & Doctoratus insignibus ornatus fuerat, referendis in Signatura Gratiæ, & Justitiæ libellis anno 1695. ab *Innocentio XII.* addictus fuit.

Statim Ferrariæ Prolegatus dictus est. Inde Centumcellensi Gubernio præfuit; mox Viterbii, & demum Perusii Civitati datus est Prætor. Sub *Clemente XI.* ad majora vocatus Ecclesiæ munera, Quæsitor primum Fidei dicitur in Insula Melitensi: Inde Romam revocatur, & Præceptor, seu Commendatarius renunciatur Nosocomii, & mensæ nummulariæ S. Spiritus in Saxia. Demum anno 1711. ad Carolum Austriacum de Hispanicæ Monarchiæ successione cum *Philippo* Andegavensium

B

Duce contendentem allegatur Nuncius Apostolicus, & Archiepiscopus dicitur Cæsareæ. Barcinonæ in Hispaniis manebat *Carolus* Austriacus, sed certior factus de immatura morte Fratris sui *Josephi* Cæsaris, statim in Germaniam remigrare decrevit. Eum in itinere sequutus est Georgius *Spinula*, atque apud eum omnium votis in Imperatorem electum remansit in ipsa Nuncii Apostolici Dignitate. Supremo hoc Magistratu strenue functus est usque ad annum 1719., in quo inter Cardinales *à Clemente XI.* in hac celebri Promotione evulgatos die 29. Novembris ipse quoque in S. Senatum invectus est.

Pileolum ad illum detulit Cardinalatus insigne, Præsul eximius *Joseph Spinelli* tunc Papæ Cubicularius, nunc emeritus Cardinalis, & Neapolitanæ Urbis Archiepiscopus. An. 1720. Aprili mense Romam advenit. Tunc Titulum obtinuit *S. Agnetis* extra mœnia. Et pluribus Sacris Cardinalium cætibus adjectus fuit.

Mortuo *Clemente XI.* Vaticana celebravit Comitia, atque electo *Innocentio XIII.*, statim ab eo à Secretis Status assumptus est, & primus Sanctioris Consilii administer. In omnibus præterea Urbis Congregationibus ad ferendum suffragium accitus est. Hinc rerum omnium, quæ in hoc Pontificatu laudabiliter gesta sunt, vel author extitit, vel adjutor.

Mortuo *Innocentio XIII.*, rursumque electo *Benedicto XIII.*, anno 1728. Bononiam de Latere Legatus missus est. Ut naturæ concessit *Benedictus XIII.* Vaticana iterum celebravit Comitia, electo vero *Clemente XII.*, ad suam rediit Bononiæ Provinciam.

Ineunte anno 1731. obierat Antonius Parmæ Dux, & ultimus Serenissimæ Farnesiæ Familiæ superstes, *Clemens*, ne jura S. Sedis negligeret, eumdem Cardinalem Spinulam Bononiæ consìdentem, Parmæ, & Placentiæ de Latere Legatum pronunciavit, & Præsulem *Jacobum Oddi*, nunc pariter inter Cardinales relatum, Commissarium Apostolicum designavit, ut ejusdem Ducis viduæ *Principi* auxilio essent, & Dominium in ea Ditione pro Sancta Sede tenerent. At Comes Stampa Austriaci Ductor exercitus consilia Pontificis prævertrat. Germanisque eductis copiis Principatum invaserat, atque Urbes tenebat nomine, ut ajebat, *Caroli* Hispaniarum Infantis.

Absoluta Bononiensi Legatione Romam rediit, suisque, quibus adjectus fuerat, Congregationibus aderat assiduè. Præfectura insuper ornatus fuit Immunitatis Ecclesiasticæ, & Artis Agrariæ. Die 15. Decembris anni 1734. ad Titulum ascendit *S. Mariæ Transtyberim* inde in Ordine Episcopali Prænestinus etiam emersit Episcopus.

Quum integra usque adhuc, & robusta fuisset valetudine, exeunte anno 1738. ægrotare inceperat. Die 17. Januarii anni 1739. Syncopem in corde passus, dum e lecto consurgeret, statim occubuit. Justa illi exequialia peracta sunt in Ecclesia S. Ignatii adstante universo Cardinalium cœtu. Inde corpus ejus ad Ecclesiam Parochialem *Sancti Salvatoris de Cuppellis* translatum, humatumque fuit cum ejus marmorea effigie, sub qua sequens legitur Inscriptio.

D. O. M.
GEORGIVS S. R. E. CARD. SPINULA
EPISCOPUS PRÆNESTINUS

Subtus vero eamdem marmoream effigiem tumulus assurgit item marmoreus, cui sequens elogium adjectum est.

GEORGIO CHR. F. S. R. E. CARD. SPINVLA
PONT. PRÆNEST. CLEMENT. XI. PONT. MAX.
FERRARIÆ PROLEGATIONE PATRIMONII
ET VMBRIÆ PRÆTVRA PONTIFIC. MELIT.
CENSVRA LEGATIONE
DIFFICILLIMIS TEMPORIBVS OBITA
BARCINONEM TVM VINDO''ONAM
AD CAROLVM CÆSAREM AVGVSTVM
HISPANIARVM REGEM
EGREGIE FVNCTO
IN S. R. E. PRESB. CARD.
TIT. S. AGNETIS RELATO
INNOCENTII XIII. PONT. MAX.
PRIMO RERVM GERENDARVM ADMINISTRO
BENEDICTO XIII. PONT. MAX.
BONONIAM CVM PROCOS. POTEST. LEGATO
REI AGRARIÆ
ET SACROR. LIBERT. TVENDA PRÆFECTO
REBVS VNDIQVE OPTIME GESTIS GENVÆ
NON. IVN. PATRITIO MAIORVM GENTIVM
BONO REIP. NATO ANN. MDCLXVII.
OBIIT VRBE XVI. KAL. FEBR.
ANNI MDCCXXXIX.
VIX AN. LXXI. MENS. VII. DIES XII.
FELIX FRATER EX ASSE HÆRES P.



Cornelius Bentiuolus, Archiepis. Carthaginiensis, apud Galliarum Regem Apostolicę Sedis Nuntius, Ferrariensis, S.R.E. Præsbyter Cardinalis Creatus in Consistorio Secreto à SS.mo D.N. CLEMENTE PAPA XI. die 29. Nouembris 1719.

Dominicus de Rubeis Hæres Io. Iacobi formis Romæ ad Templ. S. M. de Pace cum P. S. Pont.

LXII.

CORNELIUS BENTIVOLUS FERRARIENSIS ex vetustissima gente, atque in Historiis sæpius commemorata, Natalia sortitus est die 27. Martii anni 1668. Clarissimos habuit Genitores, nempè Marchionem *Ippolitum*, & *Lucretiam Pio* de Sabaudia. Optimis à pueritia usus est institutoribus, & sub eorum disciplina plurimum profecit. In Patria etiam majores hausit facultates, Philosophiam, Theologiam, & Jurisprudentiam.

Idoneus tandem habitus ad publica ipse munera capessenda, ætate satis adulta Romam venit, atque ineunte *Clementis XI.* Pontificatu inter Præsules Romanæ Curiæ adscribi me-

A ruit. Vacabat ea tempestate in Tribunali Rotæ Romanæ Sedes uni ex nobilibus Ferrariensibus reservata. Hanc petierat, diuque *Cornelius* exoptaverat. Spe tamen frustratus fuit, quum Præsul *Hieronymus Crispius* Civis suus XII. Vir renunciatus est ejusdem Tribunalis.

Abundè tamen *Clemens XI.* hanc *Cornelio* jacturam reparavit. Eum quippè Clericum dixit Cameræ Apostolicæ, & Militiæ Pontificiæ Præsidem, quem dicunt, *Commissarium Armorum*. Hæc duo præclara munera libens ipse

B obivit, nedum quia utiliora, sed etiam quia ad ejus fortunam citius promovendam aptiora videbantur. Quare strenuè, pluresque per an-

annos hisce functus est Magistratibus; tandem anno 1712. evecto ad Sacræ Purpuræ honorem *Cardinali Augustino Cusano*, qui in Galliis Nuncius extiterat Apostolicus; *Cornelius* ipsi sufficitur in hoc amplissimo Ministerio.

Archiepiscopus ergo dictus est Athenarum, & in Gallias missus, quo tempore celebres ardebant controversiæ in Causa Quesnelliana. Ut has Lites dirimeret anno 1713., evulgaverat *Clemens XI.* famigeratam Constitutionem *Unigenitus*. Eximia alacritate, ac fide, sed nimio forsan ardore *Bentivolus* tutatus est Pontificiam authoritatem. Grata tamen plures per annos Gallis extiterunt *Cornelii* officia. Sed ubi naturæ concessit *Ludovicus Magnus*, & in minori novi Regis ætate, summa rerum potitus est *Philippus* Aurelianensium Dux; tunc *Cornelius* suspectus haberi cœpit. Ne res in Galliis perturbatæ magis exasperarentur, eum *Clemens XI.* revocavit, & Ferrariæ jussit consistere; Ibique proximam dignitatem Cardinalitiam expectare.

In hac igitur solemni Cardinalium enunciatione habita die 29. Novembris anni 1719., & ipse in Sacrum Purpuratorum Patrum cœtum relatus est.

Romam advenit, titulumque obtinuit *S. Hieronymi Illyricorum*. Congregationibus etiam adlectus fuit Sacræ Consultationis, Propagan-
A dæ Fidei, & Rerum Consistorialium, eodemque tempore Æmiliæ Legatus de Latere dictus est. Sexennio Provinciam administravit.

Anno 1726. in Pontificatu *Benedicti XIII.* Romam redux Regnorum Hispaniæ renunciatus est in Urbe administer. *Poetæ Papinii Statii* Libros XII. Thebaidos, seu de captis à Theseo Thebis ex Latinis in Italos versus transtulit non invita Minerva. Hunc Librum Typis edidit Romæ anno 1729. sub mutuato nomine *Selvaggii Porpora*. Anno 1730. Titulum *S. Hieronymi Illyricorum* in alterum immutavit
B *S. Cæciliæ*. Vivere tandem desiit die 30. Decembris anni 1732. Corpus ejus ex Regio Hispaniarum Palatio ad Ecclesiam ejus Titularem translatum fuit, ibidemque justis exequialibus peractis à Sac. Collegio tumulatum fuit cum hac Epigraphe.

HIC IACET
CORNELIVS TITVLI S. CÆCILIÆ
PRESB. CARDIN. BENTIVOLVS DE ARAGONIA
FERRARIEN.
C PRO CATHOLICO HISPANIARVM REGE
PHILIPPO V.
APVD APOSTOLICAM SEDEM ORATOR
VIX. ANN. LXIV. MENS. IX. D. III.
OBIIT ANNO SALVT. MDCCXXXII. III. KAL. IAN.

Vaticana celebravit Comitia pro electione *Innocentii XIII.*, *Benedicti XIII.*, & *Clementis XII.*





LXIII.

THOMAS PHILIPPUS DE ALSATIA Belga ex præclarissimo *Boussuviorum*, nunc Principum *Chimacensium* sanguine ortus. Patrem habuit *Philippum Ludovicum* de Alsatia Comitem de *Boussu*, Principem de *Chimay*, & Sac. Rom. Imp., item & Aurei Velleris Equitem; Matrem vero *Annam Ludovicam de Verreycken*. Ex his eximiis Genitoribus Bruxellis in lucem editus est die 12. Novembris anni 1679., atque optimæ Indolis adolescens in Regio Bruxellensi Collegio educandus traditur. A Rege Catholico *Carolo II.*, quum Thomas viridem adhuc ætatem ageret, Gandavensis Ecclesiæ Præpositus renunciatur. Romam indè petit, A & prius in Collegio Germanico S. Apollinaris, deindè in Seminario Romano impensam sacris studiis navavit operam. Absoluto Theologiæ cursu, ac in frequentissimo Præsulum, & Doctorum hominum cœtu publicè Thesibus propugnatis, in eadem Urbe Roma, Laurea Doctorali ornatus est. Mox piæ ejus vocationis adactus stimulis, Sacerdos efficitur, & Clementis XI. Cubicularius honoris renunciatur.

B Anno 1702. in Patriam rediens, ab Episcopo Gandavensi nedum examinator Synodalis, sed in ejus absentia Vicarius etiam dicitur Generalis. *Clemens XI.*, qui maximi virum hunc facie-

ciebat, eum anno 1713. ad Iprensem Episcopatum destinaverat, sed paulo post à *Carolo VI.* Cæsare Archiepiscopus dicitur Mechliniensis, & Belgii Primas. Sed obortis nonnullis difficultatibus, & re diutius protracta, Viennam Austriæ se contulit, ubi tandem expedita reddidit omnia, & anno 1716. à S. Sede confirmatus, consecratus fuit à *Georgio Spinula* Archiepiscopo Cæsariensi, & apud eumdem Cæsarem Nuncio Apostolico. Indè Mechliniam pergens, & Ecclesiæ suæ solemniter possessionem capiens magno Procerum, & in Belgio Magnatum plausu, ac lætitia exceptus fuit. Die 20. Martii sequentis anni 1717. Pallio ornatus est. Præterea eum Cæsar inter intimos Status Consiliarios adnumeravit.

Clemens XI. Virorum virtute præstantium cognitor, & admirator eximius, eum 29. Novembris anni 1719. Cardinalem renunciavit. Mortuo vero *Clemente* XI. ad Comitia Vaticana Thomas advenit, & *Innocentio XIII.* suffragatus est. Tunc Cardinalitium Petasum, & Titulum nactus est *S. Cæsarei*, quem multo interjecto tempore in alterum immutavit *Sanctæ Balbinæ*. Adstitit etiam Conclavi *Benedicti XIII.*, *Clementis XII.*, & BENEDICTI XIV., & eximios hos Pontifices calculo suo semper promovit.

Congregationibus adscriptus est Concilii Tridentini, Propagandæ Fidei, Sacrorum Rituum, Indicis Librorum prohibitorum, & disciplinæ Regularium, sedet adhuc in Ecclesia Mechliniensi, & zelo Religionis, & morum severitate, nedum suæ Diœcesis, sed totius Belgii fulget exemplar, & lumen (*a*).



JOAN-

(*a*) Gall. Christian. Tom. 5. pag. 22.



LXIV.

JOANNES FRANCISCUS BARBADICUS Venetus die natus est 29. Aprilis anni 1658. præclarissimis Parentibus, nempè *Marco Antonio* Procuratore Divi Marci, & *Clara Duodo*. Ex Fratre Nepos erat *Gregorii* alterius Cardinalis *Barbadici* Episcopi Patavini, alteri vero Cardinali *Marco Antonio Barbadico* Episcopo Montis Falisci Affinis, & Agnatus. Parem egregiis natalibus nactus est educationem. Pietatem à pueritia, literarumque rudimenta, plena exinde pubertate, cultiores hausit disciplinas. Profana tamen indutus B veste Patriæ inservire, & gravissima Reipu- A blicæ munera obire instituerat, juxta majorum exempla.

Vix adolescentiam exegerat, quum ad arduum *Magni Sapientis*, ut dicunt, officium admovetur in Patria. Aliquot indè emensis annis Orator designatur ad *Ludovicum XIV.* Gallorum Regem. At Religionis instinctu sæcularibus curis postpositis, Clericalem vitam arripuit. Brevi Primicerius renunciatur Ecclesiæ Ducalis Divi Marci; tantaque etiam apud *Innocentium XII.* crevit existimatione, & laude, ut post mortem Præsulis *Leoni* vacanti Ecclesiæ Veronensi Episcopus exinde datus fuerit.

rit. Quam sui expectationem excitaverat, luculenter implevit; & piissimus Pastor ubique vigil, ubique præsens emersit. Gregem sibi commissum Evangelico pavit eloquio, illique exemplo anteivit. Infirmis, præsertim verò morientibus etiam in Xenodochiis, spreto quocumque vitæ periculo propria manu Sacramenta ministravit. Cardinalis *Augustinus Fabronus* maximus erat Barbadici extimator. Hic auctor illi fuit, ut Veronæ Episcopatum dimitteret, & ad alterum Brixiæ gradum faceret. Spem illi injecit, ut si ita Romano Pontifici morem gereret; ad maximam Ecclesiæ dignitatem, scilicet ad Sacræ Purpuræ honorem eveheretur. Renuebat Barbadicus, nec facilè à suo Veronensi Populo patiebatur divelli. At *Clemens XI.* virum modestè, atque obdurato nimis animo recusantem imperio Religionis deterruit. Vacanti primum Brixiensi Ecclesiæ illum admovit, deinde inter Cardinales retulit hac die 29. Novembris 1719. Decem tamen mensibus eum in pectore retinuit, & non nisi evulgavit quam die 30. Septembris anni 1720.

Virum numeris omnibus clarissimum nec minus *Innocentius XIII.* observavit, dilexit. Ut enim ejus egregia virtus facilius, & largius cæteris exemplo esset, anno 1723. die 20. Januarii ad vastissimum Patavii Episcopatum eum transtulit, qui morte Cardinalis *Georgii Cornelii* nuper vacaverat. Quam Veronæ, quam Brixiæ integerrimam vitam exegerat, eamdem prorsus egit in Ecclesia Patavina cum magno Religionis incremento. Diœceses sibi commissas lustravit, inspexit. Ad montes, & inhospita loca pervenit. Seminaria amplificavit, Clericosque moribus sanctissimis imbuit. Cœ-

A nobia præsertim Virginibus Deo Sacris ædificavit, idoneisque redditibus instruxit. Clericos vel ad Sacros Ordines initiandos, vel sanctimonialium Confessionibus, aut animarum curæ præficiendos, nonnisi pietate, & scientia præditos elegit. Propterea in probos, doctosque viros liberalis munificus, in pauperes vero effusissimus fuit; quos, ne sacræ doctrinæ pabulo destituti vagarentur, piis juvit largitionibus, coegitque, ut Christianæ Chatechesi singulis diebus festis interessent. *Mariam Ca-*

B *simiram* Poloniæ Reginam Verona pertranseuntem in suo Episcopali Palatio splendidissime excepit. Ibi scripta *S. Zenonis* Episcopi Veronensis avidissimè conquisita collegit, publicique Juris fecit. Opera etiam *S. Gaudentii* partim obliterata, vel oblivione deleta pari diligentia rursus edidit. Historiam ejusdem Ecclesiæ Veronensis, eruditis viris demandatam, similiter Typis dedit. Elogia demum Virorum illustrium ejus præclarissimæ Familiæ in unum volumen coacta, pari nitore, ac ma-

C gnificentia exsculpta in vulgus misit.

Titulum Presbyteralem *SS. Petri*, *& Marcellini* nactus fuerat. Bis Romæ Vaticana Comitia celebravit, nempè pro electione *Innocentii XIII. Benedicti XIII.* Cardinalem Gregorium *Barbadicum* ejus Patruum, & in Episcopatu Patavino Antecessorem maximè sibi imitandum proposuit. Plurimum etiam adlaboravit, ut hic Venerabilis Dei Servus vitæ sanctimonia ubique commendatus, inter Beatos referretur. Id tamen assequi non potuit.

D Obiit die 27. Januarii anni 1730., & in eadem Cathedrali Ecclesia Patavina propè tumulum ipsius Cardinalis *Gregorii* ejus Patrui sepultus est.



Lu-



Ludouicus Belluga e Moncada Hispanus, Episcopus Carthaginiensis, S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus in Consistorio Secreto à S. Smo D.N. CLEMENTE PAPA XI. die 29. Nouembris 1719.
Obijt die 22. February 1743

Dominicus de Rubeis Hæres Io. Iacobi formis Romæ ad Templ. S. M. de Pace cum P. S. P.

LXV.

LUDOVICUS BELLUGA ET MONCADA Hispanus die natus est 30. Novembris anni 1662. in Oppido Motril, quod in Regno Granatæ situm est. Nobiles habuit Parentes, nempe *Aloysium*, *& Mariam Annam del Castiglio*; Ubi prima in puero effulsit juventus, statim eximia pietatis indicia emerserunt. Ætatis respuebat delicias, & corporis voluptates. Ad perdiscenda Literarum rudimenta Illiberim prius mittitur in Gymnasio Patrum Societatis Jesu, Hispalim deinde traducitur, ut in majori illius Civitatis Collegio ad altiores disciplinas gradum faceret.

Adeo in studiis præsertim Theologicis pro-

A fecit, ut 23. annos natus inter Senticenses primum Canonicos, deinde inter Cordubenses cooptatus fuerit. Ad eamdem Theologicam facultatem explicandam delectus fuit, & magnopere in hoc docendi genere cœteris anteivit. Quidquid ex hoc pingui Sacerdotio, quidquid paterna ex domo pecuniæ retrahebat, reservata sibi frugali dumtaxat alimonia, reliquum omne in Presbyteros S. Philippi Nerii erogabat. Adeo eorum vivendi genere, eorumque instituto delectabatur, ut iis sodalem, B & contubernalem se dederit. Geminam hinc utrobique personam laudabiliter sustinebat. In Cathedrali scilicet Ecclesia Canonicus exi-

mius divinas laudes canebat assidue, in æde vero eorumdem Presbyterorum disciplinam, & sodalitatis officia strenue persequebatur. Ægrotantibus præsto erat, crimina sua confitentes frequens audiebat. Sæpe etiam ex suggestu assurgebat, nitidisque concionibus Christianæ Fidei rudimenta Cordubensem Populum edocebat. *Petro* Cardinali *de Salazar* tunc Cordubensi Antistiti arcta consuetudine amicus, & familiaris erat. Hic *Ludovici* admirator eximius ægre admodum patiebatur tantam dudum virtutem delitescere. Hinc ubi prima se præbuit occasio, summa ope nisus est, ut Carthaginensium Episcopatui admoveretur. Quod & obtinuit & *Ludovicum* recusantem Religionis terrore impulit, ne Dei voluntati diutius obsisteret. *Ludovicus* non ut imperaret, Dignitatem admisit, sed ut Deo serviret, & Pauperum egestati, populique sibi commissi utilitati consuleret. Cuncta vigilantissimi Pastoris munia strenue exequutus est. *Philippum V.* Hispanorum Regem adeo coluit, ac dilexit, ut nedum ejus beneficia grata memoria prosequutus fuerit; sed ad ejus fidelitatem, & obedientiam palam, & per Plateas & compita populum excitaverit. Eumdem de Hispanica Monarchia cum Archiduce Austriæ contendentem, insignibus juvit officiis. Plebem, præsertim vero milites, urgebat, ut ejus fortunæ adhærerent, ut se, vitasque suas pro ejus incolumitate in discrimen offerrent. Hac se lege, & naturæ imperio putabat obstrictum. Non modo hinc novas dignitates non appetebat, sed oblatas constantissime recusavit. Quinimo sæpe Regem admonebat, ut se Pontificiæ authoritatis defensorem, & Ecclesiasticæ libertatis assertorem præberet.

Virum hunc vere Apostolicum *Clemens XI.* Sacra Purpura condecorare decrevit. Idque præstitit hac die 29. Novembris anni 1719., qua eum non modo non rogantem, sed ne cogitantem quidem in Sacrum Senatum invexit. Sed ubi nuntium illi perlatum est, Pontificiæ voluntati obsistere non dubitavit, collatumque honorem palam rejecit. Maximè cunctandum fuit; datis, iterumque ad eum datis litteris, *Clemens* serio, ac pervicaciter obsistentem coercuit, atque obedientiæ Religione acquiescere jussit.

Nova superaddita majestas mores pristinos non mutavit; solita in victu frugalitas, sed imo majori severitate præter indicta Christianis cunctis jejunia, alia sibi ille sponte indicebat. Flagris, ferreisque catenis corpus affligebat. Barbatus incedebat. In egenos effusissimus erat. Christianis etiam sub Barbarorum captivitate degentibus multam pecuniæ vim sæpe largiebatur, ut eos ab animæ, corporisque periculo eriperet. Principem Mauritanorum Regno pulsum, quum Romam pervenisset, ut ejurato errore Christianam Religionem amplecteretur, large suis opibus enutrivit, eumque *Clementi XII.* maximopere commendavit. Plures ex Chaldæa, ex Syria, ex Ægypto profugos vel Cænobiarchas, vel Episcopos munifice aluit. Plures de vera Christi doctrina libros edidit. Illum præcipue, quem de orthodoxa veritate exaraverat, Arabice reddendum curavit, ut pura, & incorrupta fides in ignotis etiam gentibus consisteret. Quinimo ut Fidem Catholicam ira, odioque Alexandrini Coptitarum Patriarchæ in Ægypto exagitatam proveheret, erigeretque; anno 1734. *Stephanum Evodium Assemannum* Archiepiscopum Apameæ ad eumdem Patriarcham misit cum epistolis, donisque amplissimis. Hic vero consilia pacis injecit, ipsumque Patriarcam adeo mollivit, ac flexit, ut supra quindecim millia Catholicorum capita nunc eo in Regno censeantur, & responsa retulerit ejusdem Patriarchæ ad Romanum Pontificem, quibus Apostolicæ Sedis primatus, ejusque in cæteras Ecclesias suprema authoritas declarabatur.

Romæ Protector dictus Regnorum Hispaniæ, Religionis incremento maximopere studuit. *Benedictum XIII.* assidue urgere non destitit, donec Constitutionem evulgaverit suam (*a*) qua Cleri Hispanici Reformationem indixit, certasque leges adjunxit pro Clericorum institutione, pro Sacerdotum, & totius Ecclesiasticæ Hyerarchiæ moderatione, & Gubernio.

Titulum Presbyteralem *S. Mariæ Transpontinæ* in alterum immutavit *S. Priscæ*. Anno 1737. hoc etiam dimisso, alterum obtinuit *S. Mariæ Transtyberim*. Demum ad alterum gradum fecit *S. Praxedis*.

Mortuo *Clemente XI.* Romam venit; & licet novi Pontificis electioni adesse non potuerit maxima tamen perfusus est lætitia, quum *Innocentium XIII.*, jam electum, & Coronatum invenit. Vaticana postmodum celebravit Comitia pro electione *Benedicti XIII.*, *Clementis XII.*, & BENEDICTI XIV. Congregationibus adscriptus erat Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Sacrorum Rituum, Immunitatis Ecclesiasticæ, Indulgentiarum, & Propagandæ Fidei.

Tandem meritis, atque annis gravis, omnibus Summis Pontificibus probatissimus, & vitæ sanctimonia clarus, obiit die 22. Februarii anni 1743. ætatis ejus 81. Sepultus est in Ecclesia S. Mariæ in Vallicella, postquam Sacer Cardinalium cœtus, adstante ipso Romano Pontifice BENEDICT. XIV., illi parentaverat. Ipse vero Summus Pontifex, ut mortuo eamdem benevolentiam testaretur, quam viventi exhibuerat, Tumulo hanc apponi jussit Epigraphen, prout sequitur.

LV-

(*a*) Hæc Bulla Benedicti XIII. incipit - In supremo

D. O. M.

LVDOVICO BELLVGA HISPANO
EX EPISCOPO CARTHAGINENSI
INVITVS ET RENVENS A CLEMENTE XI. P. M.
IN S. R. E. CARDINAL. COLLEGIVM COOPTATVS
HISPANIARVM APVD S. SEDEM PROTECTOR
IVRIVM ROMANÆ ECCLESIÆ VINDEX
HOC VNVM CVRAVIT
VT DEO NON HOMINIBVS PLACERET
VIR APOSTOLICO PROPAGANDÆ FIDEI ZELO
FLAGRANTISSIMVS
ECCLESIASTICÆ DISCIPLINÆ ASSERTOR
DE ALIMONIA PAVPERVM


A

DE INSTITVTIONE CLERICORVM
DE EDVCATIONE IVVENTVTIS SOLLICITVS
COLLEGIA SCHOLAS PIAS DOMOS SEMINARIA
ÆRE SVO FVNDAVIT

BENEDICTUS XIV. PONT. MAX.
PERENNE HOC AMORIS SVI MONVMENTVM
P. C. VIX. AN. LXXX. M. XI. D XXIII.
OB. IX. KAL. MART. AN. R. S. MDCCXLIII.
HIC EX TESTAMENTO
VNA CVM S. PHILIPPI NERII FILIIS FILIVS
IPSE ET CONGREGATIONIS PROPAGATOR
RESVRRECTIONEM EXPECTAT

B





L X V I.

JOSEPH PEREIRA DE LA CERDA Lusitanus die natus est 7. Junii anni 1662. in oppido Moræ sito in Provincia trans Tagum. Nobilissimos habuit Genitores, nempè *Petrum Pereira* ex præclara Dominorum de *Ficaglio* Familia, & *Antoniam de Britto*. Vix pueritiam egressus, Coimbriæ Sacrarum Rerum scientiis, ac Theologiæ totum se tradidit. Tantam earumdem notitiam summa cum probitate conjunctam adeptus est, ut in eadem celebri Universitate Sacrorum Canonum Cathedram obtinuerit, ac in Causis ad Fidem A spectantibus Eboræ cognoscendis de more consuli meruerit.

In Ordine militari *S. Jacobi de Spata* nuncupato Magnus Prior à Rege deputatus, mirificam ad illius splendorem augendum, & ad Jurisdictionem ampliandam navavit operam. Totius Algarbiorum Regni Pro-Rex simul, & Episcopus renunciatus, ardentissimi, quo in B Deum flagrabat zeli, ac in Regem suum fidelitatis, egregia monimenta in dies exhibuit. Demum inter S. R. E. Cardinales ad preces *Joannis V.* Lusitanorum Regis in hac solemni

enun-

enunciatione diei 29. Novembris anni 1719. relatus est. Romam post obitum *Clementis XI.* ad Cardinalium Comitia quam citissimè, unacum Cardinali *de Cunha*, pervenit, ubi quum jam electum, coronatumque reperisset *Innocentium XIII.*, ab eo Titulum recepit *Sanctæ Susannæ*, Congregationibus etiam adscribi obtinuit Concilii Tridentini, Immunitatis Ecclesiasticæ, Indulgentiarum, Sacrarum Re- A liquiarum, Indicis Librorum prohibitorum.

Eo quo Romæ consedit tempore, plura reliquit sapientiæ, & munificæ comitatis argumenta. Nec minora Religionis, & liberalitatis specimina exhibuit, quum in Sedem suam se recepit. Ibi piissimam explevit vitam, atque in sua Pharaonensi Ecclesia tandem naturæ concessit die 19. Septembris anni 1738.



Mi-



LXVII.

MICHAEL FRIDERICUS DE ALTHAN Germanus die natus est 20. Junii anni 1682. in Civitate *de Glatz* in Boemia. Ibi præclara ejus Familia titulis fulget, maximisque affinitatibus. Patrem habuit Comitem *Michaelem Wenceslaum*, qui Leopoldi Cæsaris Consiliarius fuit, deindè Orator ad Regem Sveciæ, demum Moraviæ Præfectus; Matrem verò *Annam Mariam de Aspremont* præstantissimam ex Belgio Matronam. Piè, ac liberaliter institutus, in amplissima paterna Domo, deindè in Aula Cæsaris eximiis affectus est Beneficiis.

Annum agens decimum octavum, exactis A jam Rethoricæ, & Philosophiæ studiis, die 4. Martii anni 1700. Romam venit in Seminario Romano sub disciplina Patrum Societatis Jesu. Idoneus habitus ad dogmata Theologiæ capessenda, huic altissimæ facultati sedulum adjecit animum. At vix paucis elapsis mensibus, Viennam revocatur. Ibi, legali etiam disciplinæ impensam navavit operam. Gratiam, & clientelam, quam apud *Leopoldum* Imperatorem *Michael Fridericus* invenerat, eamdem prorsus apud *Josephum*, & *Carolum VI.* Cæ- B sares luculenter est assequutus. Anno igitur 1713. quum vacaret in Romana Rota Sedes uni ex Germaniæ nobilibus reservata, ad hanc ex

ejus-


ejusdem Cæsaris nominatione *Michael Fridericus* admotus fuit. Litibus ergo judicandis XII. Vir in illo eximio Tribunali præpositus, mirifica claruit integritate. At rursus Viennam traducitur, & parvo interjecto tempore Vaciensi in Hungaria Episcopatui præficitur.

Anno demum 1719. die 29. Novembris ad preces ejusdem *Caroli* Cæsaris in Sacrum Purpuratorum Patrum Senatum evectus est. Pileolum, aliaque Cardinalatus insignia allata illi sunt à Præsule *Sylvio Valenti*, nunc amplissimo S. R. E. Cardinali, & Quæstore, quem *Camerarium* dicunt, & primo BENEDICTI XIV. Administro. Romam adveniens Cardinalis de Althan solita Cardinalatus insignia, & titulum obtinuit *S. Sabinæ*. In Congregationes etiam adlectus fuit Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Propagandæ Fidei, Sacrorum Rituum, Immunitatis Ecclesiasticæ, & Rerum Consistorialium. Præterea Cæsareus in Urbe Administer dictus est. Mortuo anno 1721. *Clemente XI.*, Vaticana ingressus est Comitia, suoque calculo electioni *Innocentii XIII.* suffragatus est.

Anno demum 1722. solitam nactus *Caroli VI.* beneficentiam, Pro-Rex designatur, & Locumtenens generalis Neapolitani Regni. Priusquam Neapolim proficiscetur, *Alvarum* Cardinalem *Cienfuegos* consecravit in Episcopum Catanensem. Gubernio admotus Neapolitani Regni justitiam exhibuit incorruptam, & splendidam animi magnitudinem. Mirificum vero fuit, quod dum fidem Cæsari servaret immotam, reverentiam itidem Romanæ Sedi debitam, modis omnibus præseferret. Subortis quippè nonnullis dissidiis, & contendente Regio quodam Tribunali, quod *Collaterale*, dicunt, obsistere executioni Literarum Apostolicarum, nisi Regius præcederet assensus, ipse conatui restitit. Aucta vero contentione, & in longiùs protracta, ipse idem luculentam Typis edidit declarationem, qua Cæsaris pietatem rogabat, ut illius Magistratus impetum cohiberet. Nec occasionem prætermisit, qua Ecclesiæ Immunitatem præ viribus assereret.

Sic absoluta Neapolitani Regni Dictatura, iterum ad regimen Vaciensis ejus Episcopatus se contulit. Iterumque ad Vaticana rediit Comitia post mortem *Innocentii XIII.*, sed ad Apostolatum assumpto *Benedicto XIII.* regimini ejus Ecclesiæ totus incubuit. Maximum illi fuit Catholicæ Fidei defendendæ, ac propagandę studium. Inter finitimos Schismaticorum, atque hæreticorum errores irrogata, vel imminentia Christianę Religioni detrimenta amolitus est. Piissimè vixit usque ad annum 1734., quo mortem oppetiit die 18. Junii. Maximis decoratus honoribus, in sua Cathedrali Ecclesia sepultus est.





IOANNES BAPTISTA E SOCIETATE IESV S.R.E.
PRESBYTER CARDINALIS SALERNVS COSENTINVS
CREATVS DIE XXIX. NOVEMBRIS MDCCXIX.
Obijt die 30. Ianuarij 1729.
Hieronymus Rossi incid.
Dominicus de Rubeis Heres Io: Iacobi parmis Romæ ad Templ. S. Mariæ de Pace cum Priuil. S. Pont.

LXVIII.

JOANNES BAPTISTA SALERNUS Cosentinus, nobilibus natus est Parentibus, nempe Marchione *Dominico*, & *Cæcilia Contestabili Ciaccio*. Ex his in lucem editus est die 24. Junii anni 1670. sub eorumdem Parentum disciplina posito pietatis, & literarum tyrocinio, ut ad pubertatem pervenit, Patrum Societatis Jesu institutum amplexus est. Non sine suorum renitentia, & mœrore Neapolim pervenit. Ibi illius sodalitatis religiosam vestem induit, quam illi Cardinalis *Vincentius Maria Ursinus*, postea Summ. Pontifex *Benedictus XIII.* humaniter superimposuit. Ibi etiam solitæ probationis tempus insumpsit, atque eloquentiæ incubuit. Hoc demum exacto pietatis, studiorumque tyrocinio, ut ad altiores disciplinas gradum faceret, Romam traductus est.

Quum Romam advenisset, præceptorem habuit eximium in Theologica facultate, scilicet Cardinalem *Ptolomæum*, qui per id temporis docebat in Seminario Romano. Admodum in hujusmodi studiorum genere *Salernus* profecerat. Hinc *Clementi XI.* tunc hominum ingenio præstantium fautori maximo, cœpit innotescere. Hinc pariter cum *Annibale Albano* ejusdem *Clementis* Fratris filio, qui in eodem Seminario Romano liberali educatione fuerat institutus, familiarem iniit consuetudinem.

nem. Quare examinator Episcoporum Pontificis beneficio *Salernus* renunciatus fuit.

Anno 1709. felicior tamen ei arrisit occasio, quum *Clemens XI.* eumdem Fratris filium in Germaniam allegare decrevit, eique gravissima ad Religionem spectantia negocia commendavit. Hagæ Comitiis generalibus evulgati fuerant hoc anno articuli *præliminares*, ut dicunt, pro pace inter Europæ Principes ineunda. Plura in illis fuerant à Fidei hostibus Religioni intentata discrimina. Batavi hæretici Geldriam à Cæsare sibi concedi poscebant; aliaque in Hortodoxæ fidei perniciem moliebantur. Tuendæ igitur Apostolicæ Sedis authoritati, redintegrandæ Religioni, ac provehendæ etiam in Sarmatia Sacrorum disciplinæ *Annibal* præficitur. Sed ut Virum in Theologicis quæstionibus maxime versatum secum haberet, Patruum summis precibus *Annibal* exoravit, ut *Jo. Baptistam Salernum* itineris sibi Socium, ac laborum adjungeret.

Ubi Viennam in Austria *Salernus* pervenit, pluribus ibi nominibus *Annibali Albano* pro Ecclesiæ utilitate adlaboranti opitulatus est. Rebus in Germania utcumque compositis, ad rem Catholicam in Sarmatia provehendam conversa sunt studia. Diœceses præteritorum bellorum conditione miserrima, & diuturna Antistitum absentia, atque desidia laborantes, restitutis inibi Pastoribus, ac instaurata Ecclesiæ disciplina, ad pristinam tranquillitatem redegit.

Majus tamen laudis emolumentum, & major apud Deum Gratia *Joanni Baptistæ* obvenit, quum reverso in Italiam *Albano*, ipse apud *Augustum II.* Poloniæ Regem consistere jussus est; ubi moribus suis ornatissimis omnem sibi Regis gratiam, & familiaritatem conciliavit. Tunc ille eidem Regi Auctor fuit, ut *Fridericum Augustum* filium ejus natu majorem Catholicis Magistris instituendum traderet. Id tandem præstitit piissimus ille Princeps, ejusdemque filii educatione, ac disciplina *Josepho Kos* Palatino Livoniæ primum commissa, deinde ut à Lutheranis erroribus penitus abstraheretur, ipsi *Joanni Baptistæ* eumdem natum, adhuc in ambiguitate versantem, erudiendum tradidit. Tunc Dei lumen affulsit, & Regius adolescens, ut liberius posset animæ suæ consulere, peragrandi Catholicorum Provincias veniam à Patre impetravit. Obtentu igitur lustrandi Europam in Italiam se contulit. Atque ut Bononiam pervenit, superato tandem obversantium molestiarum ingenti numero, sola cognitę veritatis ratione motus anno 1712. Lutheranos errores, in quibus imbutus adoleverat, ejuravit. Eximiæ huic actioni robur addiderunt *Laurentius* Cardinalis *Casonius* Bononiæ Legatus, & ipse *Jo. Baptista Salernus*, cujus fidem, & studium in id impensè collatum *Clemens* assiduè commendare non destitit. Humanis tamen rationibus, & ne hæreticorum rabies extemplò excandesceret, hujus gloriosissimi facti memoria dudum delituit, & solum quinquennio exacto evulgata est. Is est *Fridericus Augustus III.*, qui nunc Poloniæ Rex, & Saxonum Dux provehendæ Orthodoxæ Fidei maximopore studet.

Ut vero piissimi istius Principis ad Catholicam fidem accessio undequaque firmaretur, & potenti vallaretur præsidio, clarissimæ illi conciliatæ sunt nuptiæ. *Carolus VI.* Imperatoris *Josephi* filiam natu majorem illi connubio junxit. Huic quoque rei non parum adlaboravit idem *Salernus*, qui iterum arrepto in Germaniam itinere rem cum Cæsare feliciter provexit.

Hunc igitur virum tot meritis cumulatum *Clemens XI.* in Sacrum Purpuratorum Patrum Senatum invexit die 29. Novembris anni 1719. Post mortem ejusdem Summi Pontificis Romam venit, ut Vaticanis adesset Comitiis. Adfuit vero iis, quæ pro electione *Innocentii XIII.*, & *Benedicti XIII.* celebrata sunt. Anno 1726. Neapolim se contulit, ut Patrios Lares multos post annos reviseret. Romam redux Congregationibus, quas nactus fuerat adesse non destitit. In Congregationes assumptus fuerat Episcoporum, & Regularium, Sacri Concilii Tridentini, Sacrorum Rituum, Examinis Episcoporum, & Rerum Consistorialium. Titulum obtinuit *S. Stephani in Monte Cælio.* Redditus illi fuit splendidus, & affluens. Idem *Augustus* Poloniæ Rex annuam duodecim millium Florenorum alimoniam illi contulerat. Hinc in pauperes effusus erat; Hinc suis etiam commoditatibus consulebat. Autumnali tempore in Agro Tyburtino rusticabatur. Splendidam ibi Villam, atque elegantem ab imo extruxerat. Hoc fuit illi vitæ genus usque ad annum 1729., quo vivere desiit die 30. Januarii annum agens 58. mens. 7. & dies 6. Ex Collegio Romano, ubi moram trahebat, ad proximam S. Ignatii Ecclesiam ejus corpus traductum fuit. Ibi sepulcro conditum, adstante funebri pompæ Sacro Cardinalium cœtu atque ipso Summo Pontifice *Benedicto XIII.* Tumulo vero sequens adjecta est Epigraphe.

D. O. M.

IO. BAPTISTÆ
TIT. S. STEPHANI IN MONTE CÆLIO
CARDINALI SALERNI SOC. IESV CONSENTINO
DOMINICI SALERNI
ET CÆCILIÆ CONTESTABILI CIACCIO
CONIVGVM FILIO
PIETATE PRVDENTIA
CONSTANTIA DE RELIGIONE
DE S. SEDE DE PRINCIPIBVS VIRIS
OPTIME MERITO
MARCHIO FRANCISCVS MARIA
ET FABRITIVS SALERNI EPISC. MELPHITENSIS
FRATRI AMANTISSIMO POSVERE
ANN. MDCCXXIX.

Decimaquinta Cardinalium Promotio

Die 30. *Septembris Anni* 1720.


CLEMENS XI.

Unum quem die 29. *Novembris anni* 1719. *in pectore ſervaverat, Cardinalem evulgavit, qui fuit.*

Joannes Franciſcus Barbadicus. Venetus.

Deinde duos ex integro creavit, qui fuerunt.

Carolus Borgia, Centella, Pons, & Lion Hiſpanus, &
Alvarus Cienfuegos è Societate Jeſu. Hiſpanus.





CAROLVS S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS DE BORGIA CENTELLA PONS E LEON HISPANVS PATRIARCHA INDIARVM CREATVS DIE XXX. SEPTEMB. MDCCXX.

Obijt die 8. Augusti 1733.

Andreas Procaccini pin. *Hieronymus Rossi inci.*

Dominicus de Rubeis Hæres Io. Iacobi formis Romæ ad Temp. S. M. de Pace cum priu. S. P.

L X I X.

CAROLUS DE BORGIA CENTELLA PONS, ET LION Hiſpanus die natus eſt 30. Aprilis anni 1663. in Civitate *Gandiæ* celebri Feudo præclariſſimæ ejus Familiæ in Diœceſi Valentina. Inter præclara ſuæ vetuſtiſſimæ Gentis ornamenta ab Hiſtoricis latè commemorata, recens etiam decus illi fuit, quod Fratrem Germanum habuerit *Franciſcum Borgia, ab Innocentio XII.* in ultimo ſuæ vitæ diſcrimine inter Cardinales relatum, quem maximis virtutibus commendatum viridi in ætate immatura mors eripuit. Patrem itaque habuit *Carolum* Ducem de Gandia, & Comitem de Oliva, Matrem vero *Mariam Ponſam y Lion* filiam


A Ducis de Arcos. Horum præſtantium Genitorum, nec non *Franciſci* Fratris merita, *Carolus* etiam ſtuduit imitari. In ampliſſima Paterna Domo prima pietatis, & Literarum fundamenta jecit. Inde in Collegio S. Idelphonſi Univerſitatis Complutenſis optimis uſus eſt inſtitutoribus, & ad altiores diſciplinas gradum fecit. Integrum ibi ſtudiorum curriculum abſolvit, atque inſignia Doctoratus accepit.

B Moribus integerrimis ornatus Eccleſiaſticum iter arripuit. *Caroli II.* Catholici Regis exiſtimationem promeritus, Toletanæ Eccleſiæ Canonicus dictus eſt. *Philippi V.* Hiſpaniarum Regis eamdem prorſus gratiam inivit. Et ut

ipſius Regis majora aſſequi poſſet Beneficia, anno 1706. à *Clemente XI.* Archiepiſcopus dicitur Trapezuntis [a]. Patriarcha idcircò Indiarum renunciatus eſt. In hac eximia dignitate Religionis, & Juſtitiæ promovendæ zelo, quam maximè emicuit. Demum ad preces ejuſdem Regis die 30. Septembris anni 1720. inter Cardinales relatus eſt.

[a] Trabi-ſonda

Parvo interjecto tempore quum mors evenerit *Clementis XI.*, Romam ſe contulit. Cardinalium Comitiis feſtinanter advenit pro electione *Innocentii XIII.* Ipſum tamen electum, & coronatum invenit. Indè ab hoc Pontifice Petaſum, titulumque obtinuit *S. Pudentianæ.* Præterea Congregationibus adſcribi meruit Indicis Librorum prohibitorum, Indulgentiarum, & Signaturæ Gratiæ. Redux in Patriam idem ſervavit integerrimæ vitæ inſtitutum uſque ad diem 8. Auguſti anni 1733., quo vivere deſiit in Regia Villa S. Idelphonſi, ibique honorificè tumulatus fuit.



Eques Pet. Leo Ghezzi inv. et del. Hier. Rossi incidit

ALVA-



L X X.

a Oviedo

ALVARUS CIENFUEGOS Hiſpanus, Oveti [a] in Aſturia natus eſt die 27. Februarii anni 1657. Parentes ejus antiqua illius Civitatis nobilitate præditi, impenſum in pueri educatione ſtudium adhibuerunt. Nec ipſe vota eorum fefellit. Sub cura enim Patrum Societatis Jeſu pietatem coluit, & intentum Literis adjecit animum. Hinc cupido eum inceſſit idem capeſſendi inſtitutum Societatis Jeſu, quo propius ejus præceptores imitaretur. Facilè in eorum Familiam receptus, Arcana Philoſophiæ, & dogmata Theologiæ adeò attentè luſtravit, ut tradendæ ipſe Theologiæ ejus confratribus præficeretur.

A Nedum inter Socios illius Ordinis, ſed etiam apud exteros præcipuam exiſtimationem obtinuit, itaut Cathedram promeruerit in Univerſitate Salmaticenſi. Publicus ergo dictus eſt Theologiæ profeſſor, & tanti apud Hiſpanos habitus eſt, quod *Joannes Thoma Henriquez* magnus Regni Architalaſſus, quem ſua ipſi Lingua *Almirantem* Caſtellæ dicunt, illum in eodem munere ſui Theologi ſibi aſſumpſerit. Familiari etiam ejus conſuetudine aſſiduè utebatur. Contigit autem anno 1703., B quod ingruentibus ſæviſſimis illis bellis, quæ totam ferè Europam vexarunt, quæque pro ſucceſſione Hiſpanicæ Monarchiæ ſuſcepta ſunt,

idem

idem *Henriquez* Regni Architalassus fortunæ *Caroli* Archiducis Austriæ adhæserit. Consilio illum, & opibus substentavit.

Quare eamdem, quam ipse Architalassus apud *Carolum* Austriacum gratiam inierat, *Alvaro* quoque conciliavit. Pluries in Causa fuit, ut ipsius *Caroli*, qui in Hispania *Carolus III.* vocabatur, conspectum subiret. Illius pietatem, & præcipuam in Austriacam Domum fidem laudibus extulit.

Sed mortuo anno 1711. *Josepho Cæsare*, *Carolus*, ut Imperii titulum, & dignitatem assequeretur, Hispaniam reliquit. Quare ejus Belli fortuna, quæ vario marte in Hispaniis processerat, ad inclinatam, & penè jacentem descivit. Cuncta *Philippo Borbonio* prosperè eveniebant. Ipse autem Regni Architalassus *Henriquez*, ut res suas in tuto poneret, in Lusitaniam confugit; secumque ærumnarum socius perrexit *Cienfuegos*. Evecto ad Imperatoriam dignitatem *Carolo Austriaco*, pacificam Hispaniarum hæreditatem obtinuit *Philippus Borbonius*. Sic non amplius *Alvaro Cienfuegos* patuit in Patriam tutus accessus. Ulyssipone perstitit, quousque vixit *Architalassus Henriquez*. Hunc autem morti proximum extremis juvit Christianæ pietatis officiis; præterea illi suasor, & author fuit, ut prædivitem suam hæreditatem Cæsari relinqueret.

Sic in dies eidem Cæsari acceptior, pro illo Ulyssipone permansit Regius Administer. Exindè Viennam in Austria vocatus, Londinum priùs, indè ad Batavos abiit, ut quædam cum ipsis Secreta mandata exequeretur. Viennæ tandem quum pervenisset, ibi aliquanto obscuram vitam duxit Religiosa sui Ordinis indutus veste. Cæsar vero, qui omnibus illum benevolentiæ officiis prosequebatur, occasionem quærebat, ut aliquo insigni beneficio illum posset afficere. Demum quâ Rex Hispaniarum eum *Clementi XI.* nominavit, ut Cardinalis renunciaretur. Die igitur 30. Septembris anni 1720. in Sacrum Purpuratorum Patrum Senatum invectus est. Pauloque post vacanti Ecclesiæ Cataniensi in Sicilia admovetur. Romæ tamen adesse non potuit, nisi post mortem *Clementis XI.* Adfuit Conclavi *Innocentii XIII.*, quo ad Apostolatum evecto, Petasum obtinuit Cardinalitium, & Titulum Presbyteralem *S. Bartholomæi in Insula*. Congregationibus etiam adjectus fuit Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Sacrorum Rituum, Immunitatis Ecclesiasticæ, Rerum Consistorialium, & Examinis Episcoporum.

Anno 1724. ex Episcopatu Cataniensi ad Archiepiscopatum translatus est Montis Regalis. Germaniæ etiam Comprotector dictus est, & Cæsareus *Caroli VI.* in Urbe Administer. Romæ Librum quemdam composuit, & evulgavit = *De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento* =, in quo antiqua Scholasticæ Theologiæ dogmata fusè perquirit. Duos alios Libros jampridem ediderat, quorum unus inscribitur = *Ænigma Trinitatis* = alter = *De vita Sancti Francisci Borgia* = Comitiis iterum adfuit *Benedicti XIII.*, & *Clementis XII* Anno demum 1739. die 19. Augusti mortalis Ævi spatium complevit annos natus 83 Corpus ejus ad Ecclesiam translatum fuit S. Ignatii, ibique solemni ritu Parentalia acta sunt. Deindè traductum fuit ad alteram, quæ *Ecclesia Jesus* vocatur, ibique humatum fuit.



Car-

Cardinales mortui in toto Clementis XI. Pontificatu.

1 Savus Millinus Tituli S. Petri ad Vincula. Romanus creat. ab Innocentio XI. die prima Septembris an. 1681. obiit die 10. Februarii anni 1701.

2 Aloysius de Sousa Archiepiscopus Ulyssiponensis. Lusitanus, creat. ab Innocentio XII. die 22. Julii anni 1697., ob. Ulyssipone die 3. Januarii anni 1702.

3 Jacobus Cantelmus Tituli SS. Petri, & Marcellini Archiepiscopus Neapolitanus, creat. ab Alexandro VIII. die 13. Februarii anni 1690. ob. Neapoli die 21. Decembris anni 1702.

4 Franciscus Borgia Episcopus Calaguritanus. Hispanus, creat. ab Innoc. XII. die 21. Junii anni 1700. ob. Matriti die 4. Aprilis anni 1702.

5 Nicolaus Radolovicus Tituli S. Bartholomæi in Insula Archiepiscop. Theatinus, creat. ab Innocentio XII. die 14. Novembris anni 1697. ob. Romæ die 27. Octobris anni 1702.

6 Frater Henricus Noris Ordinis Eremitarum S. Augustini Veronensis, creat. ab Innocentio XII. die 12. Decembris an. 1695. ob. Romæ die 22. Februarii anni 1703.

7 Petrus Bonsius Tituli S. Eusebii Archiep. Narbonensis Florentinus, creat. à Clemente X. die 22. Februarii anni 1672., ob. Narbonæ die 11. Julii anni 1703.

8 Joannes Baptista Spinula Tituli S. Cæciliæ Genuensis, nuncupatus Cardinalis Sanctæ Cæciliæ, creat. ab Innocentio XI die 1. Septembris anni 1681., ob. Romæ die 4. Januarii anni 1704.

9 Joannes Baptista Costagutus Tit. S. Anastasiæ, creat. ab Alexand. VIII. die 13. Februarii 1690., ob. Romæ die 8. Martii 1704.

10 Carolus Barberinus Tituli S. Laurentii in Lucina creatus ab Innocentio X. die 19. Februarii anni 1652. ob. die 11. Octobris anni 1704.

11 Urbanus Sacchettus Diaconus S. Nicolai in Carcere Romanus, creat. ab Innoc. XI. die prima Octobris anni 1681. ob. Romæ die 6. Aprilis anni 1705.

12 Daniel Marcus Delphinus Tituli S. Susannæ. Venetus, creat. ab Innocentio XII. die 14. Novembris anni 1699. ob. Brixiæ die 5. Augusti anni 1704.

13 Guillelmus de Fustemberg Tituli S. Honuphrii Germanus, creat. ab Innocen. XI. die 2. Septembris anni 1686., ob. Parisiis die 10. Aprilis anni 1704.

14 Petrus Matthæjus Petruccius Tituli Sancti Marcelli Episcopus Æsii, Æsinas, creat. ab Innocentio XI. die 2. Septembris anni 1686., ob. Romæ die 5. Januar. 1705.

15 Michael Stephanus Radzeiouski Tit. Sanctæ Mariæ de Pace Archiepiscopus Gnesnensis Polonus, creat. ab Innocentio XI. die 2. Septembris anni 1686., ob. Gnesnæ die 11. Octobris anni 1705.

16 Petrus du Cambout de Coaslin Tit. Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio Episc. Aurelianensis. Gallus, creat. ab Innoc. XII. die 22. Julii anni 1697. ob. Versaliis die 5. Februarii anni 1706.

17 Marcus Antonius Barbadicus Tit. Sanctæ Susannæ Episcopus Monti Falisci, Venetus creat. ab Innocentio XI. die 2. Septembris anni 1686. ob. in Civitate Montis Falisci die 26. Maii anni 1706.

18 Frater Petrus de Salazar Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Tituli S. Crucis in Hierusalem Episcop. Cordubensis. Hispanus, creat. ab Innocentio XI. die 2. Septembris an. 1686., ob. Cordubæ die 15. Augusti anni 1706.

19 Gabriel Philippuccius Maceratensis, creat. à Clemente XI. die 17. Maii 1706., Cardinalatum repudiavit, ejusque repudiatio admissa fuit in Consistorio diei 7. Junii 1706., ob. Romæ die 21. Julii 1706.

20 Aloysius Homodeus Diaconus S. Mariæ in Porticu Mediolanensis, creatus ab Alexandro VIII. die 13. Februarii anni 1690. ob. Romæ die 18. Augusti anni 1706.

21 Leopoldus Kollonitz Tituli S. Hieronymi Illyricorum. Germanus, creat. ab Innocentio XI. die 2. Septembris anni 1686., ob. Viennæ in Austria die 20. Januarii anni 1707.

22 Joannes Baptista Rubinus Tituli S. Marci, Venetus, creat. ab Alexandro VIII. die 13. Februarii anni 1690., ob. Venetiis die 17. Februarii anni 1707.

23 Henricus de la Grange de Arquian Diaconus S Eustachii Gallus, creat. ab Innocentio XII. die 12. Decembris anni 1695. ob. Romæ die 14. Maii anni 1707.

24 Stephanus le Camus Tituli S. Mariæ Angelorum Episcopus Gratianopolitanus Gallus, creat. ab Innocentio XI. die 2. Septembris anni 1686., ob. Gratianopoli die 12. Septembris anni 1707.

25 Franciscus Nerlius Tituli S. Matthæi in Merulana Archipresbyter Basilicæ Vaticanæ Florentinus, creat. à Clemente X. die 12. Junii anni 1673., ob. Romæ die 7. Aprilis anni 1708.

26 Jacobus Antonius Morigia Tituli S. Cæciliæ Episcopus Ticinensis, creat. ab Innocentio XII. die 12. Decembris an. 1695., ob. Ticini die 8. Octobris anni 1708.

27 Leander Colloredus Congreg. Oratorii S. Philippi Nerii, Tituli SS. Nerei & Achillei, Pænitentiarius Major. Forojuliensis, creat. ab Innocentio XI. die 2. Septembris anni 1686., ob. Romæ die 11. Januarii 1709.

28 Balthassar Cincius Tituli S. Petri in Monte Aureo Archiepiscopus Firmi. Romanus, crea-

creatus ab Innocentio XII. die 12. Decembris anni 1695., ob. Firmi die 26. Maii anni 1709.

29 Ludovicus de Portocarrero Tituli S. Sabinæ Hispanus, creat. à Clemente IX. die 29. Novembris anni 1669., ob. die 14. Septembris anni 1709.

30 Marcellus de Aste Tituli S. Martini in Montibus Episc. Anconæ Romanus, creat. ab Innoc. XII. die 14. Decem. an. 1697., ob. Bononiæ die 11. Junii anni 1709.

31 Marcellus Duratius Tituli S. Priscæ Genuensis, creat. ab Innocentio XI. die 2. Septembris anni 1686., ob. Romæ die 27. Aprilis anni 1710.

32 Carolus Thomas Maillard de Tournon Patriarcha Antiochenus, Visitator Apostolicus ad Synas, & ad alia Indiarum Orientalium Regna. Taurinensis, creat. à Clemente XI. die 1. Augusti an. 1707., ob. Macai die 8. Junii anni 1710.

33 Vincentius Grimanus Tituli S. Agathæ Venetus, creat. ab Innocentio XII. die 22. Julii anni 1697., ob. Neapoli die 26. Septembris anni 1710.

34 Franciscus Maria Medices Tituli S. Mariæ in Domnica, creat. ab Innocentio XI. die 2. Septembris anni 1686., Cardinalatum dimisit die 19. Junii 1709., obiit Florentiæ die 11. Februarii anni 1711.

35 Joannes Maria Gabriellius Ordinis Cisterciensis Tituli S. Bernardi, Tifernas, creat. ab Innocentio XII. die 14. Novembris anni 1699., obiit Romæ die 17. Septembris anni 1711.

36 Alexander Caprara Tituli SS. Nerei, & Achillei Bononiensis, creat. à Clemen. XI. die 17. Maii anni 1706., ob. Romæ die 9. Junii anni 1711.

37 Joseph Archintus Tituli S. Balbinæ Archiepiscopus Mediolani. Mediolanensis, creat. ab Innocentio XII. die 14. Novembris anni 1697., obiit Mediolani die 9. Aprilis anni 1712.

38 Andreas de Santa-Cruce Tituli S. Alexii Romanus, creat. ab Innocentio XII. die 14. Novembris anni 1697., obiit Romæ die 11. Maii anni 1712.

39 Joannes Philippus Lamberg Tituli S. Silvestri in Capite Episcopus Passaviæ, Germanus, creat. ab Innocentio XII. die 21. Junii 1700. obiit Passaviæ die 20. Octobris anni 1712.

40 Rainutius Pallavicinus Tituli S. Sixti, Parmensis, creat. à Clemente XI. die 17. Maii anni 1706., obiit die 1. Julii anni 1712.

41 Joseph Maria de Tomasiis Congreg. Clericorum Regularium Theatinorum Tituli S. Silvestri, & Martini ad Montes, Panormitanus, creatus à Clemente XI. die 18. Maii 1712., obiit Romæ die prima Januarii anni 1713.

42 Joannes Franciscus Nigronus Diaconus S. Mariæ in Via Lata Genuensis creat. ab Innoc. XI. die 2. Septembris anno 1686., ob. die 1. Januarii anni 1713.

43 Toussanus de Jamson de Fourbin Tituli S. Agnetis extra mœnia Episcopus Bellovacensis, creat. ab Alexandro VIII. die 13. Februarii anni 1690., obiit die 24. Martii anni 1713.

44 Joannes Baduarius Tituli .... Patriarcha Venetiarum. Venetus à Clemente XI. creatus die 17. Maii an. 1706. ob. Venetiis die 17. Maii anni 1714.

45 Antonius Franciscus Sanvitalis Tituli Sancti Petri in Monte Aureo Parmensis creat. à Clemente XI. die 15. Aprilis an. 1709. obiit Urbini die 17. Decembris an. 1714.

46 Gaspar de Carpineo Episcopus Tusculanus & Urbis Vicarius. Romanus creatus à Clemente X. die 22. Decembris anni 1670., obiit Romæ die 6. Aprilis anni 1714.

47 Cæsar Destræus Episcopus Sabinensis Gallus, creatus à Clemente X. die 24. Augusti anni 1671., obiit Parisiis die 19. Decembris anni 1714.

48 Sperellus de Sperellis Tituli S. Joannis ante Portam Latinam Assisiensis, creatus ab Innocentio XII. die 14. Novembris an. 1699., ob. Romæ 22. Martii an. 1710.

49 Bernardus Sala Ordinis S. Benedicti Episcopus Barchinonensis Hispanus, creatus à Clemente XI. die 18. Maii anni 1712., obiit Romæ die 1. Julii anni 1715.

50 Thomas Maria Ferrari Ordinis Prædicatorum Tituli S. Clementis Manduriensis, creat. ab Innocentio XII. die 12. Decembris anni 1695., obiit Romæ die 20 Augusti anni 1716.

51 Emmanuel Theodosius Bullionæus Gallus Decanus Sacri Collegii, creatus à Clemente IX. die 5. Augusti anni 1669., obiit Romæ die 2. Martii anni 1715.

52 Fabritius Spada Tituli S. Crisogoni Romanus, creatus à Clemente X. die 27. Maii anni 1675., obiit Romæ die 15. Junii anni 1717.

53 Taddæus del Verme Tituli S. Alexii Episcop. Ferrariæ Placentinus, creat. ab Innocentio XII. die 12. Decembris an. 1695., obiit Ferrarræ die 12. Januarii an. 1717.

54 Nicolaus Grimaldus Tituli S. Matthæi in Merulana Januensis, creat. à Clemente XI. die 17. Maii anni 1706., obiit Romæ die 25. Octobris anni 1717.

55 Emmanuel de Arias Archiepiscopus Hispalensis, Hispanus, creat. à Clemente XI. die 12. Maii anni 1712., obiit die 16. Novembris anni 1717.

56 Ferdinandus Nuptius Tituli S. Pudentianæ Episcopus Urbevetanus, Hortanus, creat. à Clemente XI. die 16. Decembris anni 1715., obiit Urbeveteri die 30. Novembris anni 1717.

57 Franciscus Martellius Tituli S. Eusebii Florentinus creat. à Clemente XI. die 17.

Maii

Maii anni 1706., obiit Romæ die 28. Septembris anni 1717.

58 Carolus Bichius Diaconus S. Mariæ in Cosmedin. Senen. creat. ab Alexandro VIII. die 13. Februarii anni 1690. obiit Romæ die 7. Novembris anni 1718.

59 Bandinus Panciaticus Florentinus Tituli S. Thomæ in Parione Præfectus Sac. Congregationis Concilii, creat. ab Alexandro VIII. die 13. Februarii anni 1690., obiit Romæ die 18. Aprilis anni 1718.

60 Nicolaus Acciajolus Florentinus Decanus Sac. Collegii, creatus à Clemente IX. die 29. Novembris anni 1669., obiit Romæ die 23. Februarii 1719.

61 Ferdinandus de Abdua Tituli S. Balbinæ Mediolanensis, creat. ab Alexandro VIII. die 13. Februarii anni 1690., obiit Romæ die 27. Januarii anni 1719.

62 Joannes Baptista Spinula Tituli S. Cæsarei S.R.E. Camerarius nuncupatus Cardinalis S. Cæsarei Genuensis, creat. ab Innocentio XII. die 12. Decembris anni 1695., obiit Romæ die 19. Martii anni 1719.

63 Franciscus Maria Casinus Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum Tituli S. Priscæ, creat. à Clemente XI. die 18. Maii anni 1712., obiit Romæ die 14. Februarii anni 1719.

64 Aloysius Priolus Tituli S. Marci Venetus creatus à Clemente XI. die 18. Maii anni 1712., obiit die 15. Martii anni 1720.


65 Joseph de la Tremoille Tituli Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio Archiepiscopus Cameracensis Gallus, creatus à Clemente XI. die 17. Maii anni 1706., obiit Romæ die 10. Januarii anni 1720.

66 Laurentius Casonus Tituli S. Petri ad Vincula Sarzanensis, creatus à Clemente XI. die 17. Maii anni 1706., obiit Romæ die 19. Novembris 1720.

67 Fulvius Astallius Decanus Sacri Collegii Romanus, creatus ab Innocentio XI. die 2. Septembris anni 1686., obiit Romæ die 14. Januarii 1721.

68 Joannes Baptista Costagutus Tituli Sancti Bernardi Romanus, creatus ab Alexandro VIII. die 13. Februarii anni 1690., obiit Romæ die 8. Martii anni 1704.

Quatuor Clemens XI., quum ad Apostolatum ascendit, Cardinalium Sedes vacuas invenit. Duas vero reliquit, & septuaginta implevit.



Rariora Numismata, quæ in Pontificatu Clementis XI. sunt percussa.

A

I.

CLEMENS XI. PONT. MAX.
FACTVS EST PRINCIPATVS SVPER HVMERVM EIVS.

Christus Crucem bajulans in postica expressus, invictam Clementis constantiam significat, qua Pontificatum recusavit. Triduo (quod credi vix potest) cunctatum fuit, ut Cardinales ejus animi modestiam expugnarent. Tandem Theologorum authoritate victus, B & testimonio S. Scripturæ Apostolatum assumpsit mæstus, & gemebundus, quasi ad Crucem aliquam evocaretur; ut dixi Tom. 2. pag. 3. litt. B.

II.

CLEMENS XI. PONTIF. MAX.
CREATVS DIE XXIII. NOVEMBR. MDCC. = exterius in ambitu Numismatis =. ROMÆ SANCTÆ DECOR ART. C. I. VV.

Westernus Germanus artifex hoc Numisma cudit, quod explicatione non indiget. C

III.

CLEMENS XI. P. M. CREA. XXIII. NOV. MDCC. = inferius = Hameranus fecit.
BENEDIXIT FILIIS IN TE MDCC.

Portam Sanctam, quam Innocentius XII. morte præventus claudere non potuit, clausit Clemens XI., ut dixi Tom. 2. pag. 5. litt. C. D Propterea eadem Porta Sancta in postica conspicitur.

IV.

CLEMENS XI. PONT. M. AN. I.
INFVNDE LVMEN VT SINT ASPERA IN VIAS PLANAS.

Spiritus Sanctus in solita columbæ specie, agrum, & tres montes inferius positos irradians, ingruentes Italiæ, atque Europæ E penè universæ calamitates significat, de quibus Tom. 2. pag. 2. 6. 7. 8. 9., atque alibi dictum est.

V.

CLEMENS XI. CREATVS XXIII. NOVEMBRIS MDCC.
ALBANVM COLVERE PATRES NVNC MAXIMA RERVM.
ROMA COLIT.

Stemma Pontificium postica exhibet floribus F circumdatum cum tæniis, in quibus legitur = PIETAS, PRVDENTIA, ERVDITIO = superně = FLORES MEI FRVCTVS HONORIS, ET HONESTATIS ECCL. C. XXIV. = infernè = FLORES CIRCVMDATI = Ritè vero putant eruditi in Germania cusum fuisse hoc Numisma tantis involutum hieroglyphicis, tantisque ornatum lemniscis.

VI.

CLEMENS XI. PONT. MAX.
CREAT. D. XXIII. NOV. ET CORON. D. VIII. DEC. MDCC.

In Germania pariter percussum Numisma apparet.

VII.

CLEMENS XI. PONTIF. MAX.
E QVO NE CREDITE TEVCRI = AVFVGIAT PRO HAC VICE AN. MDCCI. = inferius - ARTIFIC. C. VV. = nempè Westernus Germanus =.

Ad Asturconem alludit, *Chineam* nostri dicunt, quam pro tributo pendi quotannis solito Cæsar, & Hispanus Rex certatim Pontifici offerebant in recognitionem supremi S. Sedis dominii in Neapolitanum Regnum, ut dixi Tom. 2. pag. 7. litt. D. Pontifex vero inter belli clamores, quum eumdem censum utrimque exhibitum recusasset, anno 1701. ab Hispanis administris in Palatio Vaticano Pontifici fuit equa oblata, occultè tamen, & per astus; sed jussu Pontificis fuit rejecta.

VIII.

CLEMENS XI. PONT. MAX. ANNO I.
FIAT PAX SVPER ISRAEL MDCCI.

Quid egerit Clemens XI. pro sancienda pace inter Christianos Principes, immani inter se bello diffidentes, dictum est Tom. 2. pag. 8. litt. E.

IX.

CLEM. XI. PONT. OPT. MAX. A. I.
CVNCTIS CLEMENS = inferius = Hermengil. Hameranus.

Sol tres montes irradians, ut in postica apparet, & ad nomen, & ad stemma, & ad mores Clementis alludit.

X.

CLEMENS XI. PONT. M. A. II.
VADE ET PRÆDICA MDCCII.

Eximium Præsulem *Thomam Maillard de Tournon* postea Cardinalem Numisma exprimit, ad Synarum Imperium allegatum. De rebus à *Tournonio* præclarè gestis, & de universa hac Legatione satis dictum est.

Tom.2. pag.13. litt. C., & pag 26., & in peculiari *Tournonii* vitâ pag.141. A

XI.

CLEMENS XI. PONT. MAX. A.II.
LVCET IN VVLTV EIVS = inferius = S. VRBANI OP.

Mulier sedens Religionem designare videtur, in cujus vultu puritas eniteat.

XII.

B

CLEMENS XI. PONT. MAX. A.II.
APTATA SÆCVLA VERBO DEI = GNOMONE ASTRONOMICO AD VSVM KALENDARII CONSTRVCTO = inferius = S. VRBANI OP.

Franciscus *Blanchinius* Veronensis Præsul eximiâ doctrinâ præstans in pavimento Ecclesię S. Mariæ Angelorum ad Thermas Diocletianas lineam meridianam effecit. In ea Zodiaci signa, & sydera ab Astronomis magis observata expressit. Sol per exiguum foramen permeans ex australi Templi muro, eamdem lineam irradiat, singulisque diebus horam meridiei designat. Opus à clarissimo *Blanchinio* elaboratum, quod auspice, & fautore Clemente XI. fuerit absolutum, Numisma exprimit. C

XIII.

CLEMENS XI. PONT. OPT. M.
AVXILIVM MEVM A DOMINO = NOVA BASILICA SS. XII. APOST. MDCCII. D

Hoc Numisma in fundamenta Templi SS. XII Apostolorum conjectum fuit. Hoc sanè templum vetustate fatiscens, providâ Clementis XI. liberalitate instauratum fuit.

XIV.

CLEMENS XI. PONT. OPT. M. = infernè = opus Hamerani.

Ejusdem Templi ichnographia in postica exprimitur, & eadem Pontificia largitas ad sempiternam temporis memoriam propagatur. E

XV.

CLEMENS XI. PONT. M. A.III.
ROBVR AB ASTRIS.

Supernè nubes, è quibus radii emergunt, infernè vero Mulier armata, & jacens, & Leo non procul ab ea, Religionis constantiam designare videntur; quæ in gravissimis illis Ecclesiæ temporibus, quibus Europa universa immani undique bello, & calamitatibus obruebatur, spem in Deo repositam habet. F

XVI.

CLEMENS XI. P.M. AN.III.
HAVRIETIS CVM GAVDIO = inferius = S. VRB.

Innocentius XII. salubres in Centumcellensem Civitatem aquas invexerat, ut dixi Tom.1. pag.394. litt.C. Opus tamen numeris omnibus absolutum non fuit; & splendida, quæ erexerat, emissaria, vel vitium fecerant, vel infecta remanserant. Clemens opus absolvit, & mediâ in Urbe lacum ad easdem excipiendas aquas extruxit; ipsas inde aquas ex hac conchâ, seu labro in Portum deduxit. Ad hoc præsens Numisma refertur, in quo Portus Centumcellensis adspicitur.

XVII.

CLEMENS XI. PONT. M. A.III.
HAVRIETIS CVM GAVDIO.

Idem Portus Centumcellensis cum emissariis, sive Aquæductibus, eamdem prorsus Pontificis providentiam significat.

XVIII.

CLEMENS XI. PONT. OPT. MAX.
SECVRITAS POPVLI ROMANI.

Securitatis symbolum adest in Postica, ut eam sollicitudinem exprimat, qua Clemens (quantum difficillima sinebant tempora) impetum militum exterorum à pernicie Ditionis Ecclesiasticæ avertit.

XIX.

CLEMENS XI. P. M. AN. IIII.
VT ERVANTVR A VIA MALA.

Interior adspectus ædium S. Michaelis ad Ripam Tyberis, quo perditi, improbique adolescentes detrudi solent; Carcerem exprimit, ut dicunt *correctionis* versus Portam Portuensem, quem Clemens XI. extruxit ad hoc genus hominum coercendum.

XX.

CLEMENS XI. PONT. OPT. MAX.
ADDITO ANNONÆ PRÆSIDIO = MDCCIV.

Gregorius XIII. ad Thermas Diocletianas Horrea publica extruxerat. Hæc à Paulo V., & Urbano VIII. mirificè aucta, demum ampliata sunt à Clemente XI.

XXI.

CLEM. XI. PONT. MAX.
TV DOMINVS ET MAGISTER = in exergo = EXEMPLVM DEDI VOBIS.

Solitum ferè cunctis Pontificibus hoc Numisma Christum exprimit lavantem pedes Sancti Petri, ut ad ejus exemplum pietatem indicet Pontificis, qui feria v. in Cœna Domini Peregrinorum pedes lavat. Plura huic similia cusa fuerunt Numismata, quæ omittenda censui, utpote quia eumdem prorsus ritum referunt lotionis pedum Peregrinorum.

XXII.

CLEMENS XI. P. M. AN.V.
COMMODIORI ANNONÆ PRÆSIDIO = MDCCV.
Eadem prorſus horrea ad Thermas Diocletianas à Clemente XI. extructa, ſeu verius amplificata Numiſma refert.

XXIII.

CLEMENS XI. PONT. MAX.
MEMORIÆ CHRISTINÆ AVGVSTÆ PIET. PONT. M. = MDCCV.
Sepulcrum deſignat Chriſtinæ Svecorum Reginæ, quod in Templo Vaticano erectum eſt ad dexteram Sacelli Chriſto Crucifixo dicati. Regium hoc monumentum memoriæ *Chriſtinæ* extruxerat Innocentius XII. In eo ænea Svecorum Reginæ effigies adſpicitur anaglypho opere rotundæ formæ, & ad inſtar Numiſmatis expreſſa. Clemens XI. opus nondum abſolutum perfecit.

XXIV.

CLEMENS XI. P. M. AN.VI. = inferius = Hameranus.
COMMODITATI ET ORNAMENTO MDCCVI.
Romæ è conſpectu Eccleſiæ S.Hieronymi Illyricorum Portum Clemens erexit elegantiſſimum. Portus hic in poſtica exprimitur, & *Ripetta* nuncupatus. Duplices ſcalas effodit è Tyburtino lapide, unde ſinuoſis gradibus ad flumen deſcenditur. Proximas etiam ædes extruxit pro vectigalium exactoribus.

XXV.

CLEMENS XI. P. M. AN.VII.
DEO SACRA RESVRGET.
Machinam poſtica exhibet effictam ad erigendam columnam Antoninam in Foro Innocentiano jacentem. Huc eam Clemens XI. tranſtulit ex vicinis hortis Collegii Presbyterorum, quos Miſſionarios vocant effoſſam, eamque erigere decreverat; ſed Machina in Numiſmate expreſſa impar tanto oneri viſa fuit. Ipſius Columnę ſtylobaten æneis, egregiiſque ornatum anaglyphis, noviſſimè Benedictus XIV. è conſpectu magni Palatii Innocentianæ Curiæ locavit. Novam tamen Baſin adjecit.

XXVI.

CLEMENS XI. P. M. A.VIII.
IN HONOREM S. CRESCENTINI MARTYRIS.
Cultum S. Creſcentini Urbini Patroni, mirificè Clemens XI. propagavit. In Cathedrali ejuſdem Civitatis Aram ipſi ædificavit, & hæc in poſtica Numiſmatis parte exprimitur. Præterea Romæ in Eccleſia *S. Theodori* ad Forum Boarium Altare ipſi dicavit.

XXVII.

CLEMENS XI. P. M. AN. VIIII.
PORTAVERVNT TABERNACVLVM FOEDERIS MDCCIX.
Comaclo à Germanis militibus intercepto, poſtquam de recuperanda Civitate Clemens fruſtra, diuque egiſſet cum Cæſare, ad Dei præſidium confugit: Supplicationem indixit, & imaginem Sanctiſſimi Servatoris ad Sancta Sanctorum circumferri juſſit, eodem prorſus pio ritu, quo veteres Pontifices in ſimilibus Eccleſiæ calamitatibus agere conſueverunt. Eamdem propterea Sanctiſſimi Servatoris Iconam poſtica exhibet.

XXVIII.

CLEMENS XI. P. M. A.X.
IN HONOREM S. FABIANI PP. ET M. MDCCX.
Sacellum S. Fabiano in Eccleſia S. Sebaſtiani extra mœnia à Clemente XI. erectum.

XXIX.

CLEMENS XI. P. M. AN.XI.
DOMINE DEPRECABILIS ESTO MDCCXI.
Mulier genibus flexis ſupra tormentum bellicum, & duo pueri, quorum unus facem extinguit, alter vero Tiaram Pontificiam tenet. Hoc ſymbolum in poſtica expreſſum Pontificis curam deſignat, quâ ad concordiam revocare ſategit Chriſtianos Principes de Hiſpanica Monarchia tamdiu contendentes.

XXX.

CLEMENS XI. P. M. A. XII. = inferius = E Hameranus
INTER SANCTOS SORS ILLORVM MDCCXII.
Hoc anno Clemens XI. novis Sanctorum nominibus Eccleſiæ faſtos decoravit. Inter Sanctos vero relati ſunt *Pius V.* Pontifex Maximus ex Ordine Prędicatorum, *Andreas Avellinus* Clericus regularis Theatinus, *Felix à Cantalicio* ex Ordine Minorum Cappuccinorum, & S. Catharina Bononienſis Monialis Ordinis Prædicatorum, ut dixi ſuperius Tom.2. pag.15. litt.F.

XXXI.

CLEMENS XI. PONT. MAX. AN. XIII.
IN VIAM PACIS MDCCXIII.
Inita hoc anno fuit Ultrajectina pax, ut dixi Tom.2. pag.24. litt. D.

XXXII.

CLEMENS XI. PONT.MAX. AN. XIII.
ECCLESIA NOVISQVE ÆDIBVS AD BALNEA NVCERINA CONSTRVCTIS.
Alterum etiam cuſum fuit numiſma præcedenti

ti anno 1712., ad hoc exprimendum beneficium, quo Clemens eos prosequutus est, qui æstivo tempore Nucerina Balnea petunt. Eorum enim nedum corporis, sed et animæ commoditatibus consulens decoras ædes extruxit, Ecclesiamque ædificavit, ut a *Nuceria* quamvis remoti, Missæ tamen sacro valeant interesse.

A

XXXIII.

CLEMENS XI. P. M. AN. XIV. = inferius = Hamerani

ECCLESIA, ET DOMIBVS AD BALNEA NVCERINA CONSTRVCTIS MDCCXIV.

B

Idem ut supra.

XXXIV.

CLEMENS XI. PONT. MAX. AN. XIV. = inferius = ARCHICON. SAC. STIGMATVM S. F.

D. O. M. CLEMENS XI. P. M. PRIMARIVM LAPIDEM IMPOSVIT DE MENSE SEPTEMB. AN. SALVTIS MDCCXIV.

C

Ecclesia Sacris Stigmatibus S. Francisci dicata collatis fidelium oblationibus ædificata fuit. Clemens XI. primum illius posuit lapidem, & hoc numisma jecit in fundamenta.

XXXV.

CLENENS XI. PONT. MAX.

CORPORE SANCTI LEONIS MAGNI TRANSLATO DIE XI APRILIS MDCCXV.

S. Leonem Magnum, quem sibi maximè imitandum proposuerat, Clemens XI. maximè coluit. E Cryptis Vaticanæ Basilicæ illius corpus transtulit ad Sacellum huic Sancto ab *Algardio* sculptum, atque in Arca ejus ossa reposuit.

D

XXXVI.

CLEMENS XI. P. M. A. XV.

TEMPLO S. CLEMENTIS INSTAVRATO

Templi S. Clementis adspectum postica exhibet. Illud enim Clemens XI. multipliciter ornavit, instauravitque. Clariorum ea tempestate artificum picturas in illud invexit; laqueare auro obduxit, & quæ adhuc supererant venerandæ antiquitatis monumenta, intacta reliquit.

E

XXXVII.

CLEMENS XI. P. M. AN. XVI. = inferius = Hameranui =

AVXILIVM CHRISTIANORVM.

F

Cæsarem, & Venetos a Turcarum Imperatore hoc anno bello impetitos mirificè juvit *Clemens XI.*, ut dixi Tom.2. p.27., & 28. In id etiam publicas preces indixit, supplicationes habitæ sunt, & obsecrationes in Templis factæ.

XXXVIII.

CLEMENS XI. PONT. MAX. A. XVI. = inferius = TIMENTEM DOMINVM GLORIFICAT MDCCXVI.

Postica hujus numismatis solemnitatem exprimit in Beatificatione servatam *Francisci Regis* è Societate Jesu.

XXXIX.

CLEMENS XI. PONT. MAX. AN. XVII.

VIRGO POTENS ORA PRO NOBIS.

Numisma explicatione non indiget, exhibetque effigiem Beatæ Virginis ad Archetypum Tabulæ Caroli Marattæ, quæ in Atrio Quirinalis Palatii sita est.

XL.

CLEMENS XI. PONT. MAX. AN. XVII.

SVPER FVNDAMENTVM APOSTOL. ET PROPHET. CONSTANTIN. BASILICA STATVIS ET PICTVRIS ORNATA.

Numisma hoc Beneficia recenset Basilicæ Lateranensi a *Clemente XI.* collata, nempè picturas clariorum artificum in maxima, & media Templi navi supernè locatas, inferius vero statuas XII. Apostolorum in earum loculamentis repositas. Tantas opes in hoc Templum congessit, ut dixi Tom.2. pag.35. litt.F.

XLI

CLEMENS XI. P. M. = inferius = Ermen Hameranus.

S. Lucas pingens in postica adspicitur ad exprimendam vigilem *Clementis XI.* sollicitudinem, qua picturam, aliasque liberales artes provexit, ut dixi Tom.2. pag.6. lit.C. & pag.36. litt.A.

XLII.

CLEMEMS XI. PONT. MAX.

S. Lucam pariter pingentem habet postica, ut patrocinium designet tribus liberalibus artibus à Clem. XI. attributum. Hanc liberalium artium Academiam = del disegno = nuncupatam penitus neglectam instauravit, illique præfecit *Carolum Marattam*. In eas quæ statis diebus in proximis S. Martinæ ædibus habetur, conveniunt delecti aholescentes, qui huic rei incumbunt. Prostat in aula earumdem ædium nudus plebejus homo in id mercede conductus, qui tamen membris emendatioribus constet; atque ita singulas humani corporis partes vel delineant, vel effingunt. Tertio quoque anno in ædibus Capitolinis hæc Academia haberi solet frequentissimis Auditoribus; atque ipsi adolescentes præmia sortiuntur juxta eorum indolem, & modum.

XLIII.

CLEMENS XI. P. M.

S. Lucas pariter pingens exprimitur in postica,

ut

ut easdem ingenuas artes, & idem pro iis Clementis patrocinium significet.

A

XLIV.

CLEMENS XI. P. M. AN. XIX.
VENTI ET MARE OBEDIVNT EI.

Cl. Vir Rodulphinus Venuti cusum putat hoc numisma, quo tempore Carolum Mediobarbam Ticinensem Patriarcham Alexandrinum ad Synas Visitatorem allegavit cum potestate de Latere Legati, ut dixi Tom.2. pag.32., & 33.

B

XLV.

CLEMENS XI. PONT. MAX. AN. XX. = inferius = Hameranus = BONARVM ARTIVM CVLTVI, ET INCREMENTO. INSTIT. SCIENT. BONON.

Aspectus Bononiensis Academiæ, quæ sub famigerato Bononiensis *Instituti* nomine ubique est celebris, refertur in postica. In eam Academiam picturæ artem *Clemens XI.* invexit, ut inibi nedum cultiores scientiæ, sed etiam ingenuæ artes ferè omnes alerentur. Hæc enim exiguis orta principiis, & ab *Ulysse Aldovrando* aliquibus instrumentis ad Physicæ scientiam idoneis cumulata, tantam postmodum in amplitudinem crevit,

C

præsertim maximis Comitis *Ferdinandi Marsilii* beneficiis, ut redditibus aucta, optimis Magistris instructa, & ampliori ædificio sit decorata. Novissimè vero eamdem Academiam adeo in immensum amplificavit BENEDICTVS XIV. inclytum Patriæ suæ ornamentum, & decus, ut admiranda prorsus evaserit.

XLVI.

CLEMENS XI. P. M.
OCCIDIT ALBANVM SYDVS, COLLESQVE RELIQVIT XIX. MARTII MDCCXXI. = inferius = Vestern. &c.

Cusum in Germania numisma mortem exprimit Pontificis obventam die S. Josepho Sacro; de ejus morte fusius egi Tom.2. pag.34.

XLVII.

CLEMENS XI. P. M.
PERENNIS OMNIA SOLIS HABENS. HIS NVNC QVOQVE SPLENDES IN ASTRIS = PIE EXTINCTVS ROMÆ DIE S. JOSEPH.

Præcipuum suiPatronum Clemens habuit Sanctum Josephum, & quo studio, quave animi Religione eum coluerit, pariter dixi Tom.2. pag.35. litt, C.



IN-




INNOCENTIVS XIII DE COMITIBVS
ROMANVS PON= TIFEX MAXIMVS
CREATVS DIE VIII MAIJ
MDCC= XXI.
Obijt die 7 Martij 172
Dominicus de Rossi Hæres Io Iacobi formis Romæ ad Templ S. M de Pace cum Priuil. Sum. Pont.



INNOCENTIUS XIII.

PONTIFEX CCXXXXVIII.

ANNO DOMINI 1721. CAROLO VI. ROMANORUM IMPERATORE



Veteri Ecclesiæ Ritu Novendialibus justis *Clementis XI.* absolutis; die Martii mensis ultima, laudes defuncti Pontificis recensuit eximius Præsul, & Orator *Vincentius Lucchesinius.* Mox Re Divina ad Spiritus Sancti lumen exorandum peracta, similem pro novo eligendo Pontifice luculentam habuit Orationem *Camillus Mari* Episcopus Aleriæ. Quadraginta, qui tunc in Urbe aderant, Cardinales bini procedendo, & supplicum more, eâdem die Vaticanum Conclave ingressi sunt. Initio cunctandum fuit, & ut plurium, qui aderant, Cardinalium merita disquirerentur, diutius quàm in votis omnium esset, opus fuit immorari. Pro Cardinali Paulutio non parum hęserunt Comitia. Cęterum ex primo Comitiorum momento in Cardinalem *Michaelem Angelum de Comitibus* ferè omnium communi assensu injecti erant oculi. Dilata per mensem, & ultra electione, quinque supra quinquaginta Cardinales inferius recensendi convenerant. Die tandem octava Maii S. Michaeli Arcangelo sacra, nemine adversante, Cardinalis *Michael Angelus* de Comitibus renunciatus est Summus Pontifex.

Conclave Innocentii XIII.

Cardinalis Michael Angelus de Comitibus eligitur Summus Pontifex.

Innocentii nomen assumpsit in memoriam *Innocentii III.*, qui fuit unus ex pluribus Sum-

Antiquitas Familiæ de Comitibus

A mis Pontificibus, qui ex hac pręclarissima Familia prodierunt. Cęteros omitto Romanos Antistites, omitto viros Cælitum honoribus consecratos, cæterosque heroas in Historia commemoratos. Nec origo clarissimę gentis inter latebras antiquitatis investiganda est: Hæc quippè antiquarum familiarum laus est propria, ut variis authorum opinionibus, primordia earum incerta maneant. Cæterum eximium ac certissimum decus est *Comitum Anaguinorum*, qui postea *Comites*, seu *de Comitibus* vocati sunt; ab *Innocentio III.*, qui B floruit anno 1198. ad hanc usque ætatem innumeris editis pace, Belloque viris præstantissimis, Familiæ splendorem conservasse.

Michael Angelus de Comitibus, ut in privata ejus vita recensuimus, filius fuit *Caroli* Ducis Poli, & *Isabellæ Muti* clarissimæ Matronę. C Natalem sortitus est diem 13. Maii an. 1655. Liberali vero educatione institutus fuit sub disciplina Patrui sui Cardinalis *Jo. Nicolai de Comitibus* Episcopi Anconitani. *Alexandri VIII.* Cubicularius honoris assumptus, ad *Franciscum Maurocenum* Venetiarum Ducem missus est Internuncius, ut illi Pontificio nomine ensem, & Galeam deferret. Sub *Innocentio XII.* in Pręsulum Ordinem cooptatus est. D Asculi, Frusinonis, & Viterbii Gubernio præfuit. Anno vero 1695. Archiepiscopus dicitur Tharsensis, & Nuncius Apostolicus ad Helvetios. Demum ad Lusitanos mittitur in eadem Nuncii Apostolici dignitate. Qua postrema

Cardinalis de Comitibus vitæ ratio in ejus privata fortuna.

Le-

A Legatione strenuè, multosque per annos gestâ, die 7. Junii anni 1706. à *Clemente XI.* Cardinalis dicitur, & Episcopus Auximanus. Romam adveniens anno 1710. Titulum obtinuit *SS. Quirici, & Julittæ*. Auximum indè se recepit, atque in Ecclesia sua binos per annos prudentiâ, & morum integritate emicuit. Anno demum 1712. mortuo Cardinali *de Sancta Cruce* Episcopo Viterbiensi, ad eumdem Viterbii Episcopatum transfertur. Quam pariter Ecclesiam parum firma pressus valetudine
B aliquot post annos *Michael* dimisit. Indè vero mortuo *Clementi XI.* in Apostolica Sede ipse sufficitur.

Publica in ejus electione lætitia.

Vix ejus electio stanti Populo in Platea, atrioque Vaticano nunciata est, voce ille, manibusque publicam lætitiam patefecit. Omnes omnium generum, atque Ordinum homines, assumptum in Petri Solio Civem suum præstantissimum gratulati sunt. Majori tamen plausu gestierunt, quum eum in Basilicam Vaticanam devectum, venerati sunt. Die 18.
C Maii iisdem acclamationibus, atque in eodem Templo Divi Petri solemni ritu coronatus est. At non ante diem 16. Novembris ad Lateranensem Basilicam accessit; atque ideo protracta aliquamdiu fuit solemnis Summi Pontificatus aditio, ut pompa splendidiori consueti fierent apparatus.

Ministros eligit.

Prudenti consilio optimos sibi Administros delegit. *Georgium* Cardinalem *Spinulam* summæ rei à Secretis constituit. A supplicibus libellis pronunciavit *Bartholomæum Ruspoli* Præsulem sibi affinitate propinquum. Ab Epi-
D stolis, quæ arcanis conscribuntur notis, *Dominicum Riviera*, jam à Secretis amplissimi Ordinis Cardinalium, & Sacri Consistorii. Datariæ Præfecturam contulit *Petro* Cardinali *Corradino*; Alteram Cubiculi Apostolici *Sinibaldo ab Auria* Archiepiscopo Patracensi, & Xenodochii Sancti Spiritus Commendatario. Demum Pontificiæ Domui præfecit *Nicolaum Judice*. Aliaque pro Personarum discrimine Palatii Apostolici munera prudenter
E distribuit.

Initia sui regiminis.

Jubilæum indicit.

Ut opem efflagitaret Divinam pro salutari Catholicæ Ecclesiæ regimine, Jubilæum indixit, & publicas supplicationes decrevit. In iis die 4. Junii pedes incessit, & Cleri, & Præsulum, & Cardinalium stipatus ordinibus, Vaticanum Perystilium lustravit. In primo quoque, quod habuit, Consistorio Cardinalium auxilium poposcit, ut quod sibi imposuerant supremum Ecclesiæ Ministerium, atque onus gravissimum, partitis cum ipso laboribus im-
F minuerent. In altero, quod habuit die 21 Junii hujus anni, Consistorio, ut aliquem sibi consiliorum suorum participem, atque intimum adjutorem assumeret, *Bernardum Mariam de Comitibus* ejus germanum Fratrem, olim Terracinensem Episcopum, inter Cardinales adscripsit. Die vero 16. Julii ejusdem anni *Guillelmum du Bois* Archiepiscopum Cameracensem, & *Alexandrum Albani* Clementis XI. ex Fratre Nepotem eâdem Cardinalitia dignitate insignivit.

Creat Cardinalem Bernardũ de Comitibus ejus Germanũ Fratrem.

Et Guillelmum du Bois.

Et Alexandrum Albani.

Cæsari investituram concedit Neapolitani Regni.

Ad privilegia Sedis Apostolicæ conservanda animum intendens, Cæsari utriusque Siciliæ Regnum Jure Belli possidenti, legitimam dedit possessionem, quam Investituram vocant. Recepto itaque Asturcone, quem Nostri *Chineam* dicunt, cum tributo quotannis pendi solito, & fidelitatis Juramento, quod ipse Cęsar jamdiu exhibebat, illi Neapolitani Regni dominium tradidit. Certas adjecit conditiones juxta vetus Romanæ Sedis institutum, & directum in illud Regnum dominium, & proprietatem. Sic tandem Ecclesiæ Jura vindicavit, & controversias diremit, quę toto *Clementis XI.* Pontificatu Romanam Sedem fatigarunt.

Curæ Pontificis prò Insula Melitensi.

Multipliciter illi subvenit.

Insulam Melitensem terra, marique oppugnare Turcæ minitabantur hoc anno. Stimulis paternæ pietatis excitatus *Innocentius*, nullum prætermisit officium, ut Christianos Principes commoveret ad opem ferendam amplissimo huic Hierosolymitanorum Equitum Ordini, qui se, vitamque suam offert pro statu Religionis, & pro Christiana libertate. Sacrum Cardinalium cœtum gravi Oratione commonuit, ut pecuniam quisque suam juxta vires impenderet ad Fratres suos ab immani periculo eripiendos. Utque exemplo magis, quam precibus, aut suasionibus cæteris anteiret, viginti millia nummorum contulit ex Marsupio ejus domestico. Quamplurimi idcirco ex Cardinalibus, Præsulibusque Romanæ Curiæ vestigiis ejus inhærentes, magnam pecuniæ vim conflarunt, suppetiasque Melitensibus miserunt. Hinc tantis beneficiis usus magnus illius Ordinis Præceptor, novos conscripsit milites, stipendia Triariis auxit, novisque munimentis Insulam vallavit. Pari sollicitudine Corcyræ Insula in mari Jonio fortissimum Italiæ propugnaculum firmata est. Centum millia ducatorum deposuit in æde sacra Montis pietatis Urbis, ut iis Jacobus III. Magnæ Brittanniæ Rex liberè uteretur, si spes Regni recuperandi aliquando illi affulsisset.

Controversiæ circa Ducatum Parmæ, & Placentiæ.

At non istæ dumtaxat Pontificis animum angebant curæ. In Conventu Cameracensi, atque in Comitiis Imperii Ratisbonæ habitis, Catholico Rege vehementer efflagitante sancitum fuerat, Parmæ & Placentiæ Hivitates inconsulta Sede Apostolica *Carolo* Cispaniarum Principi esse deferendas. Inflictum Pontificiæ authoritati vulnus, dominiumque Sanctæ Sedis posthabitum doluit *Innocentius* Gravibus idcirco literis Cæsarem, aliosque Germaniæ Principes commonefecit, ut à cœptis abstinerent. Incerta Regnorum Dominia inter latebras antiquitatis quærenda non esse. Et tamen vetera, & recentia monumenta hoc S. Sedis Dominium in has Civitates clarissimè patefaciebant. Præsertim vero duobus ab hinc sæculis constans Romanorum Pontificum possessio ad hunc usque diem deducta cum Tributo quotannis pendi solito, injuriam S. Sedi inla-

inlatam clarius ostendebat. Sed ejus jura, atque officia in hisce temporum calamitatibus penitus neglecta sunt.

De restituenda Comacli Urbe Cæsar assentitur.

De reddenda quoque S. Sedi Comaclensi Civitate Cæsarem urgebat assiduè. Nulla profecto Cæsari supererat ambigendi occasio. Pontifici vero Urbis Domino restituendam eam fatebatur. Id citò se præstiturum spoponderat; fidemque suam implere promiserat. Rem tamen diutius protrahebat; animusque Pontificis tot in curas distractus vehementer vexabatur.

Pontifex Consilio Medicorum rusticatur.

Infirma quidem *Innocentius* erat valetudine. Ex quo vero Apostolicas sollicitudines in Ecclesiæ regimine insumpserat, gravius ægrotare incœperat. Medicorum consilio sub cælo salubri apricari jussus est. Prope Castrum *Poli* vetustissimum Comitum *Anagninorum* Feudum in Villa nuncupata = *La Catena* = hoc anno rusticatus est. Avito hoc in fundo magnifico, atque eleganti nitore à majoribus suis extructo, mirificè Pontifex visus est refici, ac recreari. Roma *Innocentium* excedentem, atque illuc redeuntem, Romanus Populus ingenti plausu, lætisque clamoribus continenter comitari non destitit. Tanto eum studio venerabatur, diligebat, observabat.

Romam revertitur.

Romam redux interno ditionis Ecclesiasticæ Gubernio, & Pastorali universi Orbis regimini intentum, ut solebat adjecit animum, Annonam levavit. Frumenti promercalem negotiationem repressit. Ad Apostolicas inde sollicitudines conversus, diffluentes in Hispania Clericorum, plebisque mores, speciali Constitutione (*a*) correxit. Hanc uti salubrem, & temporum necessitati idoneam probavit, confirmavitque *Benedictus XIII.* ejus in Apostolatu successor (*b*).

Annonam laxat.

Clericorum mores corrigit in Hispania.

Pontificis Infirmitas, & mors.

At in medio sui Pontificatus curriculo, justitiæ omniumque virtutum operibus nondum absolutis, quarum tam firma jecerat fundamenta, ereptus, ac pene avulsus visus est *Innocentius*. Obesa illi corporis habitudo, ferè in Hydropem desierat. Huic tandem superaccessit intestinorum inflammatio & ardens febris: Quamobrem die 7. Martii hujus anni 1724. naturæ concedere adactus est. Omni ope moriens adnixus est, ut quam piissimam exegerat vitam, piissimè quoque compleret. Sacramentis ritè munitus, consuetas Ecclesiæ preces tanta religione pronunciavit, ut qui ægrotantem sepiebant viri graves, & Religiosorum Ordinum Præsides Generales, vix à lacrymis abstinerent. Vixit annos 68. menses 9. dies 24. sedit in Apostolico Ministerio annos 2. Mens. 9., & dies 29.

Ejus statura, & corporis habitudo.

Statura *Innocentius* fuit ultra mediocritatem. Corpore obeso, & gravi; vultu subpingui, ac serio; placido tamen, & ad hilaritatem composito. Albicantibus oculis; naso patulo. Facie colore alba, & rubore suffusa.

Ut *Innocentii* mors Romano Populo innotuit, repente omnes invasit tristitia, & luctuosa rerum est facta conversio. Postridiè corpus ejus ad Vaticanam Basilicam translatum ibidem amantissimo populo triduo patuit expositum. Demum juxta vetus Ecclesiæ institutum exequialibus justis ritè peractis, è conspectu tumuli *Christinæ* Svecorum Reginæ sepultum est. Nitida Oratione laudes ejus recensuit *Jacobus Amadorius* olim de *Lanfredinis*, Præsul Doctrina celebris, & postea amplissimus S. R. E. Cardinalis. Intra tumulum, in quo conditus fuit, hæc apposita fuit epigraphe.

D. O. M.
INNOCENTIVS XIII. PONT. MAX.
ANTEA MICHAEL ANGELVS DE COMITIBVS
ROMANVS
OB. DIE VII. MARTII FERIA TERTIA
AN. DOM. MDCCXXIV.
VIX. AN. LXVIII. MENS. IX. DIES XXIV.
SEDIT IN PONTIFICATV ANNOS II. MENS. X.

Nomina quinquaginta quinque Cardinalium, qui Comitiis adstiterunt Innocentii XIII.

EPISCOPI CARDINALES

1 Sebastianus Antonius Tanarius Episcopus Ostiensis & Veliternus, Decanus Sacri Collegii, creatus ab Innocentio XII. die 12. Septembris 1695. Bononiensis.

2 Frater Vincentius Maria Ursinus Ordinis Prædicatorum Episc. Portuensis, creat. à Clemente X. die 22. Februarii 1672. Romanus.

3 Franciscus Judice Episcopus Prænestinus, creat. ab Alexandro VIII. die 13. Februarii anni 1690. Neapolitanus.

4 Fabritius Paluccius Episcopus Tusculanus, creat. ab Innocentio XII. die 22. Julii 1697. Foroliviensis.

5 Franciscus Pignattellius Episcopus Sabinensis, creat. à Clemente XI. die 17. Decembris anni 1703. Neapolitanus.

6 Franciscus Barberinus Episcopus Albanensis, creat. ab Alexan. VIII. die 13. Februarii 1690.

PRESBYTERI CARDINALES.

7 Galeatius Marescottus Tit. S. Laurentii in Lucina, creat. à Clemente X. die 27. Maii 1675. Romanus.

8 Jacobus Boncompagnus Tituli S. Mariæ in Via Archiepiscopus Bononiæ, creat. ab Innoc. XII. die 12. Decembris 1695. Bononiensis.

9 Joseph Sacripantes Tituli S. Mariæ Transpontinæ, creat. ab Innocentio XII. die 12. Decembris 1695. Narniensis.

(*a*) Quæ incipit - ad perpetuam - sub datum die 13. Maii 1723.
(*b*) In Bulla quæ incipit - In supremo die 27. Septembris 1724., & in altera Constitutione, quæ incipit - Pastoralis Officii die 27. Martii 1726.

10 Georgius Cornelius Tituli SS. XII. Apostolorum, creat. ab Innocentio XII. die 22. Julii 1697. Venetus. A

11 Laurentius Corsinius Tit. S. Petri ad Vincula, creat. à Clem. XI. die 17. Maii 1706. Florentinus.

12 Franciscus Acquaviva Tituli Sanctæ Cœciliæ, creat. à Clem. XI. die 17. Maii 1706. Neapolitanus.

13 Thomas Ruffus Tituli S. Mariæ Transtyberim, creat. à Clem. XI. die 17. Maii 1706. Neapolitanus. B

14 Horatius Philippus Spada Tituli S. Honuphrii Archiepiscopus Lucæ, creat. à Clemente XI. die 17. Maii 1706. Lucensis.

15 Philippus Antonius Gualtierius Tituli Sancti Grysogoni, creat. à Clem. XI. die 17. Maii 1706. Urbevetanus.

16 Joseph Vallemanus Tit. S. Mariæ Angelorum, creat. à Clemen. XI. die 17. Maii 1706. Fabrianensis.

17 Carolus Augustinus Fabbronus Tituli Sancti Augustini, creat. à Clem. XI. die 17. Maii 1706. Pistoriensis. C

18 Petrus Priuli Tituli S. Marci Episcopus Bergomen., creat. à Clem. XI. die 17. Maii 1706. Venetus.

19 Ulysses Joseph Gozzadinus Tituli S. Crucis in Hierusalem, creat. à Clemente XI. die 17. Maii 1706. Bononiensis.

20 Michael Angelus de Comitibus Tit. Sanctorum Quirici, & Julitæ, creat. à Clemen. XI. die 7. Junii 1706., electus Papa.

21 Joannes Antonius de Via Tituli S. Calisti Episcopus Ariminen., creat. à Clemente XI. die 18. Maii 1712. Bononiensis. D

22 Ludovicus Pico Tituli S. Silvestri in Capite Episcopus Senogalliæ, creat. à Clemente XI. die 18. Maii 1712. Mirandulanus.

23 Augustinus Cusanus Tituli S. Mariæ de Populo, creat. à Clem. XI. die 17. Maii 1712. Mediolanensis.

24 Julius Piazza Tituli S. Laurentii in Pane, & Perna, creat. à Clemen. XI. die 18. Maii 1712. Forolivienfis. E

25 Antonius Felix Zonzadarius Tituli S. Balbinæ, creat. à Clem. XI. die 18. Maii 1712. Senensis.

26 Jo Baptista Bussius Tituli S. Mariæ in Ara Cæli Epis. Anconæ, creat. à Clem. XI. die 18. Maii 1712. Viterbiensis.

27 Petrus Corradinus Tituli S. Joannis ante Portam Latinam, creat. à Clemen. XI. die 18. Maii 1712. Setinus.

28 Armandus Gasto de Roan Tituli Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio Episcopus Argentoratensis, creat. à Clem. XI. die 18. Maii 1712. Gallus. F

29 Wolfangus Annibal de Schratembach Tituli S. Marcelli Episcopus, & Princeps Olomucensis, creat. à Clem. XI. die 18. Maii 1712. Germanus.

30 Joannes Baptista Ptolæmeus Tituli S. Stephani in Monte Cœlio è Societate Jesu, creat. à Clemen. XI. die 18. Maii 1712. Pistoriensis.

31 Benedictus Odescalchus Tituli SS. XII. Apostolorum Archiepiscopus Mediolani, creat. à Clem. XI. die 30. Januarii 1713. Mediolanensis.

32 Henricus de Tyard de Bissi Episcop. Meldensis, creatus à Clemente XI. die 29. Maii 1715. Gallus.

33 Innicus Caracciolus Tituli S. Thomæ in Parione Episcopus Aversæ, creatus à Clemen. XI. die 29. Maii 1715. Neapolitanus.

34 Bernardinus Scotti Tituli S. Petri in Monte Aureo, creat. à Clemen. XI. die 29. Maii 1715. Mediolanensis.

35 Nicolaus Caraccioli Tituli S. Martini ad Montes Archiepiscopus Capuæ, creatus à Clem. XI. die 16. Decembris 1715. Neapolitanus.

36 Joannes Patritius Tituli SS. Quatuor Coronatorum, creat. à Clem. XI. die 16. Decembris 1715. Romanus.

37 Nicolaus Spinula Tituli SS. Nerei & Achillei, creat. à Clem. XI. die 16. Decembris 1715. Januensis.

38 Gibertus Borromæus Tituli Sancti Alexii Episcopus Novariæ, creat. à Clem. XI. die 15. Martii 1717. Mediolanensis.

39 Emericus Csakius Archiep. Colocensis, & Varadinensis, creat. à Clem. XI. die 12. Julii 1717. Hungarus.

40 Georgius Spinula Tituli S. Agnetis extra Muros, creat. a Clem. XI. die 29. Novembris 1719. Januensis.

41 Cornelius Bentivolus Tituli S. Hieronymi Illyricorum, creat. à Clem. XI. die 29. Novembris 1719. Ferrariensis.

42 Philippus Thomas de Alsatia de Boussu Diaconus S. Cæsarei Archiepiscopus Mecliniensis, creat. à Clem. XI. die 29. Novembris 1719. Belga.

43 Joannes Franciscus Barbadicus Tit. SS. Petri, & Marcellini Episcopus Patavinus, creat. à Clem. XI. die 29. Novemb. 1719. Venetus.

44 Michael Fridericus de Althan Tit. S. Sabinæ, creat. à Clem. XI. die 29. Novembris 1719. Germanus.

45 Joannes Baptista Salerno è Societ. Jesu Tituli S. Stephani in Monte Cœlio, creat. à Clem. XI. die 29. Novembris 1719. Cosentinus.

46 Alvarus Cienfuegos è Societate Jesu Tit. S. Bartholomæi in Insula, creat. à Clemente XI. die 30. Septembris 1720. Hispanus.

Cardinales Diaconi.

47 Benedictus Pamphilius Diaconus S. Mariæ in Via Lata, creat. ab Innocentio XI. die prima Septembris anni 1681. Romanus.

48 Petrus Otthobonus Tituli S. Laurentii in Damaso S.R.E. Vicecancellarius, creat.

ab

ab Alex. VIII. die 7. Novembris 1689. Venetus.

49 Joseph Renatus Imperiali Diaconus Sancti Georgii ad Velum Aureum, creat. ab Alex. VIII. die 13. Februarii 1690. Januensis.

50 Laurentius Altieri Diaconus S. Nicolai in Carcere, creat. ab Alex. VIII. die 13. Novembris 1690. Romanus.

51 Carolus Columna Diaconus S. Angeli in Foro Piscium, creat. a Clem. XI. die 17. Maii 1706. Romanus.

52 Curtius Origus Diaconus Sancti Eustachii, creat. à Clem. XI. die 18. Maii 1712. Romanus.

53 Annibal Albanus Diaconus S. Mariæ in Cosmedin S. R. E. Camerarius creat. à Clemente XI. die 23. Decembris 1711. Urbinas.

54 Fabius de Abbatibus Oliverius Diaconus SS. Viti, & Modesti, creat. à Clem. XI. die 6. Maii 1715. Pisaurensis.

55 Julius Alberonius sine Titulo, creat. à Clemente XI. die 12. Julii 1717. Placentinus.

Cardinales absentes, vel qui sero, & electione jam facta Innocentii XIII. Romam advenerunt.

56 Ludovicus Antonius de Noailles Tit. Sanctæ Mariæ supra Minervam Archiepiscopus Parisiensis, creat. ab Innoc. XII. die 21. Junii 1700. Gallus.

57 Laurentius Fliscus Tit. S. Mariæ de Pace Archiepiscopus Genuæ, creat. à Clemente XI. die 17. Maii 1706. Genuensis.

58 Christianus Augustus è Ducibus Saxoniæ Episcopus Jaurinensis, creat. à Clem. XI. die 17. Maii anni 1706. Germanus.

59 Nonius à Cunha de Attayda, creat. à Clemente XI. die 18. Maii 1712. Lusitanus.

60 Melchior de Polignac, creat. à Clem. XI. die 18. Maii 1712. Gallus.

61 Damianus Hugo de Schoemborn Buchaim, creat. à Clem. XI. die 30. Januarii 1713. Germanus.

62 Leo Potiers de Gesores, creat. à Clemente XI. die 29. Novembris 1719. Gallus.

63 Franciscus de Mailli, creat. à Clem. XI. die 29. Novembris 1719. Gallus.

64 Joseph Pereyra de la Cerda Episcopus Faraoniensis, creat. à Clemente XI. die 29. Novembris 1719. Lusitanus.

65 Ludovicus Belluga, & Moncada Episcopus Carthaginensis, creat. à Clem. XI. die 29. Novembris 1719. Hispanus.

66 Carolus Borgia Patriarcha Indiarum, creatus à Clem. XI. die 30. Septembris 1720. Hispanus.

67 Carolus Marini Diaconus Sanctæ Mariæ in Aquiro, creatus à Clemente XI. die 29. Maii 1715. Januensis.

68 Joannes Dominicus Paraccianus Tit. Sanctæ Anastasiæ, Papæ Vicarius, creatus à Clem. XI. die 17. Maii 1706. Romanus. Hic tempore Comitiorum ægrotabat. Obiit die 8. Maii 1721., quo die Innocentius XIII. relatus est Summus Pontifex.

Duas, quæ desunt Cardinalium Sedes, vacuas reliquerat Clemens XI.



Prima Cardinalium Creatio facta

AB

INNOCENTIO XIII.

Die 26. Junii anni 1721.

Unum habet Cardinalem Bernardum Mariam de Comitibus. Romanus.





D. BERNARDVS MARIA ORDINIS S. BENEDICTI
S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS DE COMITIBUS
ROMANUS MAIOR PŒNITENTIARIUS
CREATUS DIE XVI JUNIJ MDCCXXI

Obijt in Conclavi die 23 Aprilis 1730

Antonius David pinxit — *Hieronymus Rossi del. et inc.*

Dominicus de Rubeis Hæres Io. Iacobi formis Romæ ad Templ. S. M. de Pace cum privil. Sum. Pontificis

I.

DOMNUS BERNARDUS MARIA DE COMITIBUS germanus Frater *Innocentii XIII.* Romani Pontificis, genere, ac nobilitate maximè clarus, die natus est 29. Martii anni 1664. Genitores habuit amplissimos, nempè *Carolum de Comitibus* Ducem Poli, & *Isabellam Muti.* Ut vero altæ nobilitatis indicium sunt mores, idcirco claruit à pueritia eximia in Deum pietate, & vitæ innocentia. Rudimenta igitur vix edoctus literarum, tenerâ in ætate à Parentibus impetravit, ut inter Monachos S. Benedicti Congregationis Cassinensis reciperetur. Die 21. Martii anni 1680. à piis illis Confratribus peramanter exceptus in Mo-

A

nasterio S. Pauli Urbis, & ad Tyrocinium admissus, in studio Philosophiæ, & Theologiæ excultus est. Votis demum obstrictus illius Ordinis, plures Galliæ Cisalpinæ Civitates, & plura Benedictinorum Cœnobia in illa Provincia peragravit, ut varia sui Instituti munera exequeretur. Præsertim vero plures per annos moram traxit in Civitate Parmensi, in cujus agro inclita de *Comitibus* Familia nonnulla habet prædia.

B

Anno 1700. Romam revocatus est ad Monasterium S. Calisti, paulloque post Prior eligitur in Civitate Assisii. Romam deinde iterum advocatur, & Prior dicitur Monasterii

S. Pau-

S. Pauli. Quo munere laudabiliter exacto, Abbas datur Monasterio Fabaris * in Sabinia.

* Farfa.

Tot igitur emensis sui Ordinis officiis, existimationem nactus est haud exiguam apud *Clementem XI.* Quare anno 1710. Episcopus eligitur *Anxuris*, quod nunc *Terracina* appellatur. Maxima ibi exhibuit pietatis specimina; Diœcesim lustravit, Ecclesias sacris supellectilibus ditavit, pauperes aluit. Sed Cœlum expertus insalubre, postquam plures per annos adversam passus est valetudinem, dimittendi Episcopatum ab eodem Pontifice veniam impetravit. Quâ obtenta, & resignato Episcopatu, in domum se recepit Ducis *Poli* ejus germani Fratris, nil amplius in votis habens, quam omni vacuus sollicitudine, tranquillam & Deo addictam agere vitam.

Anno 1721. Divino consilio factum est, ut ejus adnitentibus meritis Cardinalis Michael Angelus de Comitibus ejus germanus Frater, in Petri Solio constitueretur; idcirco Summus hic Pontifex die 16. Junii ejusdem anni inter Presbyteros Cardinales illum adlegit, & primum illi locum attribuit inter Purpuratos à se deligendos; Titulum *S. Bernardi* ad Thermas Congregationis Cisterciensis est assequutus, & Protector dictus est totius Ordinis Congregationis Cassinensis. Quotquot in Orbe sunt Sacræ Congregationes, omnes eidem collatæ sunt, nempè S. Officii, Episcoporum, & Regularium, Concilii, Indulgentiarum, Reliquiarum, Rituum, Propagandæ Fidei, Consistorialis, Cœremonialis, Visitationis Apostolicæ, Satisfactionis Missarum, Immunitatis, Fabricæ Divi Petri, Avenionis, & Laureti, S. Consultæ, Boni Regiminis, Aquarum, Paludium Pontinarum, Clanarum, Indicis, Confinium, Examinis Episcoporum, Disciplinæ Regularis, Residentiæ Episcoporum, & Viarum, deinde ut aliqua eminenti dignitate illum ornaret Cardinalem *Paulutium*, qui munere Pœnitentiarii majoris fungebatur, ad aliud transtulit æquè conspicuum munus Vicarii Urbis. Tunc vero Fratrem suum dilectissimum Pœnitentiarium Majorem esse jussit.

At sane Cardinalis de Comitibus nec titulis repentè collatis, nec Pontificia Fratris benevolentia abutebatur. Quinimo ut modestiam sibi ingenitam magis præseferret, in eodem Cœnobio S. Bernardi sui Titularis frequenter habitavit.

Comitiis adfuit *Benedicti XIII.*, & *Clementis XII.*, sed hujus postremi Pontificis electionem non vidit. Obiit enim in Conclavi ictu correptus Apoplexiæ die 23. Aprilis 1730. Corpus ejus justis expiatum fuit exequiis in Cappella Paulina ab universo Sacro Senatu. Deinde expositum solemni ritu in Ecclesia Sanctæ Mariæ in Via, demum translatum fuit ad Ecclesiam Abbatialem *S. Mariæ de Mentorella* Diœcesis Tyburtinæ, quæ est de Jurepatronatu ejus prænobilis Familiæ, atque ibi sepultum fuit.

Secunda Cardinalium enunciatio

Diei 16. Julii 1721. In ea

INNOCENTIUS XIII.

Duos evulgavit Cardinales, qui fuerunt.

Guillelmus du Bois Archiep. Cameracensis. Gallus. Et
Alexander Albanus Clericus Cameræ Apostolicæ. Urbinas.



GUIL-



Guilhelmus du Bois Archiepiscopus Cameracensis, Gallus S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo D N. INNOCENTIO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 16 Iulij 1721.
Obijt die 10. Augusti 1723.

Dominicus de Rossi Hæres Io Iacobi formis Romæ ad Templum S M de Pace cum Priuil. S. P

II.

GUILLELMUS DU BOIS GALLUS, Brivæ Curretiæ (a) apud Lemovices honestis natus est Parentibus die 23. Septembris anni 1656. Prima in Patrio Collegio Literarum rudimenta posuit. Sed quam nec Patria, nec Parentes ejus fortunam sibi conciliare poterant eamdem ipse ingenio, & dexteritate incredibili sibi adnixus est amplificare. Arrepto enim Clericali Instituto, ab Episcopo Lemovicensi prima Tonsura initiari obtinuit. Anno deindè ætatis ejus decimoctavo, ut vires suas novit, A indolisque ferventis stimulis agitari cœpit, Patriis relictis laribus Lutetiam se contulit.

Studia jampridem benè cœpta, Parisios quum pervenisset. feliciter prosequutus est. In Collegio *Navarrensi* impensam Theologicæ facultati navavit operam usque ad annum 1675., atque ut erat eloquio comis, consuetudine elegans, & gratus, hinc plurimos sibi fautores devinxit. Maxima tamen illi fuit fortunæ accessio, quum in Aula receptus Aurelianensium Ducis ad felicium eventuum spem me-

(a) Hæc Civitas *Brive la Gaillarda* Gallis nuncupatur, & *Carretia* dicitur, quia adjacet flumini *la Couraze*. Sita est in Provincia Lemovicensi, quam Galli *Limosin* appellant.

meruit excitari. Is fuit Aurelianensium Dux ille, qui germanus Frater *Ludovici XIV.* Gallorum Regis, ut *Guillelmum* maximi faciebat, hinc *Philippum* ejus filium erudiendum illi, atque instituendum tradidit.

Oblata *Guillelmus* fortuna dexterius utebatur. Brevi utriusque Principis, Patris scilicet, & Filii sibi gratiam conciliavit. Eodem vero Patre è vivis erepto in Aula nuperi Aurelianensis Ducis summam Imperii potestatem obtinuit. Omnia ferè nutu suo moderabatur. Nihil enim illi antiquius fuit, quam ut adolescentis voluntati obsequeretur, genioque indulgeret. Anno 1690. Regis clementia pingue Sacerdotium obtinuit, quod à Gallis dicitur *Abbatia de Airvau* in Diœcesi Rupellensi. Inde in Ecclesia *S. Honorati* Canonicus receptus est. Hunc Canonicatum anno 1700. *Guillelmus* dimisit favore ejus ex Fratre Nepotis.

Sed anno 1715. postquam naturæ concesserat *Ludovicus* Magnus, & in pupillari ætate *Ludovici XV.* Regni Rector evaserat *Philippus* Aurelianensis Dux; tunc *Guillelmus* ad maximum felicitatis fastigium evectus est. Nedum enim cum Regio Principe consiliorum Regni particeps fuit, sed unus ex quatuor viris Regis Conmmentariensibus evasit. Anno 1716. Orator extra ordinem, & Plenipotentiarius ad Anglos mittitur pro fœdere ineundo inter eosdem Anglos, Batavos, & Gallos. Ut in commissis habebat, fœdus iniit die 15. Januarii anni 1717. Et rebus prospere gestis in Galliam rediit. Sed vix ad suos reversus, iterum ad similia curanda negocia in Angliam traducitur. Tunc die 8. Augusti 1718. generalem Europæ pacificationem sancivit, quæ sub nomine *Londinensis* pacis vulgata est.

Tantis auctus meritis, tunc demum à Rege primus Regni administer assumptus est. Anno 1720. die 9. Julii inauguratur Episcopus, & Dux Cameracensis in Ecclesia *Vallis Gratiæ* à Cardinali *de Rohan*, collaborantibus Nannatensi, & Claramontensi Episcopis. Quamplura alia ditissima Sacerdotia obtinuit, aliisque maximis dignitatibus auctus fuit. Socius enim receptus fuit Gallicæ Academiæ, aliorumque Literatorum cœtuum.

Innocentius XIII. efflagitante Gallorum Rege, & quod rarum est, in id etiam incumbentibus cæteris ferè omnibus Catholicis Principibus, hac die 16. Julii 1721. eum in Sacrum Cardinalium Collegium invexit. Romam tamen numquam advenit; Petaso idcirco, tituloque caruit Cardinalitio. Die 29. Maii 1723. generalibus præfuit Cleri Gallicani Comitiis; eodem anno 1723. die 10. Augusti obiit Versaliis. Corpus ejus Parisios translatum sepultum est in Ecclesia *S. Honorati*, ubi jamdiu fuerat Canonicus.





ALEXANDER S.R.E. PRIMUS DIACONUS
CARDINALIS ALBANUS URBINAS
CREATUS DIE XVI. IULIJ MDCCXXI.

Petrus Nelli delin. *Hieron. Rossi incid.*

Dominicus de Rubeis Hæres Io. Iacobi formis Romæ ad Templ. S. M. de Pace cum Priu. S. Pont.

III.

ALEXANDER ALBANUS URBINAS die natus est 19. Octobris anni 1692. ex *Oratio* germano Fratre *Clementis XI.*, & ex *Maria Bernardina Hondedea* Patritia Pisaurensi. Frater est Hannibalis, Patruus vero *Jo. Francisci* aliorum hujus cognominis præstantium, & viventium Cardinalium. Octennis erat, quum ad supremum Apostolatus apicem Patruus ejus assumptus fuit. Vivido adolescens ingenio in amplissima Paterna Domo, pietatis, & literarum rudimenta posuit. Cultioribus disciplinis impensam navavit operam sub cura Patris *Paulini à S. Joseph* Scholarum Piarum, magni nominis Oratore. In studio vero Jurisprudentiæ

A Institutorem habuit *Franciscum Gasparri* clarum in Romano Archigymnasio Professorem.

Anno 1708. quum ad avertenda suæ Ditionis mala, arces munire, & plura peditum, equitumque millia *Clemens* conscribere adactus esset; *Alexander* vero in ipso juventutis flore cupidus esset rei militaris, arma sequutus est. Chiliarca tunc dictus est Cohortis Equitum levis armaturæ. Anno & ultra, quo belli perstitit periculum, hoc munus libens exercuit. Brevi tamen rebus ad concordiam perductis,

B Romam ipse redux nondum Ecclesiasticam agebat vitam, actuosam tamen, & eruditioni, præsertim vero studio antiquitatis maximè de-

A ditam. *Friderico IV.* Daniæ, & Norvegiæ Regi, qui privato *Oldemburgensis* Comitis assumpto nomine, iter in Italiam instruxerat, Bononiæ anno 1709. obvius fuit. Cum Equite *Carolo* ejus germano Fratre Pontificio nomine grata præstantissimo Regi honoris, & observantiæ exhibuit officia.

Quum vero ad munia publica exercenda animum adjecisset, utque Ecclesiæ inserviret, in Præsulum Ordinem cooptari obtinuit. Severo Patrui Judicio nil ultra in toto ejus Pontificatu impetravit, quam ut inter Cameræ Apostolicæ Clericos reciperetur. Ejus tamen exeunte Pontificatu, anno nempè 1720. in Germaniam ad *Carolum* Cæsarem allegatus est, ut impendentibus S. Sedis gravissimis negociis extremam manum imponeret. Plura Pontificem sollicitabant; acerbæ scilicet Siculæ Monarchiæ contentiones, libera Comaclensis Civitatis restitutio, & nonnulla in Germania Orthodoxæ Religioni intentata discrimina. Plura idcirco Alexander absolvit, plura pendentia reliquit, morte præsertim abstractus Pontificis, qui paucos post menses naturæ concessit.

Mortuo *Clemente XI.* Romam *Alexander* rediit. Inter Clericos Cameræ Apostolicæ, ut ante ejus discessum in more habuerat, Justitiam coluit. Ast ad Apostolatum assumpto *Innocentio XIII.*, memor ipse Cardinalitiæ dignitatis à *Clemente XI.* acceptæ, eamdem Cardinalitiam dignitatem *Alexandro* contulit. Atque hoc die 16. Julii anni 1721. eum inter Cardinales recensuit, & Diaconiam illi attribuit *S. Hadriani*, à qua ad alteram postea gradum fecit *S. Mariæ in Cosmedin*, & hanc postea in *Commendam*, ut ajunt, retinuit, licet ad alias ascenderit Diaconias *S. Mariæ ad Martyres*, & *S. Mariæ in Via Lata*. Divitem Abbatiam S. Leonardi Sypontinæ Diœcesis in Apulia illi contulit idem Innocentius. In Congregationes etiam adlectus fuit Propagandæ Fidei, Sacræ Consultationis, Boni Regiminis, Rerum Consistorialium, Avenionis, Fabricæ Divi Petri, Immunitatis Ecclesiasticæ, Rerum Cœremonialium, Rituum, Signaturæ Gratiæ, Riparum, & Tyberis.

In Pontificatu *Benedicti XIII.* Protector assumptus fuit Sardiniæ Regis, Cæsaris indè in Urbe administer, Imperii Comprotector, & Regnorum hæreditariorum Austriacæ Domus post mortem Cardinalis *de Judice* dictus fuit. Protector etiam Religionis Hierosolymitanæ, Monachorum Montis Libani, Collegii Germanici Hungarici, Hospitii Apostolici S. Michaelis ad Ripam fluminis, aliorumque plurium Locorum Piorum. Præfectus Congregationi Aquarum, & Cappellæ Pontificiæ.

Pluribus hisce auctus muneribus singula ipse sedulò exequitur. Antiquitatem, & antiquitatis peritos observat, ac diligit, ingenuas artes tutatur, eruditos homines colit. Sedula plurium annorum perquisitione insigne Musæum comparaverat. Rariora Numismata, eaque etiam maximi Moduli; marmorea vero, atque etiam ænea signa ab Ægyptiis, vel Græcis, vel Romanis affabre scalpta opificibus, collegerat. Tot præclara monumenta *Clemens XII.* antiquitatis admirator eximius, summa ope in Musæum Capitolinum inferri curavit.

Comitiis Alexander adfuit Vaticanis pro electione *Benedicti XIII.*, *Clementis XII.*, & BENEDICTI XIV. Assiduâ hac consulendi, agendique vicissitudine actuosam ducit adhuc, virisque eruditione præstantibus probatam vitam.



Car-

Cardinales mortui in Pontificatu Innocentii XIII.

Jo. Dominicus Paraccianus Tit. S. Anastasiæ, Urbis Vicarius, creat. à Clemente XI. die 17. Maii 1706., obiit Romæ die 8. Maii 1721.

Georgius Cornelius Tituli SS. XII. Apostolorum, creat. ab Innocentio XII. die 22. Julii 1697., obiit Venetiis die 9. Augusti 1722.

Guillelmus du Bois Archiep. Cameracensis, creatus ab Innocentio XIII. die 16. Julii 1721., ob. Versaliis die 10. Maii 1723.

Franciscus de Mailli, creat. à Clemente XI. die 29. Novembris 1719., ob. die 13. Septembris 1721.

Duas Clemens XI. reliquerat Sedes vacuas in Sacro Collegio. Alia vacavit ex assumptione Innocentii XIII. ad Apostolatum. Et quatuor aliæ Sedes vacarunt in toto Innocentii XIII. Pontificatu. Ipse vero tres Cardinales creavit. Ergo quatuor alias Sedes vacuas reliquit. Quas nec Consanguineorum, nec Cardinalium precibus adduci potuit, ut impleret.



Numismata Innocentii XIII. præstantiora.

I.

INNOCEN. XIII. PONT. MAX.
MICHAEL ANGEL. DE COMITIBVS ROMANVS ELECTVS DIE VIII. CORONATVS DIE XVIII. MAII MDCCXXI.

Ejus electionis negotium, item & festivam ejus coronationis solemnitatem retuli superius Tom.2. pag.381.

II.

INNOC. XIII. PONT.MAX. = inferius = VV.
IN TERRIS INNOCENTIVS DECIMVS TERTIVS = In circulo= IN CÆLIS CONSVRGIT MICHAEL PRINCEPS MAGNVS. *Dan.*1.

Westernus Germanus hujus Numismatis cusor ad nomina alludit, quibus Innocentius XIII. tam ante, quam post adeptum Apostolatum appellabatur.

III.

INNOCENTIVS XIII. PONT. MAX.
RENOVABIS FACIEM TERRÆ MDCCXXI.

Ecclesiam in nubibus postica exhibet, & S. Michaelem Archangelum hydram calcantem; alluditque ad nomen, quoInnocentius antequam Pontifex renunciaretur, appellabatur. Renunciatus autem fuit eodem die S. Michaeli Archangelo Sacro.

IV.

INNOCEN. XIII. P. M.

Eadem prorsus postica, atque in antica eadem effigies.

A

V.

INNOCENT. XIII. P. M. A.I.
CONSTITVI TE PRINCIPEM.

Idem, ut supra.

VI.

INNOCEN. XIII. P. M. A.I.
RENOVABIS FACIEM TERRÆ MDCCXXI.

Iterum cusum est hoc Numisma anno Innocentii XIII. secundo.

B

VII.

INNOCENT. XIII. P. M. AN. II.
OMNIA POSSVM IN EO QVI ME CONFORT. MDCCXXII.

Ad significandam in Deo spem, qua gravia quæque direxit Innocentius XIII., Numisma est cusum.

VIII.

INNOCENT. XIII. P. M. A.III.
C TV DOMINVS ET MAGISTER = infernè = EXEMPLVM DEDI VOBIS.

Solitum Romanis Pontificibus fere omnibus Numisma, sæpè à nobis explicatum est.

IX.

INNOCENT. XIII. P. M. A.III.
FRANCISCAN. COMITIIS SVMMO PONTIFICE PRÆSIDENTE.

D Comitia Seraphicæ Familiæ generalia, diu variis de causis intermissa, Romæ indixit Innocentius; & præsens iis interfuit. In cujus rei memoriam in Templo S. Mariæ de Ara Coeli marmoreus lapis erectus est, extatque adhuc in majori, ac mediâ Ecclesiæ navi.



BE-

BENEDICTVS XIII. VRSINVS
ROMANVS PONTIFEX MAXIMVS
CREATVS DIE XXIX MAIJ MDCCXXIV.
Obijt die 21 February 1730.

Eques Petrus Leo Ghezzius delin. et pinx.

Hieronymus Rossi incid.

Dominicus de Rossi Hæres Io. Iacobi formis Romæ ad Templ. S. M. de Pace cum Priu. S. Pont.



BENEDICTUS XIII.

PONTIFEX CCXXXXIX.

ANNO DOMINI 1724. CAROLO VI. ROMANORUM IMPERATORE



Justa funebr.a a-cta Innocentio XIII.

POSTQVAM Sacer Cardinalium coetus solitis Religionis officiis, Romanusque Populus publica mestitiâ *Innocentio XIII.* parentaverant; novendialibus item exactis, die 19. Mensis Martii hujus anni 1724. egregius Præsul *Jacobus de Lanfredinius* postea S.R.E. Cardinalis, nitidam habuit Orationem in funere memorati Pontificis - Postridie Rem Divinam ad impetrandum Spiritus Sancti præsidium absolvit Cardinalis *Franciscus Judice*. Mox alteram de subrogando Pontifice luculentam habuit Orationem *Franciscus Blanchinius* Præsul pari Doctrina præstans, ut ejus præclara scripta commemorant. Ad solemnia demum celebranda Comitia Cardinales inferius nomine recensendi, Vaticanum Conclave ingressi sunt. Diu cunctatum est; diu hæserunt Comitia, & plurium Cardinalium per ætatem, & per Magistratus optimè gestos merita, sedula disquisitione librata sunt. Tandem divinitus quasi factum est, ut tres supra quinquaginta, qui aderant, Purpurati Patres opinione sanctitatis, qua Cardinalis *Frater Vincentius Maria Ursinus* ubique fulgebat, in eum confertim iverint. Sic post duos Menses, diesque 22., quibus Apostolica Sedes vacaverat, eadem communi assensu in ipsum collata est

Cardinales Conclave ingrediuntur

Cardinalis Vincentius Maria Ursini eligitur Summus Pontifex.

A die 29. Maii, postquam ejus devicta fuit modestia, qua constantissimè recusabat.

Vitam Cardinalis *Vincentii Ursini*, ejusque virtutes, quas cursu superioris temporis exegit, recensuimus. Ex præclarissima Domo, quam tot viri sanctitate celebres, pluresque alii Summi Pontifices illustrarunt, in lucem editus est die 2. Februarii 1649. Filius fuit primogenitus *Ferdinandi Ursini* Gravinæ Ducis, &

Vita Cardinalis Ursini in statu privato.

B *Franciscæ Frangipani de Tolfa*. Petri Francisci nomen in Baptismate sortitus est. Pietati, & studio Religionis a pueritia ferventissimè incubuit. A Matre, affinibusque suis, qui nobilissimas eidem nuptias paraverant sæpe repulsus est à regulari Prædicatorum instituto, quod capessere diutius concupiverat. Maternas tamen curas elusit, & prætextu lustrandi Italiam, Venetias se contulit, ubi anno 1667. eidem Ordini

C Prædicatorum nomen dedit. Frustra Materna sollicitudine tentata est adolescentis voluntas; frustra labores adhibiti, & optimatum, affinium, & Nuncii Apostolici interposita authoritas, ut eum a proposito dimoverent. Die 13. Februarii anni 1668. dimissa favore Fratris secundogeniti pinguissima Patris hæreditate, Votis illius Ordinis solemniter se obstrinxit. Bononiæ, deinde Neapoli studiis,

D quibus Paterna in Domo satis fuerat initiatus, impensius incubuit. Mox Venetias traductus, Theses Philosophicas propugnavit anno 1672. Eodem anno Bononiam reversus die 22. Februarii à *Clemente X.* inter Cardinales refertur

sub

sub Titulo *S. Sixti*. Oblatam Dignitatem constantissimè recusavit, usquequo Patris *Roccaberti* totius Ordinis Magistri Generalis, & ejusdem Summi Pontificis obedientiæ adactus imperio, omnis illi spes ad repugnandum est præcisa. Nova superadditi honoris Majestas mores pristinos non mutavit. Eadem Monastica veste usus est, idem cibi genus adhibuit, & nihil de solita vitæ methodo remisit. Ad Episcopale munus licet invitus, ac reluctans vocatus, primo Sypontinæ, deindè Cesenatensi, & demum Beneventanæ præfuit Ecclesiæ. Mirifica sunt, quæ gesit in hujusmodi Apostolico Ministerio. Diœceses suas quotannis lustravit, easdemque non in curribus, & in equis, sed ut plurimum pedes peragravit; Ecclesias consecravit, instauravit, erexit, & congrua collata dote, diutinæ illarum manutentioni prospexit. Seminaria, Nosocomia, Cæmeteria, aliasque id genus ædes ab imo extruxit; adeout supra bis centum millia ducatorum in hujusmodi parandis ædificiis impenderit. Synodos coegit, & Typis edidit, & plura habuit Concilia Provincialia. Cleri, & Populi reformationi semper incubuit, Sacramenta præsertim infirmis manu sua ministravit, conciones ad Populum habuit assiduas, eumque edocuit Christianæ fidei rudimenta nedum in Ecclesiis, sed etiam in compitis, & plateis; sui vero rigidus corrector, & castigator; mensa ejus non dapibus onerata, nec carnibus opiparis, sed fructibus, & oleribus. Somni parcissimus erat. Ut media nocte vix inchoata semper assurgeret, cubatum ibat incœnatus. Post nocturnam Psalmodiam somnum non repetebat; summo mane Rem sacram agebat, deinde studiis navabat operam. Pauperum solator, fæminarum colloquia semper abhorruit. Vigiliis, laboribusque confectus, & attritus, abstemius, pallens, & undequaque redolens sanctitatem. Anno 1688. die 5. Junii concussa ingenti Terremotu Beneventi Civitate, ipsiusque Episcopalis Palatii confractis contignationibus, non sine evidenti miraculo ipse illæsus remansit, dum alter, cum quo colloquebatur, nobilis Beneventanus, ruina oppressus, obrutusque lapidibus interiit. Hic vir sanctus, severus, exemplar antiquitatis, & veteris disciplinæ, in solio Petri locatus est.

Recusatio, & humilitas Card. Ursini occasione suæ electionis.

Precibus, lacrymisque Cardinalis *Ursinus* obtestatus est Collegas suos, ut formidandum, sibique invisum honorem ab ipso averterent. Plura ex modestia protulit, quæ Sacrum Senatum à sententia retraherent. Inertem, ignarum, & rerum agendarum imperitissimum se prædicavit. Sacramento demum Religionis adactus, jugum Dominii mœrens subivit. Elatus, ut moris est, in gestatoria sella, noluit illuc incedere; sed ex illa prosiliens, pompamque exosam contemnens, pedes ivit ad Vaticanam Basilicam. Ut ad hujus Templi limen pervenit, submissis genibus, pronusque in terram procubuit: Ecclesiam Sponsam suam adoravit, lacrymisque pavimentum respersit. Plura ex humilitate gessit, quæ Populi, & multitudinis fermè incredibilis lacrymas, & admirationem eliciebant. In privata ejus vita nihil de pristina severitate remisit. Vestem suæ Religiosæ Familiæ non immutavit. Laneo indusio, laneisque linteolis usus est. In abdita, & humili Palatii Apostolici parte ad habitandum secedens, paucorum Conclavium angustias elegit. Nudi Parietes, nisi quantum papyraceæ Sanctorum imagines, & aliquot Librorum plutei convestirent. Lectulus rusticus, ac vilis, sellæ perpaucæ, & junceæ. Hoc ille utebatur cultu, quum privatim agebat. Prodeundum vero quum esset, non famulitio, non militum multitudine stipatus incessit. Sed in humili rhedâ cum binis familiaribus, binisque famulis commeabat, & Populi conspectum ut plurimum effugiebat. Pontificia Majestate dumtaxat utebatur in Summi Sacerdotis officiis, rebusque sacris peragendis. Hoc vitæ genere usus est in toto sui Regni curriculo.

Pia ejus vitæ methodus.

Antequam Imperii habenas susciperet, à quocumque negocio per triduum abstinuit, atque in abditam se subduxit partem, ut fusis ad Deum precibus cælestem opem pro recta Ecclesiæ administratione impetraret. Die 4. Junii solemni ritu coronatus est in ipsa Vaticana Basilica. Optimos indè sibi administros delegit. *Fabritium* nempè Cardinalem *Pauluccium* summæ rei a Secretis constituit, quod munus Secretarii Status jam in Pontificatu *Clementis XI.* strenuè obiverat. In officio ProDatarii confirmavit *Petrum* Cardinalem *Corradinum*, atque in altero Diplomatum Apostolicorum *Fabium* Cardinalem *Oliverium*. Præfectum Domui Pontificiæ constituit *Nicolaum Judice*: Assessorem vero suum, quem Papæ Auditorem dicunt *Prosperum Marefuschium* Archiepiscopum Cæsareæ. Pontificio Cubiculo præfecit *Nicolaum Lercarium*. Ab Epistolis arcanis conscriptis notis *Camillum Merlinium*, & demum à supplicibus Libellis *Nicolaum Coscia* longa sibi consuetudine acceptum.

Coronatur die 4. Junii.

Ministros eligit.

Primis sui Pontificatus diebus edictum evulgavit, ex quo luxus immoderatus prohibebatur. Mulieribus modestæ vestes præscribebantur. Clericis vero recta vivendi methodus, & vestium norma dabatur; crines calamistro ornati, & ascititia, seu ficta coma omninò interdicebantur. Die 12. Junii primum habuit Consistorium; in eo passis, brevibusque capillis Cardinales, Præsulesque Romanæ Curiæ in conspectum Papæ venerunt. Ille vero, & Cardinalibus gratias egit de Apostolatu sibi credito, & gravi ejus Oratione commonuit, ut ipsi secum adlaborarent, eumdemque Apostolatum Christianarum virtutum exemplo, pietate, & doctrina fulcirent; ne immoderatâ flagrarent bonorum cupidine, ne lucri utilitatibus, commodisque suis nimium inservirent. Nihil Pontifex ajebat, aut præcipiebat, quin prius exemplo suo cæteris anteiret. Parcissimus cibo, & somno, pompæ, & divitiarum

Initia sui Regiminis.

rum contemptor, Familiæ vero ſuæ, ſuorumque conſanguineorum adeo negligens, ut eos quaſi extraneos habuerit. *Philippum Urſini* Gravinæ Ducem, & Fratris filium, nullo vel beneficio affecit, vel publicarum rerum administrationi præpoſuit.

Alia pietatis officia.

Omnes paternæ ſuæ beneficentiæ fructus in pauperes erogavit. Xenodochia, & Noſocomia, aliaque Urbis pia loca dietim inviſebat. *Jacobum III.* Magnæ Britanniæ Regem juvit maxima benevolentia, & largitate. Inter Catholicos Europæ Principes ſinceris officiis pacem conciliare ſategit. Ut erat à Partium ſtudiis alienus, ſic eorumdem Principum Oratores Apoſtolica libertate alloquebatur. Ad implorandam cœleſtem opem pro ſalutari Catholicæ Eccleſiæ regimine initio ſui Pontificatus Jubilæum univerſale indixit. Reformare Eccleſiam Dei, & diffluentes undique Chriſtianorum mores corrigere ſumma ope concupibat. Præcipuum in id ſtudium Romæ impendebat. Saluberrimas in dies Leges evulgabat. Viros muliebroſos, & mulieres inhoneſtas ſevera, & quotidiana animadverſione inſectabatur. Hanc morum correctionem in quolibet Chriſtiano Regno extendere ſtatuerat. Eam primum in Hiſpaniarum Regna invexit. Urgente enim Cardinali *Ludovico Belluga*, & Catholici Regis *Philippi V.* pietate adnitente, Conſtitutionem (*a*) evulgavit, qua collapſam Eccleſiaſticam diſciplinam, Sacrorumque Canonum inſtituta, & præcipuè Concilii Tridentini Decreta inſtaurabat. Mores vero Clericorum, quibus Sacra Miniſteria committenda ſunt, accuratâ diſquiſitione ab Epiſcopis inveſtigandos eſſe jubebat. In Seminariis Epiſcopalibus educandos eſſé, ut Literarum, ſacrarumque rerum ſtudio imbuerentur. Ad ſacros Ordines admittendi linguam callerent latinam, & Catechiſmo inſtructi eſſent. Præſertim vero ad Presbyteratum aſſumendi, novo Epiſcopali examine de morum integritate, de ſcientia ſaltem Theologiæ moralis idoneitatem exhiberent. A demandata morum innocentia aberrantes, convenienti animadverſione in viam redire cogerentur. Congrua Cappellaniis, & Sacerdotiis ſtatuebatur, eorumdem Sacerdotiorum pluralitas interdicebatur. De Animarum cura, de Populi, & Gregis regimine, de Confeſſionibus excipiendis certa dabatur norma; univerſæ denique Eccleſiaſticæ diſciplinæ compendium ſalutare tradebatur. Chriſtianas haſce leges, quas in Hiſpanias invexerat, ubique locorum promulgare decreverat.

Studet reformatio ni Univerſalis Eccleſiæ.

In Hiſpaniis primum hanc Eccleſiaſticam Diſciplinam inſtaurat.

Adventante expiationis anno, juxta laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem, ſex ante menſibus Jubilæum univerſale indixit. Die demum 24. Decembris Portam Sanctam Baſilicæ Vaticanæ ſolemni ritu reſeravit. Magna Peregrinorum multitudo, multi illuſtres Viri, Fœminæque Romam advenerunt anno Jubilæi 1725. Inter has *Violantes Beatrix* Bavaricæ gentis magna Etruriæ Princeps, ejuſque ex Fratre Nepos *Carolus* Princeps Electoralis Bavariæ, quem poſtea ſub *Caroli VII.* nomine Cæſarea dignitate auctum vidimus. Hos Benedictus XIII. omnibus comitatis officiis excepit.

Moleſta, & ſub duobus Pontificibus Anteceſſoribus inveterata querela de Comaclenſi Urbe Sanctæ Sedi reſtituenda, hoc tandem anno felici exitu eſt abſoluta. Cæſar enim ſtimulis actus ejus auguſtæ æquitatis, vocibuſque permotus hujus S. Pontificis, qui Sacerdotali libertate reddi Urbem petebat: Eamdem demum liberè, & ſine ulla conditione, & tanquam Patrimonium Divi Petri reſtituendam eſſe cenſuit. Die 20. Februarii è Civitate Cæſareus miles ſubductus eſt, & Arx Papæ adminiſtris tradita.

Comaclũ S. Sedi libere reſtitutum.

Menſe Aprili hujus anni juxta vetus Eccleſiæ inſtitutum Benedictus XIII. Sacra Numiſmata ex cera confecit, quæ ex Agni effigie in illa cera, ut plurimum inſculpta, uſitato nomine, *Agni Dei* vocantur. Ex hiſce Numiſmatibus, quæ ſuis precationibus pius iſte Pontifex conſecraverat, prodigium divinitus factum Teſtes fide digni, graveſque authores (*b*) commemorant. Die 7. Auguſti hujus anni in Oppido Cotonei [a] Laudenſis [b] Diœceſis, Domus cujuſdam *Antonii Sanarici* horribili incendio conſumebatur. Quidam Sacerdos *Angelus Belloni* unam ceream cæleſtis Agni effigiem cum Crucis ſigno in ignem conjecit, qui ſtatim omnibus admirantibus extinctus eſt.

Portentum divinitus factum ex cereis Amuletis Benedicti XIII., quæ Agni Dei vocantur.

[a] Codogno

[b] Del Lodigiano.

Saluberrimas leges, quas in dies evulgabat circa lapſam Eccleſiæ diſciplinam, non poterat Benedictus ad ultimas Orbis Catholici partes tam cito, ut optabat, extendere. Et tamen ut ab Eccleſia Romana cæterarum Magiſtra nova, & aſſidua emergerent exempla virtutum, die 24. Decembris Concilium Romanum indixit, cui intereſſe juſſit Epiſcopos omnes in ſpeciali Romana Provincia conſtitutos; videlicet inter Capuanam, & Piſanam Provinciam. Præterea Archiepiſcopos ſuffraganeis carentes, & Epiſcopos S. Sedi immediatè ſubjectos, nec non Abbates nullius Diœceſis, & Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes. Dies aderat decimaquinta Aprilis habendo Concilio decreta. Huic Summus Pontifex præfuit. Optimæ in eo ſancitæ ſunt leges, de ſtatu hominum, de vita Clericorum tam Sæcularium, quam Regularium, & de Eccleſiæ diſciplina penè univerſa. Quotquot in Urbe aderant Cardinales, vocati interfuere. Non murmur, non querimonia, aut contentio invaluit, ſed trigintaduo in Curia præſentes Cardinales pacificè his Synodalibus Decretis ſubſcripſere. Poſt eos quinque Archiepiſcopi, indè triginta novem Epiſcopi, & tres Abbates, & demum trigintaquin-

Novæ ejus Apoſtolicæ ſollicitudines.

Concilium Romanum indicit.

Illi præeſt Pontifex.

Leges in illo promulgatæ.

(*a*) Quæ incipit In ſupremo Militantis Eccleſiæ Et altera hujus Pontificis, quæ incipit - Paſtoralis officii -

(*b*) Adden ad Platinam Tom. 2. p. 185. edit. Venetæ anno 1744. Jo. Andreas Tria Epiſcopus Larinæus in vita hujus Pontificis.

taquinque aliorum absentium Episcoporum Procuratores simili subscriptione Concilii acta firmarunt.

Aliquæ ex hisce legibus ad totam Italiam extenduntur

Ut aliqua Concilii Tridentini decreta in hoc Romano Concilio confirmata, ubique observarentur, & saltem per totam paterent Italiam, eadem præcipuis ejus Constitutionibus renovavit, omnibusque Episcopis illarum executionem commisit. Ut Cathedrales, & Collegiatæ Ecclesiæ totius Italiæ repararentur, & servarentur, statuit, ut noviter provisi de quocumque Sacerdotio non affecto Sanctæ Sedi, medietatem fructuum eorumdem Sacerdotiorum pro Fabrica illarum Ecclesiarum solvere teneantur (*a*). Seminariorum erectionem, eorumque honestam sustentationem promovendam similiter omnibus Italiæ Episcopis demandavit (*b*). Iisdemque identidem commisit (*c*) Præbendæ Theologalis, & Canonici Pœnitentiarii institutionem. Ne Immunitas Ecclesiastica reos quorumdam atrocium criminum in detrimentum Reipublicæ tutaretur, *Gregorii XIV.* famigeratam Constitutionem confirmavit, ampliavitque; et nova excepit crimina, quorum reos ab eodem repulit Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio(*d*).

Curæ ejus in Temporali Gubernio.

Tot, tantæque Apostolicæ sollicitudines intentum Pontificis animum ad instruendum Catholicum Gregem distinebant. Et tamen nulli deerat officio, quo prudenti Ditionis Ecclesiasticæ gubernio adlaboraret. Revera pius iste Pontifex inter Cœnobii septa educatus, optimisque studiis imbutus, ut erat ad Episcopales curas, & ad gerendum supremum Apostolatum aptissimus; ita è contra ad Magistratus obeundos, ad Rempublicam capessendam minus videbatur idoneus. Tantâ præterea pollebat morum innocentiâ, ut nec abditas negociorum difficultates valeret internoscere, nec Ministrorum, præsertim verò suorum Familiarium, astus præcavere. Et tamen constanti ingenitæ justitiæ studio, ad optima quæque agenda erudiebatur. Pontificium ærarium minimè imminutum fuit. Novo ære alieno Camera Apostolica non laboravit. Quinimo laxata fuit Annona. Parvum quoddam vectigal carnis suppressum; & pro Annona Urbana, & Re Agrariâ benè gerenda saluberrima edita fuit Constitutio (*e*).

Dolet de Ducatu Parmæ, & Placentiæ in Principem Hispanum collato.

Pax hoc anno inita inter *Carolum* Cæsarem, & *Philippum V*, Hispaniarum Regem, *Benedicto XIII.* novas attulit sollicitudines. In conditionibus enim illius pacificationis rursum sancitum fuerat Parmæ & Placentiæ Civitates *Carolo* Hispaniarum Principi esse deferendas. Jura S. Sedis posthabita, Dominium duobus ab hinc sæculis pacificè à Romanis Pontificibus usque ad hæc tempora continuatum, & ab aliis adeo neglectum, & pessundatum, doluit vehementer *Benedictus*. Datisque ad ejus Nuncios Apostolicos gravibus literis, Catholicos omnes Europæ Principes commonefecit de vulnere authoritati Sedis Apostolicæ inflicto.

Nicolaum Coscia inter Cardinales refert, frustra renitentibus aliquot aliis Cardinalibus.

Nicolaum Coscia intimum familiarem suum hoc anno inter Cardinales retulit, neglecto aliquot Cardinalium dissensu, qui Pontificem in Consistorio à proposito dimovere frustra conati sunt. In eumdem *Coscia* per Urbem rumor incesserat; palamque incusabatur, quod nimia Papæ docilitate abuteretur.

Hiacintha Marescotti inter Beatas refertur.

Sanctorum Canoni octo Beatos adscripsit; nempè Stanislaum Kostka, Aloysium Gonzaga, Joannem à Cruce, Franciscũ Solanum, Peregrinũ Latiosum. Jacobum à Marchia, Agnetem à Monte Politiano Thuribiũ Archiepiscopum Limanum

Exeunte hoc anno 1725. Portam Vaticanæ Basilicæ rite clausit. Piis indè Religionis officiis assidue intentus insequentem annum 1726. novis virtutum operibus decoravit. Dei Famulam *Hyacintham Marescotti* inter Beatas retulit. Deinde ex integro octo Beatos Sanctorum Canoni adscripsit. Nempè *Stanislaum Kostka* è Societate Jesu. *Aloysium Gonzaga* ejusdem Societatis Jesu. *Joannem à Cruce* Ordinis Fratrum Beatæ Virginis à Monte Carmelo; *Franciscum Solanum* Ordinis Minorum de Regulari Observantia; *Peregrinum Latiosum* Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Virginis; *Jacobum à Marchia* Ordinis Minorum de eadem Regulari observantia; *Agnetem* à Monte Politiano in Etruria Monialem ex Ordine Prædicatorum; & *Thuribium* Archiepiscopum Limanum. Anno demum 1728. *Joannem de Prado* Sacerdotem ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisci de observantia Excalceatorum cultu Beatis debito cumulavit: Et *Joannem Nepomocenum* Canonicum Pragensis Ecclesiæ in Bohemia, necnon Beatam *Margharitam Cortonensem* eidem Canoni Sanctorum adscripsit. Diem 26. Maii Sacrum Divo *Philippo Nerio*, solemnem, & Festum dixit. Sacrosanctam Lateranensem Basilicam pio ritu consecravit, atque hujus celebritatis memoriam die nona Novembris, ut in Breviario Romano recensetur, per totum Orbem Catholicum recolendam esse decrevit.

Joannes de Prado inter Beatos relatus. Joannes Nepomocenus; & Marghari ta Cortonensis Canoni sanctorum adscripti.

Basilicam Lateranensem consecrat.

Beneventum petit.

Anno 1727. Beneventum petere instituit, ut Ecclesiam sibi dilectam, & suam, quam numquam resignaverat, Pastoralibus officiis, eximiisque largitionibus juvaret. Præcipuum, quod objicebatur impedimentum opportuna ejus Constitutione penitus ademit. Decrevit enim, quod si ejusdem Pontificis mors contigisset, quo tempore ipse ab Urbe aberat, Cardinalium Comitia pro novo eligendo Pontifice Romæ haberentur, non vero ubi Pontifex moreretur. Exemplum in hoc sequutus est *Clementis VII.*, qui quum Bononiam ivisset, ut *Carolum V.* Cæsarea redimiret corona, similem hac in re Constitutionem evulgaverat. Parvo militum delectu, parvoque comitatu iter ingressus est, & Beneventum pervenit. Nova exhibuit suæ pietatis monumenta, populumque sibi creditum, ac peculiari sibi benevolentia acceptum, omnibus charitats of-

ficiis

(*a*) Extat super hoc specialis ejus Constitutio, quæ incipit - Pius, & misericors Deus.
(*b*) Ut ex alia ejus Constitutione quæ incipit - Creditæ nobis.
(*c*) Ut ex alia Constitutione, quæ incipit Pastoralis officii -
(*d*) Ut ex ipsius Benedicti XIII. Constitutione, quæ incipit - Ex quo Divina -
(*e*) Quæ incipit - Ad Summum Pontificem -

ficiis est prosequutus. Nec sine fletu vicissim reddito, Romam reversus est.

Romam revertitur.

Ubi ad Urbem pervenit, novæ Pontificem incesserunt curæ ex parte Lusitani Regis, qui *Vincentium Bichium* Ulyssipone Nuncium Apostolicum Regio favore prosequebatur. Ut nullâ interpositâ morâ, vir iste Sacrâ Purpurâ honestaretur, vehementer efflagitabat; datamque, ut ajebat, fidem implorabat. Negabat Pontifex sponsionem fecisse. Tempus tamen, atque inducias petebat, ut obortas in Sacro Senatu circa Viri promotionem difficultates dilueret. At moræ impatiens Lusitaniæ Rex, urgere iterum Pontificem non destitit, & *Comes de Mello* ejus apud SanctamSedem Orator, & Cardinalis Pereira pertæsum tam longæ dilationis ipsius Regis animum prædicabant.

Origo dissidii inter S. Sedem, & Lusitaniæ Regem

Molesto Lusitanorum negotio, novæ accesserunt sollicitudines ob dissidia, quæ inter Sanctam Sedem, & *Victorium Amedeum* Sardiniæ Regem jamdudum exardebant. Eumdem invictum Sardiniæ Regem speciali Pontifex amore prosequebatur. Nuper enim Juspatronatus, & nominandi idoneos viros illi tribuerat ad omnes Ecclesias memorati Sardiniæ Regni, etiam Cathedrales, & Metropolitanas, & ad quæcumque etiam Consistorialia Monasteria, ut olim *Bonifacius VIII.*, & *Gregorius XV.* aliquibus Aragoniæ, & Hispaniæ Regibus in Investitura hujus Regni, quæ sub directo S. Sedis dominio existit (*a*), ultro concesserant; simili prorsus animi sinceritate exoptabat antiqua abolere dissidia, quæ ad Sabaudiæ, & Pedemontii Provincias attinebant.

Dissidia cum Sardiniæ Rege componit.

Vetus hæc controversia à quadam Constitutione *Nicolai V.* originem ducit. In ea Summus iste Pontifex, ut gratus existeret *Amedeo VIII.* ob sponte dimissum Pontificatum, quem sub falso nomine *Felicis V.* assumpserat in Concilio Basileensi, plures illi, seu verius *Ludovico* ejus filio contulerat Immunitates, & Gratias. Has vero Immunitates quamplurimi Romani Pontifices ferè ad hunc usque diem vel impetere conati sunt, vel ratas habuerunt, prout varia illis arrisit sententia, vel diversæ Ecclesiæ vicissitudines postulabant. Harum verò Litium tria potissimum erant capita, quæ sub *Clemente XI.* ad concordiam nequiverunt adduci. Primò enim disceptabatur de re beneficiali, & de Regio Jurepatronatus, quod ex eodem *Nicolai V.* Diplomate sibi Rex asserebat super quacumque indiscriminatim Ecclesia. Contendebatur secundò de materia Jurisdictionali, & ut Pontifex autumabat, de læsa multipliciter Ecclesiæ Immunitate. Tertiò demum agebatur de directo dominio super Abbatia Sancti Benigni, nec non super Oppidis Cortantiæ,Cortantionis, Montafiç, & Cisternæ.

Origo controversiæ.

Dolebat maximè BENEDICTUS XIII. has gravissimas controversias ad ultimum penè discrimen adductas esse, & maximè angebatur, quod ex abrupto Epistolarum commercio pax nedum haberi, sed nec etiam pertractari posset; sed omnes penitus abscidit difficultates generosum Pontificis consilium. Ultro ad Regem allegat *Thomam de Spoleto* Ordinis Fratrum Observantium Reformatorum, ut ipsum Regem certiorem faciat de Pontificiâ sinceritate, quâ exoptabat antiqua dissidia componere, atque omnia elargiri, quæ salva conscientia dari possent. Certas etiam propositiones exhibuit, ex quibus hujus triplicis controversiæ negotium ad concordiam perduci, atque absolvi posse videbatur.

Pontifex ad ineundam concordiam Regem invitat.

Ingenua vota Pontificis pari prorsus animi magnitudine Sardiniæ Rex rependit. Extemplo Administrum suum Romam mitit Marchionem *Ferrerium de Ormea*. De concordia ineunda agi cœptum est. Quęstio magis ardua primum assumpta est de re Jurisdictionali. Hæc verò in tria potissimum capita dispertita, partim cum speciali Brevi Apostolico absoluta est; partim cum Instructione, & normâ Administro S. Sedis transmissâ; partim demum cum Regia, ut ajunt, notificatione.

Rex assentitur.

Romæ administrum allegat Marchionem Ferrerium de Ormea.

Tria contentionis capita circa res jurisdictionales.

Sub Brevi Apostolico compræhensi sunt illi Episcopatus, qui extra dominium Sardiniæ Regis existentes, partem tamen aliquam eorum Diœceseos habent intra septa ejusdem Sardiniæ Regis. Hujusmodi vero Episcopi erant Intemeliensis [a] Albigaunensis [b] Ticinensis [c] Viglebanensis [d] Savonensis, Novariensis, & Dertonensis [e] Dolebat Rex populos sibi subjectos ex qualibet causa extra suam ditionem, saltem in gradu appellationis, avocari, ut Causas coram illis Episcopis pendentes prosequerentur. Quare huic malo consultum est sine positiva Episcopalis Jurisdictionis læsione, cautumque fuit, *quod illi Episcopi quosdam eligerent Vicarios Generales in illa parte Diœceseos, qui in Rebus tantummodo gravibus, atque in Causis criminalibus sententiam non proferrent, inconsulto Episcopo. Cæteris in rebus libera illis esset jurisdicendi potestas, nec ad Episcopum provocandi Jus esset.*

Breve Apostolicum.

a Di Ventimiglia. b D'Albenga. c Di Pavia d Di Vigevano. e Di Tortona.

Sub norma Apostolico Administro tradenda plura Immunitatis Ecclesiasticæ capita decisa sunt.

Norma Apostolica Administro tradenda.

Primo enim in linea, at dicunt, Tolerantiæ permissum fuit causas beneficiorum, & decimarum in Judicio possessorio tam retinendæ, quam redintegrandæ coram Judicibus Laicis agi posse, reservata Petitorii cognitione Judici Ecclesiastico.

Secundo in linea item Tolerantiæ permissum est in Bullis Apostolicis, aliisque Rescriptis S. Sedis Regium pro exequutione assensum poni posse, dummodo meram Rescripti inspectionem non excedat, quod Visum *vocari solet, nec aliquod Decretum, vel Laicæ potestatis disquisitio, quoad illorum exequutionem intercedat.*

(*a*) Extat Epistola Benedicti XIII. ad Regem Victorium Amedeum sub Datum Romæ die 26. Octobris 1726., & ejusdem Pontificis alloquutio in Consistorio super hac concessione.

Tertio Episcopi præstita Regi obedientia liberum habeant usum Ecclesiasticæ Jurisdictionis. Et pro ea exercenda si assistentiâ sæculari, vel Familiâ Armatâ indigeant, illam ab eadem Laicali potestate impetrabunt, quam statim assequentur contra Ecclesiasticas personas in Causis, tam civilibus, quam criminalibus, nullo delinquentis nomine expresso, nec delicti, aut Causæ titulo indicato. Si vero in Laicos animadversio dirigatur; & Persona exprimatur, & criminis, vel Causæ titulus in materia tam civili, quam criminali.

Quarto Episcopi plenam habeant potestatem visitandi eorum Diœceses, Ecclesias, & loca pia, etiam exempta juxta Concilii Tridentini Decreta.

Quinto ad normam ejusdem Tridentinæ Synodi abstinebunt Episcopi ab ordinatione Clericorum ad titulum Patrimonii, nisi necessitate, vel Ecclesiæ utilitate impellente; sed ordinandorum numerum coarctabunt juxta numerum Beneficiorum, quatenus beneficialem congruam attingant.

Difficultates sup Regia notificatione cadentes.

Demum Regiâ, ut ajebant, *notificatione* opus erat ad declaranda quædam Regis Edicta anno 1620., & 1640. promulgata circa publica vectigalia ex Bonis etiam Ecclesiasticorum retrahenda. Et quoniam in iisdem Edictis cavebatur, publica onera bonis infixa cum iisdem bonis pertransire debere, quatenus ad Ecclesiam devolverentur; hinc ne Immunitas Ecclesiastica nimium læderetur, neve ex immoderata Ecclesiasticorum exemptione Laici iisdem oneribus persolvendis impares essent, eadem Regiâ *notificatione*, cujus tenor tradebatur, significandum erat = *Quod cum assensu, & intelligentia S. Sedis Bona Ecclesiasticorum in eodem Edicto anni 1620. compræhensa, ad onera ibi decreta teneantur. Hoc tamen adjecto, quod Patrimonia Sacra usque adhuc constituta ab iisdem oneribus omnino exempta sint. Onera vero ab iisdem Ecclesiasticis debita, & usque ad hunc diem non persoluta, munificâ Regis veniâ remitterentur* =. Istæ potissimæ fuerunt partes, ac summa capita primæ Transactionis, seu concordiæ utrinque comprobatæ, ac subscriptæ die 24 Martii anni 1727.

Controversiæ Beneficiales.

De rebus indè beneficialibus actum est. Cuidam particulari Congregationi negotium delegatur, ut expenso *Nicolai V.* Diplomate, & verbis in illo appositis, nempè = *Habitis prius intentione, & consensu ipsius (Sabaudiæ) Ducis* = consultivè tantum referret, an liberum Juspatronatus inducerent. Constabat hæc Congregatio ex Cardinalibus *Paulutio*, *Imperiali*, *Origo*, & *Alexandro Albani*, quibus adjectus erat Præsul *Merlinius Paulutius*. Quum parum cunctatum fuerit circa illorum verborum intelligentiam, quæ verum Juspatronatus videbantur præferre: Quæsitum ulterius fuit, an eadem Indulti verba Personalia dicenda forent, an verò ad quoscumque in Sabaudiæ Principatu Successores transitoria. Et demum disceptatum fuit de Jure imponendi pensiones, & de fructibus eorumdem beneficiorum vacantibus.

Respondebat Rex eo modo secum agendum esse, quo cum cæteris Principibus Indultariis agebatur; ac in supposito Regii Jurispatronatus sibi competentis, nec de pensione conveniebat, nec fructus beneficiorum vacantes Cameræ Apostolicæ applicandos esse censebat. Pluribus demum habitis quæstionibus Benedictus XIII. cum suo Brevi (*a*) die 29. Maii declaravit verba in Indulto *Nicolai V.* compræhensa verum Juspatronatus præseferre. Atque ulterius conventum fuit, quod pensio à Sancta Sede imponenda summam non excederet scutorum 1500., eaque super *Lucedii*, quam vocant, Abbadia reservata intelligeretur. Quoad fructus vacantes, quorumcumque beneficiorum in Indulto *Nicolai V.* compræhensorum, isti reservari deberent ad commodum earumdem Ecclesiarum, & Successorum in illis, sub cura, & administratione Œconomi à Rege nominandi. Fructus verò pendentes, & mobilia, aliæque res ab Antecessoribus acquisitæ, quæque extabunt tempore eorum obitus, juxta legitimè inductam Regionis consuetudinem conservabuntur.

Disputatio Feudalis.

Unica supererat difficultas de re Feudali, & de quorumdam Castrorum proprietate, quam sibi quisque vicissim postulabat. Hæc tamen quæstio diutius protracta, nec sub hoc Pontifice ad finem perducta, exequutionem differre non potuit illarum rerum, quæ majori animorum contentione Ecclesiam fatigarunt, quæque hac amicabili compositione consopitæ fuerunt. Ecclesiis illarum Provinciarum, quæ diu suorum Pastorum viduitatem lugebant, optimi Antistites dati sunt. Cæteræ Lites, quæ discordiam fovebant, quæque Religionis incremento adversabantur, juxta hujus pacificationis normam ablatæ sunt, ac penitus abscissæ. Hæc tamen pax diutina non fuit. Quippe sub Successore *Clemente XII.*, tamquam immodica, & jurium S. Sedis læsiva, revocata est. Donec sub Benedicto XIV. Canonicarum controversiarum peritissimo, & qui dum adhuc Præsul esset de hisce disputationibus à Benedicto XIII. consultus fuerat, stabili, & in ævum duratura pactione est absoluta.

Concilium Ebredu in Galliis. a Embrun. b de Senez.

In Galliis Provinciale Concilium Ebreduni [a] coactum est hoc anno. In eo *Petrus de Tencin* illius Ecclesiæ Archiepiscopus cum aliis quatuor suæ Provinciæ Episcopis, aliisque Episcopis vicinioribus, Antistitem Sanitensium [b] Dominum de *Soanen* in Jus vocavit, ut se, fidemque suam purgaret de his, quæ contra Constitutionem *Unigenitus* pervicaciter molitus fuerat. Ipse enim Sanitensis Præsul unus erat inter paucos illos Episcopos eidem Constitutioni adversantes, qui nedum ad fu-

tu-

(*a*) Hoc Breve incipit - Dudum - Signatum hoc anno 1727. die 29. Maii.

Constitutio Unigenitus vindicata contra Episcopum Sanitensem.

turum Concilium provocaverat, sed qui etiam peculiari ejus Pastorali monito anno 1726. in vulgus edito, se ipsum gregemque suum deceperat, ac fefellerat; palamque prædicaverat celebrem *Quesnelli* librum, laude, & veneratione dignum esse, & Christi fidelium pietati maxime proponendum. Concilio vocatus interfuit Sanitensis Antistes; multa protulit, omnibusque rationibus usus est; ut errores velaret suos. Incassum tamen, quia cunctis Episcoporum suffragiis ab accedente Apostolicæ Sedis authoritate Pastorale ejus monitum damnatum fuit, *uti noxium*, *& seditiosum*, *Ecclesiæ dogmatibus*, *& Christi disciplinæ injurium*, *atque hæretico inflatum spiritu*. Idem vero Sanitensium Præsul Canonicis, iteratisque monitionibus inobsequens, atque in errore obstinate permanens, suspensus declaratus fuit ab omni Jurisdictione, & sui Ordinis exercitio tam Episcopali, quam Sacerdotali, donec resipisceret, & sententiam mutaret, & Pastorale ejus monitum revocaret. Eadem inde Provincialis Synodus Abbatem *de Saleon* elegit, ut Sanitensem Diæcesim administraret. Quinquaginta Advocati Senatus Parisiensis, quem Parlamentum dicunt, acta Ebredunensis Concilii confutare, & innocentiam Episcopi Sanitensis propugnare ausi sunt. Prodiit hoc anno eorum consultatio, sine nomine, & sine loco, quo illa Typis data fuerat. Irrito tamen conatu; nam Galliarum Rex edicto suo eumdem Præsulem de *Soanen* exilio mulctavit in Abbatia *Domus Dei* nuncupata, quæ in Arverniæ Montibus existit. Huc etiam accessit Romani Pontificis authoritas, qui rescribens Ebredunensi Archiepiscopo, Acta Concilii ab eo gesti, & Conprovincialium Episcoporum constantiam meritis laudibus celebravit. Eamdem vero 50. Advocatorum lucubrationem ipse Summus Pontifex peculiari suo Diplomate damnavit, tamquam impiam, Schismaticam, & hæresi quam maximè accedentem.

Ipse Episcopus Sanitensis damnatur & exilio plectitur.

Consultatio 50. Advocatorũ Parisiensium.

Damnatur a Sancta Sede.

Reliquias mali seminis, & quæ adhuc in Galliis supererant, turbulentas Causæ Quesnellianæ querelas insectari, & Paterna mansuetudine evellere numquam destitit Benedictus xiii. Omne vero studium, & diligentiam adhibuit, ut Cardinalem de Noailles dissidentium Patronum, & quasi Antesignanum, ad concordiam flecteret, & ad obedientiam vocaret. Crebro literarum commercio usus est, eumque tamdiu exoravit, ut ad sanam mentem reverteretur; quod tandem divino afflante lumine factum est, ut ipse Cardinalis ad Maternum Romanæ Ecclesiæ sinum confugerit. Palam enim ejuravit errores, quos tanta animi tenacitate aluerat. Famigeratam Constitutionem *Unigenitum* sincero corde admisit, & pacem Ecclesiæ restituit. Sic maximum, quo Benedictus xiii., ardebat, dilatandæ Religionis studium, suo Deus favore est prosequutus; fecitque, ut antequam moreretur pius iste Pontifex de red dita Ecclesiæ Tranquillitate lætari posset.

Pontifex flectit animum Cardinalis de Noailles.

Qui Constitutionẽ Unigenitus admittit. Et S. Sedi reconciliatur.

Exeunte demum hoc anno 1727. Benedictus XIII Viterbium petiit. Ibi *Clementem* Bavariæ Principem, & Electorem Imperii in Archiepiscopum Coloniæ Agrippinæ consecravit in Ecclesia sui Ordinis Prædicatorum *Sanctæ Mariæ à Quercu* nuncupata. Aderat solemnitati, quæ Electorem sequuta fuerat, *Violantes Beatrix* ejus Amita ex eadem Bavarica Gente, & Magna Etruriæ Princeps. Uterque Regius Hospes plurimis comitatis officiis exceptus est à Pontificia largitate. Multa alia Pontifex exhibuit pietatis specimina in illa Civitate. Nonnulla Altaria Deo dicavit, Nosocomia invisit, & quotquot fere aderant Urbis pia Loca lustravit.

Pontifex Viterbium petit.

Consecrat Clementẽ Bavariæ Principem in Archiepiscopum Coloniæ.

Romam reversum *Benedictum XIII.* Comes de *Mello* Lusitani Regis Orator assidua contentione extimulabat, ut *Vincentium* Bichium Ulyssipone Nuncium agentem inter Cardinales incunctanter referret. Diuturna hac sollicitudine exagitatus Pontifex respondebat apposite, & congruo tempore se id præstiturum. Cæterum nolle amplius vexari in re, quæ debita maturitate, & petita Cardinalium approbatione indigebat. At moræ impatiens Lusitaniæ Rex, extemplo Oratorem suum ex Urbe revocat. Cardinalem Pereira, aliosque sibi subjectos itidem Roma excedere jussit. *Josephum Firrao* in eodem Lusitaniæ Regno Nuncium Apostolicum pari præcipitantia e suis finibus expulit. Sic mutuum utriusque ditionis turbatum est commercium, & officiorum vicissitudo penitus est abrupta.

Regis Lusitani cum S. Sede dissensio.

Lusitanus Orator ex Urbe excedit.

Nuncius itidẽ Apostolicus è Lusitania proficiscitur.

Doluit graviter *Benedictus* Lusitaniæ Regem animo, & voluntate ab eo diffidentem. spem tamen pacis adhuc fovebat, quam certe iniisset, si pacificus iste Pontifex diutius vixisset. Concordiam hac ex parte tantummodo abscissam ubique alere, atque protendere vehementissime studuit. Ad inveteratas in Siciliæ Regno discordias animum intendens ob assertum *Siculæ Monarchiæ* Tribunal; scandala, atque irritamenta malorum, cum tanto Ecclesiæ dispendio nimium enutrita penitus abstulit. Plura paci consulens ex Juribus S. Sedis remisit. Plura ad arcenda fidelium populorum pericula, eorumque incommoda minuenda decrevit, ut quę tandiu exarserant contentiones, inter Pontificalem, & Regiam potestatem prorsus ademerit. Provida enim ejus Constitutione (*a*) decrevit *Causas omnes Ecclesiasticas* (*majoribus tantum exceptis, quas Judicio S. Sedis reservavit*) *in eodem Siciliæ ultra Pharum Regno cognosci*, *& terminari debere*, *servata tamen forma in Sacro Concilio Tridentino tradita de causis in prima Instantia ab Ordinariis locorum*, *& in secunda à Metropolitanis non avocandis*. *In tertia demum instantia*, *vel ubi Ecclesiasticorum Judi-*

Ad pacem alibi stabiliendam Pontifex incumbit.

Dissensiones circa Tribunal Monarchiæ Siculæ penitus adimit.

Quid circa hoc contineat Constitutio Benedicti XIII.

(*a*) Quæ incipit - Fideli - in Bullar. Roman. p. 49.

dicum juxta ejusdem Tridentini Concilii Canones consumpta sit Jurisdictio; tunc ad eum virum provocare liceat, qui à Carolo VI. Imperatore tamquam Rege Siciliæ, ejusque in Regno Successoribus authoritate Sedis Apostolicæ deputatus fuerit. Ea tamen lege adjecta, quod vir iste in Dignitate Ecclesiastica sit constitutus, & Laurea Doctorali in Jure Canonico insignitus.

Censura Ecclesiastica in appellantem prolata, revocari, aut nulla dici per hunc Judicem delegatum non possit, nisi partibus auditis, & causa cognita. Tunc si justa appareat, ad Judicem, qui excommunicationem protulit, remittatur appellans, ut ab eo emendatus absolutionem obtineat. Si vero injusta sit, vel de excommunicationis justitia dubitetur, tunc Judex appellationis absolutionem concedat.

Absolutio ad cauthelam nonnisi servatis de Jure servandis, quum dubitatur de censuræ nullitate, concedatur, tamquam ad breve tempus cum reincidentia, necnon præstita per excommunicatum cautione de stando Juri, & de parendo mandatis Ecclesiæ. Præterea hujusmodi absolutiones cum reincidentia à Judice Appellationis committantur ipsis Ordinariis excommunicantibus cum clausula, ut intra tres dies absolvant.

A Sententia definitiva contra verum contumacem prolata, appellatio non recipiatur, nec inhibitio, aut alia quævis provisio, durante contumacia concedatur.

Vetitum tamen sit prædicto Judici Ecclesiastico, & cuicumque aliæ personæ cujuscumque gradus, & dignitatis ea fuerit, & quamvis de Latere Legatus existeret, absolvere à censuris per Apostolicas Constitutiones inflictis, quarum absolutio, soli Romano Pontifici reservata intelligatur.

Cæterum authoritate Sanctæ Sedis prædictus Judex nominandus, quascumque personas adversus sententias, res Judicatas, & contractus quoscumque, prout Juris fuerit in integrum restituere liberè possit, ac valeat. Matrimoniales etiam dispensationes concedat in tertio, & quarto gradu, gratis tamen, & pauperibus tantum.

Hæc potissima sunt, ac veluti summa capita hujusce Pontificiæ Constitutionis, quæ etiam in vim concordiæ cum *Carolo* Cæsare firmata, utilitati, & commodo Nationis Siculæ prospexit, & pacem in illud Regnum non immutandam invexit.

Beneventum petit.

Anno 1729. iterum Beneventum petere instituit, ut Ecclesiam sibi dilectam, nec in Pontificatu dimissam novis pietatis, & benevolentiæ monimentis locupletaret. Mense Aprili Beneventum ingressus est. Religionis exagitatus stimulis mirifica gessit, ac protulit. Pauperes aluit assidue. Eorumdem pedes lavit. Divinæ Psalmodiæ cum cæteris Canonicis in choro frequens adstitit. Fidei rudimenta pueros edocuit, & ad Populum conciones habuit assiduas de rebus Divinis, præsertim vero de laudibus Deiparæ Virginis Mariæ.

Divinis rebus semper incubuit.

Tertium habet Provinciale Concilium

Demum Provinciale Concilium coegit, quod in Ordine tertium dicitur ab eo in hac Metropoli gestum. Nedum Conprovinciales Antistites, sed plures etiam Episcopi, qui Pontificem sequuti fuerant, ad suffragium ferendum admissi sunt. In illo saluberrimæ leges ab ejus pietate jam dudum latæ, vel in memoratis duobus præcedentibus Conciliis sancitæ, novæ authoritatis pondere confirmatæ fuerunt. Plura etiam ex integro adjecta sunt Decreta, ex quibus Religionis incremento, & ChristiDisciplinæ perpetuæ observantiæ prospectum est.

Romam revertitur.

Immunitatem Ecclesiæ restringit in gravioribus criminibus.

Romam iterum adveniens Ecclesiæ utilitati pari sollicitudine incubuit. In facinorosos homines animadvertens Constitutionem evulgavit(*a*), qua Ecclesiæ Immunitatem iis ademit in gravioribus criminibus inibi expressis. Clericorum verò, & Sacerdotum delicta simili vigilantia insectatus est, sed quum sæpius Ecclesiastici Viri, una cum Laicis, ad Triremes damnarentur, Ergastulum *Centumcellense* propè Cornetum instauravit; jussitque ne alibi Sacerdotes adsportarentur pro pœnis subeundis eorum criminibus inflictis.

Pro delictis Ecclesiasticorũ Ergastulũ instaurat.

Officium S. Gregorii VII. per totum Orbem extendit.

Officium *S.Gregorii VII.* antea *Hildebrandi*, quod in Romanæ Urbis Ecclesiis, ex Decreto *Alexandri VII.*, & apud Ordinem Cisterciensium, & Benedictinorum ex simili *Clementis XI.* Decreto jampridem recitabatur; *Benedictus XIII.*, ubique Terrarum legendum, atque observandum exhibuit. Atque, ut notissima est hujusce Pontificis pro Ecclesiæ libertate constantia, quam adversus quamcumque Regiam potestatem similiter adhibuit; hinc factum est, ut contra recens hoc *Benedicti XIII.* Decretum, ubique propemodum Laica potestas reclamaverit. In Galliis etiam Mandatum quoddam Pastorale emersit Episcopi Antisiodorensis (*b*), quo hujus officii recitationem interdicebat, sed tenax propositi vir *Benedictus XIII.*, Episcopi Antisiodorensis Mandatum irritavit, & abolevit alterà ejus Constitutione, quæ incipit = *Cum ad Apostolatus* =.

a d'Auxerre.

Pontifex ægrotat.

Sic ille actuosam traduxit vitam usque ad annum 1730., quo vix inito mortalitati parendum fuit. Ad extremum usque diem, numquam à laboribus temperavit, nihil de pristino Christianarum virtutum exercitio remisit. Senex, gracilis, ægrotus, ad suorum Familiarium suasionem numquam flecti potuit, ut saluti prospiceret suę, ut à labore quiesceret. Sæpè dicere solebat, artem, quam quisque profitetur, usque ad obitum perficere oportere; & Sacerdotem ad Altare stantem mori opus esse. Carnes esculentas, dapesque opi-

mas

(*a*) Hæc Constitutio incipit - Ex quo Divina Clementia -

(*b*) Monitum hoc Pastorale Titulum habebat - Mandement de Monseigneur l' Eveque d'Auxerre, qui defend l' Office imprimè, sur une Feville volante qui comence par ces mots - Die 25. Maii in festo S. Gregorii VII. Papæ, & Confessoris.

mas quandoque oblatas constantissimè recusabat. Furtim, idque raro (ne Pontifex præsentiret) Jusculum obsoniis miscebant, ut parumper reficeretur.

Viribus attritus,macie corporis extenuebatur quotidie. Die 21.Februarii correptus parva febri, ac pituità, quum Rem Sacram per se ipsum absolvere nequiret, adstitit flexis genibus Missæ Sacrificio, & Christi Corpus humiliter accepit. Multo deindè die auctus maximè est morbus. Atque ad Vesperum piissimè interiit. Annum agebat 81. Regnavit annos 5. mensès 8., & dies 23.

Moritur.

Statura *Benedictus* mediocris erat, vultu oblongo, sed macilento, ac pallido, capite recalvastro, fronte alta, naso recurvo; naturâ placidus, & comis, voce fusca, & acuta.

Corporis habitudo Benedicti XIII.

Postridiè ex abdita Palatii Apostolici parte, ubi Pontifex occubuit, ad Cappellam Sixtinam corpus ejus translatum est. Magnâ ingruente Populi multitudine, ut Sanctum Pontificem veneraretur, additę sunt excubiæ, ne indiscreta devotione Cadaver in frusta scinderetur, vel ad nuditatem reduceretur. Triduo de more patuit expositum, atque à Custodibus intra ferreos cancellos ejusdem Cappellæ servatum fuit. Tribus indè inclusum capsulis, seu thecis, quarum tertia plumbea erat, loco depositi propè portam Odei Cantorum,atque è conspectu Tumuli *Innocentii VIII.* locatum fuit. Eadem plumbea capsa hanc exhibebat Epigraphen.

Traducitur corpus ejus ad Cappellam Sixtinam.

Tumulatur loco Depositi. Opera Benedicti

BENEDICTVS XIII. P. M.
VIX. ANN. LXXXI. DIES XIX.
SEDIT IN SVMMO PONTIFICATV
ANN. V. MENS. VIII. DIES XXIII.
OB. DIE XXI. FEBRVARII MDCCXXX.

Pio ac veteri ritu novendiales exequiæ celebratæ sunt. Demum luculenta Oratione laudes ejus recensuit Frater *Thomas Augustinus Ricchinius* ex eodem Ordine Prædicatorum, quem postea Benedictus XIV. ad munus assumpsit Secretarii S. Indicis Congregationis. Magnæ post ejus mortem Romæ excitatæ sunt turbæ in eos, qui Pontificia facilitate abusi fuerant.

Anno 1733. idem Prædicatorum Ordo votum implens defuncti Pontificis, illius corpus pompâ celeberrimâ ad Ecclesiam transtulit Sanctæ Mariæ super Minervam in Cappellam Sancti Dominici; illudque abdidit in præcipuo conditorio ad id magno sumptu, atque eleganter extructo cum hoc brevi titulo.

BENEDICTUS XIII.
P. O. M.
EX ORDINE PRÆDICATORVM.

Hujus Pontificis opera Typis edita, sunt, quæ sequuntur.

Oratio in funere Antonii Cardinalis Barberini.
Epigrammatum Sacrorum Libellus.
Epistola Apologetica pro regulari habitu ab Episcopis Regularibus deferendo in Josephum Ciantem Marsorum Episcopum, qui adversam sententiam tuebatur.
Synodus Diœcesana Sypontina duobus Tomis.
Synodus Provincialis Sypontina anni 1567. à Cardinali Gallio *habita, rursus ab eo edita.*
Epistola pacifica ad Populum, & Clerum Beneventanum.
Sermones Mariani. Florentiæ ex Typographia Bernardi Paperini in folio.
Synodicon Diœcesanum S. Beneventanæ Ecclesiæ continens Synodos 38., quas ante Pontificatum Romanum celebravit. Beneventi ex Typographia Archiepiscopali anno 1723. in folio.
Synodicon Provinciale Beneventanum scholiis, & observationibus illustratum.
Lectionum in Exodum Volumina duo.
Synodus Provincialis Beneventana.
Duodecim Conciones Quadragesimales.
LX. sermones de purgatione animarum corpore solutarum.
Concilium Provinciale Romanum.

Quinquaginta tres Cardinales, qui Comitiis adstiterunt Benedicti XIII. nomine recensentur.

Episcopi Cardinales Quinque.

1 Frater Vincentius Maria Ursinus Ordinis Prædicatorum Episcopus Portuensis,creatus à Clemente X.die 22.Februarii 1672. Romanus. Electus Papa.
2 Franciscus Judice Episcopus Prænestinus, creat. ab Alexandro VIII. die 13.Februarii anni 1690. Neapolitanus.
3 Fabritius Paulutius Episcopus Tusculanus, creat. ab Innocentio XII. die 22.Julii anni 1697. Forolíviensis.
4 Franciscus Pignattellus Episcopus Sabinensis, creat. à Clemente XI. die 17. Decembris anni 1703. Archiepiscopus Neapolis. Neapolitanus.
5 Franciscus Barberinus Episcopus Albani, creat. ab Alexandro VIII. die 13.Februarii 1690. Romanus.

Presbyteri Cardinales trigintaseptem.

6 Jacobus Boncompagnus Tituli S. Mariæ in Via Archiepiscopus Bononiæ, creat. ab Innocentio XII. die 12.Decembris 1695. Bononiensis.
7 Joseph Sacripantes Tituli S. Mariæ Transpontinæ, creat. ab Innocentio XII. die 12. Decembris 1695. Narniensis.
8 Laurentius Corsinus Tituli Sancti Petri ad Vincula, creat. à Clemente XI. die 17. Maii 1706. Florentinus.
9 Franciscus Aquaviva Tit. S.Cæciliæ, creat. à Clemente XI. die 17.Maii 1706. Neapolitanus.
10 Thomas Ruffus Tit. S. Mariæ Transtyberim, creat. à Clemente XI. die 17. Maii 1706. Neapolitanus.
11 Horatius Philippus Spada Tit.S.Honuphrii

An-

Archiepiſcopus Lucæ, creat. à Clem. XI. die 17. Maii 1706. Lucenſis.

12 Philippus Antonius Gualtierius Tituli Sancti Cryſogoni, creat. à Clemente XI. die 17. Maii 1706. Urbevetanus.

13 Joſeph Vallemanus Tit. S. Mariæ Angelorum, creat. à Clemente XI. die 17. Maii 1706. Fabrianenſis.

14 Carolus Auguſtinus Fabronus Tit. S. Auguſtini, creatus à Clemente XI. die 17. Maii 1706. Piſtorienſis.

15 Petrus Prioli Tit. S. Marci, creat. à Clemente XI. die 17. Maii 1706. Venetus.

16 Ulyſſes Joſeph Gozzadinus Tituli S. Crucis in Hieruſalem, creat. à Clemente XI. die 17. Maii 1706. Bononienſis.

17 Annibal Albanus Tituli Sancti Clementis S. R. E. Camerarius, creatus à Clemente XI. die 23. Decembris 1711. Urbinas.

18 Ludovicus Pico Tituli S. Silveſtri in Capite Epiſcopus Senogalliæ, creat. à Clemente XI. die 18. Maii 1712. Mirandulanus.

19 Joannes Antonius de Via Tituli S. Caliſti Epiſcopus Ariminen., creat. à Clemente XI. die 18. Maii 1712. Bononienſis.

20 Auguſtinus Cuſanus Tituli S. Mariæ in Populo Epiſcopus Ticinenſis, creatus à Clem. XI. die 18. Maii 1712. Mediolanenſis.

21 Julius Piazza Tituli S. Laurentii in Pane, & Perna, creat. à Clemen. XI. die 18. Maii 1712. Forolivienſis.

22 Antonius Felix Zondadarius Tituli S. Balbinæ, creat. à Clem. XI. die 18. Maii 1712. Senenſis.

23 Jo. Baptiſta Buſſius Tituli S. Mariæ in Ara-Cœli Epiſ. Anconæ, creat. à Clem. XI. die 18. Maii 1712. Viterbienſis.

24 Petrus Marcellinus Corradinus Tit. Sancti Joannis ante Portam Latinam, creat. à Clemen. XI. die 18. Maii 1712. Setinus.

25 Armandus Gaſto de Rohan Tit. Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pincio Epiſcopus Argentoratenſis, creat. à Clem. XI. die 18. Maii 1712. Gallus.

26 Joannes Baptiſta Ptolomæus Tituli S. Stephani in Monte Cœlio, creat. à Clemente XI. die 18. Maii 1712. Piſtorienſis.

27 Benedictus Odeſcalchus Tituli SS. XII. Apoſtolorum Archiepiſcopus Mediolani, creat. à Clem. XI. die 30. Januarii 1713. Mediolanenſis.

28 Henricus de Tyard de Biſſi Tituli SS. Quirici, & Julittæ Epiſcop. Meldenſis, creatus à Clemente XI. die 29. Maii 1715. Gallus.

29 Innicus Caracciolus Tituli S. Thomæ in Parione Epiſcopus Averſæ, creatus à Clemen. XI. die 29. Maii 1715. Neapolitanus.

30 Bernardinus Scotti Tituli S. Petri in Monte Aureo, creat. à Clemen. XI. die 29. Maii 1715. Mediolanenſis.

A B C D E F

31 Joannes Patritius Tituli SS. Quatuor Coronatorum, creat. à Clem. XI. die 16. Decembris 1715. Romanus.

32 Nicolaus Spinula Tituli SS. Nerei & Achillei, creat. à Clem. XI. die 16. Decembris 1715. Januenſis.

33 Gibertus Borromæus Tituli Sancti Alexii Epiſcopus Novariæ, creat. à Clem. XI. die 15. Martii 1717. Mediolanenſis.

34 Georgius Spinula Tituli S. Agnetis extra Muros, creat. à Clem. XI. die 29. Novembris 1719. Januenſis.

35 Cornelius Bentivolus Tituli S. Hieronymi Illyricorum, creat. à Clem. XI. die 29. Novembris 1719. Ferrarienſis.

36 Joannes Franciſcus Barbadicus Tit. SS. Petri, & Marcellini Epiſcopus Patavinus, creat. à Clem. XI. die 29. Novemb. 1719. Venetus.

37 Ludovicus Belluga, & Moncada Tituli S. Priſcæ Epiſc. Carthaginenſis, creat. à Clemente XI. die 29. Novembris 1719. Hiſpanus.

38 Joſeph Pereyra de la Cerda Tituli Sanctæ Suſannæ Epiſcopus Faraonienſis, creat. à Clemente XI. die 29. Novembris 1719. Luſitanus.

39 Joannes Baptiſta Salerno Societatis Jeſu Tituli S. Stephani in Monte Cœlio, creat. à Clem. XI. die 29. Novembris 1719. Coſentinus.

40 Carolus Borgia Tituli S. Pudentianæ Patriarcha Indiarum, creatus à Clem. XI. die 30. Septembris 1720. Hiſpanus.

41 Alvarus Cienfuegos è Societate Jeſu Tit. S. Bartholomæi in Inſula, creat. à Clemente XI. die 30. Septembris 1720. Hiſpanus.

42 Don Bernardus Maria de Comitibus Ordinis Caſſinenſis Tituli S. Bernardi ad Thermas, creat. ab Innocentio XIII. die 21. Junii 1721. Romanus.

Diaconi Cardinales XI.

43 Benedictus Pamphilius Diac. Sanctæ Mariæ in Via Lata, creat. ab Innocentio XI. die prima Septembris anni 1681. Romanus.

44 Petrus Otthobonus Diacon. S. Laurentii in Damaſo S. R. E. Vicecancellarius, creat. ab Alex. VIII. die 7. Novembris 1689. Venetus.

45 Joſeph Renatus Imperiali Diacon. Sancti Georgii ad Velum Aureum, creat. ab Alex. VIII. die 13. Februarii 1690. Januenſis.

46 Laurentius Altierius Diacon. S. Nicolai in Carcere, creat. ab Alex. VIII. die 13. Februarii 1690. Romanus.

47 Carolus Columna Diac. Sancti Angeli in Foro Piſcium, creat. à Clem. XI. die 17. Maii 1706. Romanus.

48 Curtius Origo Diacon. Sancti Euſtachii, creat. à Clem. XI. die 18. Maii 1712. Romanus.

49 Melchior de Polignac Diac. S. Mariæ in

Via, creat. à Clem. XI. die 18. Maii 1712. Gallus. A

50 Fabius de Abbatibus Oliverius Diacon. SS. Viti, & Modesti, creat. à Clem. XI. die 6. Maii 1715. Pisaurensis.

51 Carolus de Marinis Diac. Sanctæ Mariæ in Aquiro, creatus à Clemente XI. die 29. Maii 1715. Januensis.

52 Julius Alberonius Diac. S. Hadriani, creat. à Clemente XI. die 12. Julii 1717. Placentinus.

53 Alexander Albani Diac. Sanctæ Mariæ in Cosmedin, creat. ab Innocentio XIII. die 16. Julii 1721. Urbinas. B

Cardinales vel absentes, vel infirmi, vel mortui in Conclavi Benedicti XIII.

54 Sebastianus Antonius Tanarius Episcopus Ostiensis, & Veliternus, Decanus Sacri Collegii, creat. ab Innocentio XII. die 12. Septembris 1695. Bononiensis. Dum hæc agerentur Comitia, obiit die 5. Maii 1724. C

55 Galeatius Marescottus Tit. S. Laurentii in Lucina, creatus à Clemente X. die 27. Maii 1675. Romanus.

56 Ludovicus Antonius de Noailles Tit. Sanctæ Mariæ supra Minervam Archiepiscopus Parisiensis, creat. ab Innoc. XII. die 21. Junii 1700. Gallus. D

57 Laurentius Fliscus Tit. S. Mariæ de Pace Archiepiscopus Genuæ, creat. à Clemente XI. die 17. Maii 1706. Genuensis.

58 Christianus Augustus è Ducibus Saxoniæ Episcopus Jaurinensis, creat. à Clem. XI. die 17. Maii anni 1706. Germanus.

59 Nonius à Cunha de Attayde Tituli Sanctæ Anastasiæ, creat. à Clemente XI. die 18. Maii 1712. Lusitanus.

60 Wolfangus Annibal de Schratembach Tituli S. Marcelli Episcopus, & Princeps Olomucensis, creat. à Clem. XI. die 18. Maii 1712. Germanus.

61 Damianus Hugo de Schoemborn Buchaim, Tituli S. Pancratii Episcopus Spirensis, creat. à Clem. XI. die 30. Januarii 1713. Germanus.

62 Nicolaus Caracciolus Tituli S. Martini ad Montes Archiepiscopus Capuæ, creatus à Clem. XI. die 16. Decembris 1715. Neapolitanus.

63 Leo Potiers de Gesores, creat. à Clemente XI. die 29. Novembris 1719. Gallus.

64 Emericus Csaki Tituli S. Eusebii Archiep. Colocensis, creat. à Clem. XI. die 12. Julii 1717. Hungarus.

65 Philippus Thomas de Alsatia de Boussu Tituli S. Cæsarei Archiepiscopus Mecliniensis, creat. à Clem. XI. die 29. Novembris 1719. Belga.

66 Michael Fridericus de Althan Tit. S. Sabinæ, creat. à Clem. XI. die 29. Novembris 1719. Germanus.

Quatuor, quæ desunt Sedes Cardinalitiæ ad implendum Sacrum Senatum, vacuas reliquerat Innocentius XIII.


Prima Cardinalium Enunciatio facta

A

BENEDICTO XIII.

Die 11. Septembris anni 1724.
Duos habet Cardinales. Hi vero fuerunt.

Jo. Baptista de Altieriis. Romanus.
Alexander Falconierius. Romanus.



Ioannes Baptista de Alterijs Romanus Archiepiscopus Tyrensis Cameræ Apostolicę Decanus S.R.E. Episcopus Cardinalis creatus à SSmo. D.N. BENEDICTO PAPA XIII in Consistorio secreto die 11. Septembris 1724.
Obyt die 12 Martii 1740.

Dominicus de Rubeis Hæres Io. Iacobi formis Romæ ad Templum S. M. de Pace cum Priuil. Summi Pont.

I.

JOANNES BAPTISTA DE ALTIERIIS Romanus Patre natus est *Gaspare Palutio Albertonio*; Matre vero *Laura Catharina Altieria* Nepte *Clementis X.* Caussa hujus præstantis Matrimonii *Gaspar* in Domum *Altieriam* adscitus est, & ab eodem Pontifice adoptatus, nedum prædivitem nobilissimæ Familiæ censum est assequutus, sed titulos etiam obtinuit Generalis S. R. E., Præfecti Castri Sancti Angeli, aliaque honoris insignia olim Papæ Affinibus dari solita. Ex his clarissimis Genitoribus in lucem editus est *Joannes Baptista* die 6. Augusti anni 1673.

Piam paterna in Domo nactus est educatio- A nem. Indè verò, ut per ætatem licuit, posito studiorum Tyrocinio in Romano Lycæo, in utroque Jure Lauream Doctoralem accepit. Ineunte *Clementis XI.* Pontificatu anno scilicet 1703. inter Præsules Romanæ Curiæ relatus est. Sequenti anno 1704. Urbini Pro-Legatus dicitur, quo tempore Cardinalis *Sebastianus Tanarius* Legati vices sedulo obibat. Aliquot emensis annis, quibus hoc Prolegati munere functus est, Romam revocatur, & Apostolicæ Cameræ Clericus renunciatur. B Alios uti Cameræ Clericus Magistratus obtinuit. Præses enim viarum fuit, & in Camerali Congregatione computorum suffragium

tu-

tulit. Inter eosdem Cameræ Apostolicæ Clericos senior (quem *Decanum* dicunt) evasit. Quo in munere diu perstitit à spe majorum dignitatum longè absens.

Divino tandem consilio evecto Cardinali *Vincentio Ursino* ad Apostolatus fastigium sub nomine *Benedicti XIII.* Is ut Domui Altieriæ Cardinalitiam dignitatem restitueret, quam à *Clemente X.* licet invitus acceperat; *Joannem Baptistam* prius Archiepiscopum Tirentinum in partibus Infidelium renunciavit; Inde inter Cardinales retulit hac die 11. Septembris anni 1724. Titulum obtinuit Presbyteralem *S. Matthæi in Merulana*, quo dimisso die 26. Januarii 1739. in ordine Episcoporum ad Ecclesiam transiit Prænestinam.

In Congregationes admissus fuit Propagandæ Fidei, Immunitatis Ecclesiasticæ, Fabricæ S. Petri, Sacræ Consultationis, & Rerum Consistorialium. Vaticanis adfuit Comitiis pro electione *Clementis XII.*, & BENEDICTI XIV., sed hujus assumptionem non vidit. In hoc enim postremo Conclavi dum Comitia habebantur, & ipse cum cæteris Patribus suffragium laturus sedebat, Apoplexis ictu correptus, auctoque per aliquot dies, quibus supervixit, morbo, vivere desiit die 12. Martii 1740. Corpus ejus ex Conclavi, ubi decessit, translatum est ad Ecclesiam S. Mariæ supra Minervam, ibique in Cappella suæ Domus gentilitia tumulatum fuit, absque ulla Epigraphe. Universam ejus substantiam Testamento reliquit Ecclesiæ *S. Catharinæ de Funariis*, cujus fuerat protector.





II.

A LEXANDER FALCONIERIUS ROMANUS. Pervetus tamen, ac præstans ejus Familia Florentiæ jampridem consederat, ibique eximios, præsertim pietate viros ediderat; nempè *Beatum Alexium*, qui Sæculo XIII. inter septem Institutores Ordinis Beatæ Mariæ Virginis recensetur, & *Sanctam Julianam* ejusdem Alexii ex fratre Neptem. Ubi vero eadem Familia Romam domicilium invexit, alios misit doctrina, & dignitatibus præstantes viros, *Octavium* scilicet eruditione perspicuum, editisque voluminibus commendatum, & *Lælium* ab Urbano VIII. inter Cardinales relatum.

A Cardinalis *Lælii* ex Fratre Pronepos fuit *Alexander*, qui *Paulo Francisco* Patre, Matre vero *Victoria de Bubalo* in lucem prodiit die 8. Februarii anni 1657. Ad pietatem, & ad bonas artes perdiscendas, ut primum per ætatem licuit, excultus fuit. In Romana Universitate Doctoratus retulit insignia. Diu indè perstitit rei suæ consulens familiari, & procul à publicis negociis suæ indolis severitati indulgens.

Postquam valdè ætate processerat, annum scilicet agens 34., amicorum impulsu, Præ-
B sulum Romanæ Curiæ anno 1691. amplexus est institutum. Brevi ad ferendum suffragium in Congregatione Boni Regiminis assumptus fuit.

Nec

A Nec diu post priori retento officio inter Judices, qui Consultationibus præsunt Status Ecclesiastici, relatus est. Et demum exeunte *Innocentii XII.* Pontificatu Præses dictus est Cameræ Apostolicæ. Mirum tamen est, quod tria hæc munera diversa, atque inter se dissimillima uno, eodemque tempore obeunda *Falconierio* sint credita. Unicuique Magistratui strenuè gerendo impensam navabat operam. Eodemque tempore in Congregatione *Baronum*, *&* *Montium*, atque in Camera Computorum præsens, & solers erat.

B *Clemens XI.* novus in Apostolatu Successor, maximus fuit Alexandri admirator. Anno 1702. arduam illi provinciam demandavit. Quamplurimi perditi homines nefaria societate conjuncti, in Latio, & Hernicis impune grassabantur. Viatoribus, vicinisque Oppidis infesti ex rapto, & cæde vivebant. Pontifex coercendæ temeritati intentus, rovinciam decernit *Alexandro* viro intrepido, qui æquâ

C judicii severitate fungens, brevi rigidissimis pœnis delevit omnes. Clemens igitur de *Alexandro* ad majora provehendo cogitans in Tribunali Sacræ Rotæ XII. virum esse jussit. Tunc illæ cæteris abdicatis Magistratibus uni caussarum expediendarum muneri totum se præbuit; usquequo Prætor Romanæ Urbis cum retentione Auditoratus Sacræ Rotæ fuit designatus.

D In administrando Gubernatoris Urbis Imperio solita *Alexander* usus est austeritate. Nulli pepercit crimini; reos insectatus est, etiamsi Magnates, etiamsi Regiis Ministris addictos. Quare plurimorum sibi conflavit invidiam, sed maximam sibi nominis celebritatem comparavit. Propositi tenax nimium dilatum laboribus premium invicto animo sustinuit. In hac enim dignitate, nedum reliquo perstitit *Clementis XI.* Regno, sed toto etiam Pontificatu *Innocentii XIII.* in Apostolica Sede Successoris.

Emisso tandem ad Apostolatum *Benedicto XIII.*, in hac prima ejus Cardinalium enunciatione in Sacrum Purpuratorum Patrum Senatum traductus est, & Diaconus renunciatus *S. Mariæ de Scala*. Congregationibus etiam Cardinalitiis auctus fuit Episcoporum, & Regularium, Disciplinæ item Regularium, Immunitatis Ecclesiasticæ, & Sacrorum Rituum. In Comitiis Vaticanis adfuit electioni *Clementis XII.* Demum paucorum dierum spatio lateris dolore, & pleuritide correptus occubuit die 26. Januarii anni 1734. Corpus ejus in Ecclesiam translatum fuit S. Joannis Nationis Florentinæ, ibique in Choro prope Aram maximam in sepulcro Majorum tumulatum est cum hoc Elogio.

D. O. M.
SPE COELVM TENENS
VIVVS ADHVC
RECOGITATIONE HIC IACET
VBI CVM DEO PLACVERIT
IACEBIT CORPORE
ALEXANDER S. MARIÆ DE SCALA
DIAC. CARD. FALCONERIVS
QVI NOVISSIMA MEDITANDO
DILEXIT IVSTITIAM
ET ODIO HABVIT INIQVITATES
OBIIT DIE XXVI. IANVARII MDCCXXXIV.
ÆTATIS SVÆ ANNORVM LXXVII.

Secunda Cardinalium Enunciatio facta


A

BENEDICTO XIII.

Die 20. Novembris anni 1724.

Unum habet Cardinalem, qui est.

Vincentius Petra. Neapolitanus.



III.

VINCENTIUS PETRA Neapolitanus die natus est 13. Novembris anni 1662. ex *Carolo Petra*, qui fuit Collateralis, & Regens supremi Consilii S. Claræ, & ex *Cæcilia Pepi.* Ejus Familia opibus jampridem præstans, nobilibusque affinitatibus, nuper Patriciatu Neapolitanæ Urbis fuit insignita. Anno nempè 1717. inter Nobiles quos dicunt de *Porta Nova*, relata fuit. Paterna in Domo, & sub eorumdem Parentum disciplina pietatis posuit, & Literarum tyrocinium. Anno 1677., qui erat ętatis ejus decimus quintus Romam venit in Seminario Romano, ubi sub cura Patrum

A Societatis Jesu in Philosophica, & Theologica facultate non parum profecit. Grandior indè factus, Neapolim revertitur, & sub cura traducitur *Didaci Petra* ejus Patrui *Marsorum* prius Episcopi, indè *Surrenti* Archiepiscopi. Eidem Theologię addiscendæ, studioque Sacrorum Canonum impensam navavit operam; sed ut Jurisprudentiam penitus introspiceret, Romam remigrare decrevit.

Optimis Romæ usus est Caussidicis In eorum cœtibus frequens aderat, eorumque familiaritate

B delectabatur. A Secretis etiam renunciatus fuit *Joannis Muti de Papazzuris*, qui

tunc in Tribunali Sacræ Rotæ eximius Præsul habebatur. Cum eo in directione caussarum justitiæ Cultor sedulò adlaborabat.

Anno 1691. quum ex Neapolitana Urbe iterum Romam remigraret, quo tempore Capersanum [a], aliæque Neapolitani Regni Civitates pestilentiâ laborabant, Anxuri [b] subsistere jussus est, & quadraginta manere dies, ut contagionis suspicione expurgaretur. Eadem de caussa manebat illic Cardinalis *Antonius Pignattellius* Archiepiscopus Neapolitanus, qui post mortem *Alexandri VIII.* ad Vaticana properabat Comitia pro novi Pontificis electione. Hæc felix *Vincentio* Epocha fuit; solidis quippè diebus illius familiari consuetudine Cardinalis *Pignattellius* usus est, ejusque solertiam, & in legali facultate peritiam demiratus, auxilium illi, fidemque suam exhibuit.

[a] Conversano.

[b] Terracina

Divino consilio contigit, quod in iisdem Comitiis idem Cardinalis *Pignattellius* Summus Pontifex renunciatus fuerit sub nomine *Innocentii XII.* Pluribus hic nominibus *Vincentio* opitulatus est, suamque fidem exoneravit. Nonnulla enim pinguia Sacerdotia illi contulit. Eum anno 1693. inter Præsules Romanæ Curiæ cooptavit, & referendis in Signatura Gratiæ, & Justitiæ libellis illum addixit. Parvo interjecto tempore *XII. virum* in eodem Tribunali Signaturę Justitiæ illum pronunciavit; ac demum Auditoris Cameræ Apostolicæ Locumtenentem esse jussit.

In hisce amplissimis Magistratibus, atque in hoc vasto Forensium controversiarum campo, docti, & integerrimi Judicis partes omnes *Vincentius* explevit. Donec evecto ad Apostolatum *Clemente XI.*, anno 1706. in solemni, quem habuit, viginti Purpuratorum Patrum delectu, à Secretis Sacræ Congregationis Concilii renunciatus est. Archiepiscopus etiam dictus est *Damascenus*, & in Ecclesia Lateranensi ritè consecratus est à Cardinali *Paulutio*, tunc summæ rei à Secretis constituto, & primo Pontificis Administro. Anno 1712. *Consultor S. Officii, & Canonista Sac. Pœnitentiariæ* pronunciatur. Tandem anno 1712. in altera, quam Clemens habuit Cardinalium solemni enunciatione à Secretis dictus est Congregationis Episcoporum, & Regularium.

Diu perstitit in hoc amplissimo Magistratu. Anno 1722. ab *Innocentio XIII.* Datarius Sac. Pœnitentiariæ effectus est; sed assumpto ad Apostolicæ Sedis fastigium *Benedicto XIII.*, hac die 20. Novembris anni 1724. inter Purpuratos Patres solus refertur. Anno 1727. post mortem Cardinalis Sacripanti Congregationi de Propaganda Fide præficitur; ditissimo etiam donatur Sacerdotio, quod Cardinalis *Franciscus Aquaviva*, dum viveret, obtinebat, quodque in Regno Neapolitano sub nomine Abbatiæ *S. Mariæ de Banzi* famigeratum est.

Mortuo *Benedicto XIII.*, dum sacra habebantur Comitia, ab universo Cardinalium cœtu Pœnitentiarius major eligitur post mortem

A Cardinalis *Bernardi de Comitibus*, qui die 26. Aprilis anni 1730. in iisdem Comitiis obierat. In hoc munere confirmatus fuit à novo Pontifice *Clemente XII.* cum ejus speciali Diplomate sub datum die 24. Julii anni 1730.

Ad suffragium ferendum assumptus fuerat in Congregationibus Episcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, correctionis Librorum Orientalium, Immunitatis Ecclesiasticæ, Disciplinæ Regularium, Visitationis Apostolicæ, Fabricæ Divi Petri, Signaturæ Gratiæ,
B Rerum Consistorialium, & S. Officii. Protector etiam fuit Collegii Gręcorum, Nationis item Græcorum, & Ecclesiæ S. Spiritus Nationis Neapolitanæ. Hoc postremum munus dimisit anno 1738., eique Protector Neapolitanæ Nationis suffectus fuit *Cardinalis Trojanus Acquaviva* Catholici Regis in Urbe Administer. Vaticana celebravit Comitia, quæ post mortem *Benedicti XIII.* indicta fuerant, & in quibus *Clemens XII.* emersit. Magni semper apud Summos Pontifices habitus est. *Vin-*
C *centii* vero præcipuus admirator fuit *Benedictus XIII.*, qui sæpè eum de gravissimis Ecclesiæ rebus consulebat. Nec parum ejus operâ usus est, quum Romanum celebravit Concilium; & in enodandis, quæ obversabantur, quæstionibus, sæpè cum doctissimo Præsule *Prospero Lambertinio*, qui nunc Petri Cathedram tenet, Vincentius in eadem erat mente, ejusque opinioni accedebat.

Memor beneficiorum, quæ *Innocentius XII.* in eum abundè contulerat, insigne, ac tanto
D Pontifice dignum Mausolæum suo ære construxit, quod in Basilica Vaticana è conspectu sepulcri *Cristinæ* Svecorum Reginæ spectabile exhibetur.

Titulum *S. Honuphrii*, quem ab initio obtinuerat, dimisit die 10. Februarii anni 1737., optans alterum *Sancti Petri ad Vincula*. Indè fuit Episcopus Prænestinus. In hac amplissima dignitate laboribus, atque ætate confectus obiit die 21. Martii anni 1747. Parentalia illi
E acta sunt ritu solito, ac celebri pompa, ut Cardinalem Majorem Pœnitentiarium decebat. In sepulcro indè conditum est, quod sibi, & suis ipse vivens extruxerat in Ecclesia S. Spiritus sæpedictæ Neapolitanæ Nationis, cum hac modesta Epigraphe.

VINCENTIVS TITVLI S. PETRI AD VINCVLA
PRESBYTER CARDINALIS PETRA
NEAPOLITANVS
S. R. E. MAIOR POENITENTIARIVS
SIBI SVISQVE
F VIAM VNIVERSÆ CARNIS INGRESSVRIS
VIVENS SEPVLCRVM PARAVIT
ANNO SALVT. MDCCXXXVII.

Libri, quos edidit Cardinalis Vincentius Petra, sunt sequentes.

Commentaria ad Constitutiones Apostolicas Volumina quinque in folio.

De Sacra Pœnitentiaria Apostolica Volumen unum in quarto.

Tertia Cardinalium enunciatio habita

A

BENEDICTO XIII.

Diei 20. Decembris anni 1724.

In qua duo dicti sunt Cardinales, nempe

Proſper Mareſuſcus. Maceratenſis, &
Frater Auguſtinus Pipia. Sardus.

... Inv. et delin. Fran. Aquila incid.



IV.

PRosper MareFuscus Maceratensis ex optimis genitoribus *Camillo*, & *Sperandia Guarnieria* nobili Auximana in lucem editus est in Oppido *Montis Sancti* die 29. Septembris anni 1653. Parem Generis nobilitati educationem est assequutus. Posito quippe sub eorumdem Parentum disciplina primo literarum tyrocinio, in Universitate indè Firmana altiores facultates quæsivit. Ibi quum sedulam Jurisprudentiæ navasset operam, Laurea Doctorali ornatus fuit.

Adolescentiam egressus Romam se contulit, sub optimis causidicis intima Legalis facultatis arcana lustravit. Tantis demum edo- A ctus laboribus ipse in arenam descendit, & difficile advocationis munus in Urbe suscepit. *Innocentius XII.*, qui viros in Legali disciplina peritissimos ad Tribunal Signaturæ Justitiæ admovere decreverat, eum die 1. Decembris anni 1695. inter Præsules Romanæ Curiæ cooptavit, & *XII. Virum* dixit ejusdem Signaturæ Justitiæ. Nec multo post hoc eodem retento officio aliud est assequutus Assessoris Eminentissimi Camerarii.

Evecto ad Petri solium *Clemente XI.*, ad mu- B nus transiit Secretarii Congregationis Boni Regiminis; indè à Secretis est dictus alterius Congregationis Immunitatis Ecclesiasticæ; demum

ipsius

ipsius Papæ à cognitionibus, seu vulgari vocabulo pro eodem Sanctissimo *Auditor* fuit. Titulo etiam ornatus fuit Episcopi Cyrenensis; & quamplurimis aliis datus est Congregationibus, nempè Avenionensi, & Lauretanæ, Firmanæ, & reformationis Tribunalium Urbis.

In hac amplissima Dignitate Papæ Assessoris tribus Summis Pontificibus (quod raro, aut ne vix quidem contigit) fidissimum præstitit Ministerium, scilicet *Clementi XI.*, *Innocentio XIII.*, & *Benedicto XIII.* Ab eodem *Innocentio XIII.* ex Episcopatu Cyrenensi, ad Archiepiscopalem Cæsareæ titulum translatus est. Demum à *Benedicto XIII.* in hac tertia Cardinalium enunciatione die 20. Decembris anni 1724. inter Præsbyteros Cardinales relatus est. Præterea Congregationibus adjectus est S. Officii, Concilii Tridentin i, Rituum, Propagandæ Fidei, Episcoporum, & Regularium, examinis, & Residentiæ eorumdem Episcoporum, Visitationis Apostolicæ, Avenionis, & Laureti, Signaturæ Gratiæ, Satisfactionis Missarum, & Rerum Consistorialium. Protector etiam fuit totius Ordinis Clericorum Regularium Scholarum Piarum, Collegii Græcorum, Collegii item Nazareni, aliorumque quamplurium locorum Piorum.

Anno 1726. post mortem Cardinalis ***Fabritii Paulutii***, Papæ Vicarius est renunciatus. Quo in munere prudentiâ claruit, & pietate.

Comitia celebravit Vaticana pro electione *Clementis XII.* Titulum *S. Calisti*, quem primitus obtinuerat, in alium immutavit *S. Silvestri in Capite*. Hoc rursus dimisso, alium est assequutus *S. Chrysogoni*. Obiit die 24. Februarii anni 1732. Sepultus est in Ecclesia Sanctæ Mariæ Lauretanæ Nationis Picenæ sine ulla Inscriptione.





Fr. Augustinus Pipia Sardus, Electus Ecclesię Auximanę Ordinis Prędicatorum Generalis Magister, S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo. D.N. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 20. Decembris 1724. Obijt die 21 Februarij 1730.

Dominicus de Rubeis Hæres Io. Iacobi formis Romæ ad Templ. S. M. de Pace cum Priu. S. Pont.

V.

FRATER AUGUSTINUS PIPIA Sardus die natus est primo Octobris an. 1660. Patriam sortitus est *Arboream*, Itali *Orestanum* dicunt, Parentes vero honestos habuit, & morum integritate præstantes. Posito sub eorumdem disciplina literarum tyrocinio, ut ex ephebis excessit, Ordinis Prædicatorum amplexus est institutum. Ingenii pollebat alacritate, intentumque animum philosophicis præsertim, & Theologicis facultatibus adjungebat. Parvo idcirco interjecto tempore mirificos progressus fecit, & apud Proceres Dominicanæ Familiæ existimationem nactus est singularem. Romam idcirco traductus, à Superioribus

A totius Ordinis Administris maximis in rebus cœpit adhiberi. Graviora deinde sæpedicti Ordinis munia eidem credita sunt. Regens primum in Urbe Collegii Minervitani, deindè Theologus Casanatensis meruit renunciari. *Clemens XI.* virorum virtute præditorum solers indagator Secretarium eum dixit S. Indicis Congregationis, Consultorem etiam esse jussit in Congregatione Sacrorum Rituum. Demum in Comitiis totius Ordinis Generalibus die 31. Maii 1721. plenis fere suffragiis Magister Generalis conclamatur. B Fuit in hoc amplissimo Magistratu, Ordini Prædicatorum universo dilectus, maximisque laudibus cumulatus.

At Benedictus XIII. hoc die 20. Decembris anni 1724. in Sacrum Cardinalium cœtum illum invexit. Et ut ejus eximia virtus cæteris exemplo esset, vacanti Auximano Episcopatui illum admovit.

A

Honesti, rectique tenax in Pastorali officio, criminosos viros insectatus est, & Dei timorem undequaque propagavit. Perpetua in eo fuit studiorum, & actionum vicissitudo. Postquam enim sacra quotidie peregerat, & majora negocia expedierat, omnibusque ad se accedentibus fandi copiam præbuerat; reliquám diei partem in enodandis Theologicis quæstionibus, atque in conscribendis doctissimis tractatibus insumebat. Pii tamen ejus labores præ nimia, qua pollebat, humilitate, ne evulgarentur, prohibuit. Studio semper anhelans privatæ vitæ, Episcopatum in manibus Papæ liberè dimisit; hinc Romam rediit, suique Ordinis institutum oleo tranquillior est prosequutus.

B

C

Presbyteralem Titulum *S. Sixti*, quem ab initio obtinuerat, in alterum immutavit *Sanctæ Mariæ Supra Minervam*. Sacris cœtibus addictus fuit S. Officii, Episcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Indulgentiarum, Examinis Episcoporum, Immunitatis Ecclesiasticæ, Sacrorum Rituum, & Visitationis Apostolicæ. Piam hanc, & actuosam vitam clausit die 20. Februarii anni 1730. Paucisque horis præmortuus est *Benedicto XIII.* Summo Pontifici, & Creatori suo. Cardinalis enim *Pipia* obiit dicta die 20. Februarii horâ tertiâ noctis; Benedictus vero XIII. vivere desiit primo circiter vespere sequentis diei 21. Februarii 1730. Atque uno die hæc duo Dominicanæ Familiæ præclara lumina defuere. Vixit Cardinalis Pipia annos 69. menses 2. dies 11.

D

Corpus illius in eadem Ecclesia ejus Titulari *S. Mariæ Supra Minervam* honorificè expositum, & tumulatum fuit cum hoc elogio.

D. O. M.
FRATRI AVGVSTINO PIPIA
NATIONE SARDO
ORDINIS PRÆDICATORVM
CONGREG. INDICIS SECRETARIO
TOTIVS ORDINIS MAGISTRO GENERALI
S. R. E. HVIVS TEMPLI TIT. PRESB. CARD.
ET AVXIMANÆ ECCLESIÆ ANTISTITI
QVI EA DIMISSA
ROMÆ OB. XXI. FEBRVARII MDCCXXX.
ÆTAT. SVÆ LXIX.
ET IN PROX. COMMVNI FR. SEPVLCRO
TVMVLARI VOLVIT
NE TANTI VIRI
IN THEOLOGICA SCIENTIA VERSATISS.
RELIGIONE PRVDENTIA
CÆTERISQVE VIRTVTIBVS PRÆCLARI
MEMORIA PERIRET
FRATRES HVIVS CONVENTVS S. DOMINICI
MAIORICEN. S. MARTINI
HÆREDES PP.


Quarta Cardinalium Enunciatio facta

A

BENEDICTO XIII.

Die 11. Junii anni 1725.
Duos habet Cardinales, quorum nomina hæc sunt

Nicolaus Coscia. Neapolitanus.
Nicolaus Judice. Neapolitanus.





VI.

a Pietra de Fusi.

NICOLAUS COSCIA Neapolitanus in Oppido Petræ fusorum a Diæcesis Beneventanæ natus est die 25. Januarii anni 1682. Pater ejus, ut pueri novit versatile ingenium, indolisque alacritatem, summa ope nisus est, ut studiis operam daret.

Benedictus XIII. dum Beneventanæ Ecclesiæ præerat Antistes, ejusque Diæcesim frequens lustrabat; in quadam hujus oppidi visitatione in hunc adolescentem forte fortuna incidit: Oris, morumque elegantiam in puero suspexit, ejusque vivacitatem est admiratus. Ad Clericale institutum capessendum illum allexit, primaque tonsura initiavit. Hinc servi-

A tio addictus Eminentissimi Archiepiscopi cœptum studiorum curriculum non intermisit, & Domini sibi gratiam conciliavit. Ut ad grandiorem ætatem adolevit, in Foro admissus fuit Archiepiscopali, & de litibus persequendis, ferendisque Judiciis certior est factus. Mox ab Epistolis renunciatur. Demum perficiendis ædibus, quas in dies piissimus ille Pastor extruebat, præficitur. Et ut in Ecclesiastica Hierarchia una simul proficeret, Mansio-

B narius primo (Beneficiatum nostri dicunt) deinde Canonicus Ecclesiæ Metropolitanæ effectus fuit.

Maxima quæque vastæ illius Diæcesos of-

ficia *Franciſcus* Finius per id temporis exercebat, & Gratia apud Antiſtitem vigebat Singulari. Aſt in Pontificatu *Innocentii XIII.*, ubi primum ad preces ipſius Cardinalis *Urſini* ad Abellini Epiſcopatum anno 1722. *Finius* admotus eſt; tunc *Nicolaus Coſcia* in munere Cubiculo Præfecti illum excepit, omnemque Paſtoris gratiam eſt aſſequutus. In Eccleſiæ negociis dirigendis penes eum ſumma Imperii poteſtas erat, atque omnia fere nutu ſuo moderabatur.

Mortuo *Innocentio XIII.* Cardinalem *Urſinum*, ad Vaticana Comitia properantem, ſequutus eſt. Divinoque conſilio factum eſt, ut ipſe Cardinalis *Urſinus* in Petri ſolio locaretur. Apud novum Pontificem eadem prorſus viguit authoritate. Statim à ſupplicibus Libellis eſt renunciatus, & Archiepiſcopus Trajanopolitanus dictus eſt, atque anno vix elapſo ab hujus Pontificis electione, die nempe 11. Junii anni 1725. inter Cardinales refertur ſub Titulo *S. Mariæ in Domnica*. Nuperi hujus Cardinalis electioni nonnulli Cardinales incaſſum obſtitere. Fruſtra Cardinalis *Fabronus* in Conſiſtorio, & palam adverſatus eſt.


Tenax propoſiti vir *Benedictus XIII.* à ſententia dimoveri minime paſſus eſt. Majora in dies Beneficia illi contulit, eumque Coadjutorem dixit ſuæ dilectæ Beneventanæ Eccleſiæ; atque uni demum *Nicolao Coſcia* omnia credidit Pontificatus arcana. Fortunam ille ſuam maxime amplificavit, & Regni habuit arbitrium. Congregationibus etiam adjectus fuit Epiſcoporum & Regularium, Concilii Tridentini, S. Conſultationis, Levaminis Artis Agrariæ, Propagandæ Fidei, Avenionis, & Laureti, & Rerum Conſiſtorialium. Præterea Protector datus fuit Religioni Hieroſolymitanæ, Ordini Minorum Conventualium, aliiſque in Urbe Locis Piis.

At è vivis erepto *Benedicto XIII.*, magnæ ſtatim Sede vacante Romæ excitatæ ſunt turbæ in eum, atque in reliquos, qui tantam apud defunctum Pontificem gratiam inierant. Ipſe latitare prius per Urbem, inde Neapolim aufugere adactus eſt, ne vim ab indocili Plebe pateretur. Sacer Cardinalium cœtus, ut liber illi ad adeunda Comitia pateret acceſſus, eum ſub fide publica in Urbem revocat, tutamque ſedem, & domicilium pollicetur uſque ad novi Pontificis electionem. Ille ſponſione accepta ad Urbem remeat, & novo Pontifici *Clementi XII.* in Conclavi ſuffragatur.

Clemens vix ad Apoſtolatum evectus, Cardinalium, aliorumque in Urbe proborum hominum Congregationem indixit, ut Publicorum vectigalium locationes, aliaſque ſine ſolitis ſolemnitatibus, quandoque etiam inſcio eodem Pontifice, factas conceſſiones rigide expenderent, eaſque irritas haberent; ipſe vero Cardinalis *Coſcia* publico Judicio inquiſitus fuit. Papæ itaque Decreto Archiepiſcopatum Beneventanum juſſus eſt dimittere, & ſummam exſolvere 40. millium Ducatorum in pios uſus erogandam, juxta *Gregorii XIII.*, aliorumque Pontificum Conſtitutiones. Mulcta quoque illi irrogata eſt centum millium Ducatorum Neapolitanæ monetæ; ipſe etiam ad decennalem carcerem in Arce Sancti Angeli damnatus fuit. Et jus utriuſque ſuffragii, activi ſcilicet, & paſſivi in electione Romani Pontificis, hac decennali pæna durante illi ademptum eſt.

Ille in Arce S. Angeli in cuſtodiam detruſus toto manſit tempore Pontificatus *Clemen. XII.* Ejuſdem tamen *Clementis XII.* indulgentiâ quandoque ad breve tempus è carcere eductus fuit adverſæ valetudinis cauſſa, vel ut Balnea peteret, vel ut cœlum ſalubrius experiretur. Simili Papę indulgentia ſuffragium dumtaxat activum illi redditum eſt, mediante ejus Chirographo, cujus evulgatio, & exequutio ad tempus Romanę Sedis vacantis dilata erat.

Anno 1740., quo mors contigit *Clementis XII.* ille adhuc in Arce S. Angeli detinebatur. Ut Vaticana adiret Comitia è carcere eductus eſt. Eodem anno 1740. emiſſo ad Apoſtolatum Benedicto XIV., is pietate ductus reliquum tempus, quod ad noxam expiandam ſupererat, illi condonavit. Sic varias expertus viciſſitudines Cardinalis *Coſcia* liber evaſit, & rurſus Neapolim ſe recepit. Illic hactenus degit, parum firma pollens valetudine, & podagræ ſæpè doloribus conflictatus.



Nicolaus Iudice Neapolitanus Protonotarius Aplicus, et Sacri Aplici Palatij Præfectus, S.R.E. Diaconus Cardinalis creatus à SSmo. Dño. Nro. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto habito in Palatio Vaticano die 11. Iunij 1725.
Obijt die 30 Ianuarij 1743.

Dominicus de Rubeis hæres Io Iacobi, formis Romæ ad Templu S.æ M.æ de Pace, cum Priuil. Sum. Pont.

VII.

NICOLAUS JUDICE Neapolitanus præclaris, ac patriciis ortus est Parentibus die 16. Junii anni 1660. Patrem quippe habuit *Dominicum* Cellamarii Principem, Giovenazzi Ducem, Terlicii, & Castri Garagnonis Dominum, Matrem vero *Constantiam Pappacoda* Matronam lectissimam.

Pietatis, & literarum vix prima puer fundamenta jecerat; quum Patruus ejus Cardinalis *Franciscus Judice* eum Romam accersivit, Patribusque Societatis Jesu in Seminario Romano erudiendum tradidit. Ibi scientias omnes perquisivit, lustratisque arcanis Philosophiæ, & Theologiæ dogmatibus, ut demum

A Jurisprudentiæ naviter incumberet, ex eodem Seminario Romano eductus est; & sub Patrui disciplina gravissimis in legali facultate usus est Institutoribus. Laurea tandem Doctorali in Romano Licæo decoratus, ipse ad agendum se contulit, atque in Pontificatu *Innocentii XII.* Præsulum Ordini Romanæ Curiæ die 7. Maii anni 1693. adscribitur. Inter Prothonotarios de numero Participantium receptus fuit, & ab eodem *Innocentio XII.* inter Clericos Cameræ Apostolicæ adnumeratus.

B A *Clemente XI.* vix ad Apostolatum assumpto Præses viarum dicitur, inde Ædilis renunciatur, quem usitato nomine *Grasciæ Præsi-*

dem

dem dicunt. Exeunte demum illius Pontificatu Domui Pontificiæ præficitur. In hac suprema dignitate tribus Summis Pontificibus acceptissimus evasit. Eidem scilicet *Clementi XI.*, *Innocentio XIII.*, & *Benedicto XIII.* Hoc demum die 11. Junii anni 1725. inter Cardinales refertur, & Diaconiam nanciscitur *S. Mariæ ad Martyres*.

A


Austriacæ Domus partes in omni rerum vicissitudine constanter sequutus est; ejusque apud Sanctam Sedem Protector fuit. Divitiarum, quibus affluebat, quandoque non sine splendore fuit providus distributor. Pecuniam interdum negligere visus est. Hinc rei suæ Familiaris prudens administrator, & liberalitatis sibi nomen quæsivit, & maximos sibi accivit admiratores. Viros enim vel eruditione præstantes, vel natalium splendore conspicuos, vel comitatis, vel prudentiæ, aut integritatis laude sibi commendatos, suis adeo beneficiis est prosequutus, ut inscios quandoque, nequidem rogatus maxima munificentia, omnique officiorum genere sibi devinxerit. Dum vixit, tabulis pictis, signis, gemmisque rarioribus delectatus est.

Sacris Cardinalium cœtibus adscriptus fuit Propagandæ Fidei, Concilii Tridentini, Fabricæ Divi Petri, Sacræ Consultationis, Artis Agrariæ, Aquarum, & Rerum Consistorialium. Comitia celebravit Vaticana pro electione *Clementis XII.*, & Benedicti XIV. vixit annos 82. menses 7. dies 14. Obiit die 30. Januarii anni 1743. Justa illi funebria peracta sunt ab eodem Summo Pontifice Benedicto XIV. Sacroque Collegio in Ecclesia Sancti Ignatii. Corpus ejus loco Depositi humatum fuit in Ecclesia S. Mariæ Transpontinæ, ut indè Neapolim transferatur, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo sepeliatur, ut ipse testamento mandavit.

B

Quinta Cardinalium Enunciatio habita fuit
A
BENEDICTO XIII.

Die 11. Septembris anni 1726.
Et in ea unus Cardinalis evulgatus fuit, qui sequitur.





Andreas Hercules de Fleury Gallus Episcopus olim Foro-Iuliensis in Provinciâ S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo. D.N. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 11. Septembris 1726.
Obyt die 30 Ianuarij 1743.
Hyac Rigaud pinx — *Gaspar Massi Sculp*
Dominicus de Rubeis Heres Io Iacobi formis Romæ ad Templ S M de Pace cum priuil Sum Pontificis

VIII.

ANDREAS HERCULES DE FLEURY Gallus adeo pietate, & consilio præstitit, ut ejus gesta expositurus, verear, ne potius historiam, quam vitam scribere instituam; sed propositæ tenax brevitatis contendam, ne rerum memorabilium desiderium lector ferat, neve satietatem.

Luteva (*a*) in Occitania *Andreas* natus est die 22. Junii anni 1653. Parentes habuit eximiâ præditos nobilitate; *Johannem* scilicet Dominum *de Dio*, *de Valquieres*, *& de Vernazobres*, qui fuit etiam consiliarius status ex

A

Regio diplomate diei 26. Aprilis anni 1661., & *Dianam de la Treille*. Quum sacris lustralibus aquis ablutus fuit, *Herculis* dumtaxat nomen obtinuit; alterum *Andreæ* nactus est, quum sacrâ fuit confirmatione inauguratus.

Ut primum per ætatem licuit, Parisios traductus est, atque in Regio Navarrensi Collegio prima posuit literarum tyrocinia, & prima magnæ indolis specimina exhibuit. Eloquentiæ naviter incubuit, adeòque profecit ingenii celeritate, & contentionis ardore, ut brevi cæteris anteiverit. Latinas, Græcasque literas

(a) Lodeve. Erravit propterea Gallia Christiana Tom. 1. pag. 445. edition. Parisiens. an. 1715. quum eum in Civitate Monspeliensi natum dicit.

ras percoluit, & ut abditos eruditionis fontes inquireret, sponte suâ optimos assiduè libros evolvebat. Rethores, Poetas, & quarumcumque ætatum, ac regionum conquirebat historiam. Omnia memoriâ tenebat, non præsentia, non domestica solum, sed etiam vetera, atque externa. Juri etiam tum Canonico, tum Civili vacavit; & ut officia optimo Civi, & Christiano homini impendentia sedulo exequeretur, Jus etiam publicum introspexit, quod inter populorum rectores intercedit, eorumque vel moribus, aut legibus, vel fœderibus nititur, aut pactis.

His porrò studiis adolescentiam aluit, firmiorem munivit ætatem, & senectutem sustinuit; atque iis potissimum refici, ac recreari visus est, si quando eum negotiorum satietas cœperat post initam Gallici Regni, & rerum maximarum administrationem.

Postquam intentum Philosophiæ animum adjecerat, multorum subiit admirationem, quod suas græco idiomate Theses exhibuerit, & propugnaverit. Demum in facultate Parisiensi Theologiam funditus introspexit, & Laurea doctorali ornatus fuit.

Jam Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Monspeliensis non ita pridem dictus fuerat, & ab eleemosynis Reginæ *Mariæ Theresiæ Austriacæ*, indè verò ipsius Regis item Eleemosynarius, & Abbas *Beatæ Mariæ de Ripatorio in Campania*.

In Aula magni Regis vivendi genere usus est Modesto, ac gravi; atque ut erat eloquio facundus, consuetudine Comis, ore elegans, & ad aliis operam suam conferendam naturâ pronus; maxima hinc apud Regni Primates authoritate viguit, & gratiâ. Obortas quandoque inter eos inimicitias felici exitu componere satagit. Sic etiam consilia pacis injecit inter duo illa Literariæ Reipublicæ lumina, æmulosque præstantissimos, scilicet inter *Jacobum de Bossuet* Episcopum Meldensem, & *Franciscum de Fenelon* Archiepiscopum Cameracensem. Uterque eorum nimiâ inter se offensionis asperitate contendens, uni tamen *Andreæ de Fleury* arcana sua credebat, eumque concertationum suarum arbitrum, & pacis sequestrem postulabat.

Die 1. Novembris anni 1698. electus fuit Episcopus Foro-Juliensis in Gallia Narbonensi, quæ *Provincia* dicitur. Literas Apostolicas, quas *Bullas* vocant accepit die 30. Martii anni 1699. Die demum 21. Novembris ejusdem anni solemniter consecratus est à Cardinali de *Noailles* Archiepiscopo Parisiensi in Ecclesia Fuliensium Vici Sancti Honorati, collaborantibus Ambianensi, & Lingonensi Episcopis.

Pastorem ea tempestate Foro-Juliensis Ecclesia desiderabat prudentem, vigilem, actuosum, pium. Plures irrepserant abusus, & gliscente in dies nequitia, Religionis negligentia radices egerat. Presbyteri, atque ex iis nonnulli, qui curæ animarum erant præpositi, inerti, ac languido otio animum inficiebant suum, atque extra Diœcesim vagabantur. Initia suæ Pastoralis sollicitudinis solemniter auspicatus est à quodam suo mandato, seu edicto, quo Clericos ita oberrantes, ac vagos ad pristina revocavit officia. Generalem inde coegit Synodum ac diffluentes Cleri, plebisque mores funditus emendavit. Fructus ex illa Synodo relatus est eximius, ac multiplex. Alteram propterea indixit, habuitque quotannis Synodum generalem. Maximè in ea profecit consiliis, monitisque suis, & libertate dicendi. Munera proindè sua quilibet ex Presbyteris, cæterisque Ecclesiæ administris certatim exequebatur.

Nec Clericos dumtaxat dogmata veræ Fidei edocuit; sed ad Populum conciones habuit eloquentia, ac suavitate incredibili. Sæpe, ac palam veritatem Evangelicam edixit frequentissimis auditoribus. Rudes etiam, puerosque erudivit, coegitque ut Christianæ Cathechesi singulis diebus festis interessent. Id ipsum cavit potissimum in crebris suæ Diecœseos visitationibus. In iis omnium votis exceptus, omnium etiam Pastor, & Pater habebatur. Seminarium sæpè suum invisebat, & si bene pueri instituerentur, si Rebus Divinis vacarent, sedulo inquirebat. Ut id plenius assequeretur alterum erexit Seminarium, ibique suis sumptibus quosdam adolescentes aluit, ut optimis disciplinis, moribusque verè Christianis imbuerentur. In pauperes adeo effusus fuit, ut illis stipem laturus modico ipse victu, & vix ad gradum decenti supellectile uteretur. Statis quibusdam diebus, præsertim vero Quadragesimali tempore jejunium agere consuevit; atque in hac consuetudine summâ Religione perstitit usque ad ultimam senectutem. Infirmis Xenodochia aperuit. Puellis etiam atque iis potissimum, quibus imminet pudicitiæ periculum, discretum locum attribuit tum in Civitate Foro-Juliensi, tum in Oppidis suæ Diecœseos, ut lanificio incumberent, & Christianæ Fidei rudimenta perdiscerent.

Humiles, abjecto positos loco, & sola sibi acceptos commendatione virtutis, inscios, & quandoque etiam reluctantes, ad Sacerdotia, & spectabiles dignitates evocavit.

Puritati adhærens Religionis Catholico-Romanæ plura evulgavit mandata, quibus noxias *Quesnelli* propositiones passim prolatas in libro = *Reflexionum moralium* = nuncupato, damnavit, & famigeratam Constitutionem *Unigenitus* sincerè, ac palam amplexus est. Hoc ineunte sæculo, quod nunc elabitur, dum memorabili Martis incendio cuncta fere Europa obruebatur, & tractus ille Galliæ Narbonensis, qui *Provincia* nuncupatur, ferale belli Theatrum extiterat, tantam ille prudentiam adhibuit, ut impetum exterorum à pernicie suæ Diæcesis averterit. Ipsa Foro-Juliensis Civitas alieno suberat imperio, & tamen consiliis, precibusque suis evicit, ne Urbs diripienda, & vastanda militi traderetur. Eidem Urbi, ac Regioni universæ re

fru-

frumentariâ laboranti tempestive consuluit, & in summa caritate Annona convaluit. Quidquid in tanto rerum discrimine pro communi salute optandum fuit, id omne impetravit ab invicto Sardiniæ Rege, qui & viri præterea prudentiam suspexit, probavitque, & familiarem cum eo consuetudinem instituit.

Sic ille Episcopali munere strenuè functus est usque ad annum 1715., quo tantis fessus laboribus, ex quibus valetudinem suam non parum attriverat, dilectâ Sponsâ suâ, Foro-Juliensi scilicet Ecclesia, mœrens, ac *volens nolenti animo* (*a*) se abdicavit. Non ille humanis ductus rationibus, non ambitiosa flagrans cupidine, sed necessitate impellente Episcopatum dimisit. Non semel enim morbo tentatus, parum recreatus emerserat. At vero majores Episcopatus constantissime recusavit. Id ipsum contigit anno 1722., quum tenax propositi vir, præclarum *Rhemensem* Archiepiscopatum à Rege *Ludovico XV.* sibi ultro oblatum simili prorsus modestia recusavit: Nec à sententia deflexit, licet occasionem hinc optatissimam nancisceretur, Regem solemniter consecrandi.

Sed *Ludovicus XIV.*, qui maximi Andream faciebat, eum curarum, & laborum expertem, vacuumque Magistratibus minimè passus est. Abbatiam primo illi contulit de *Tournus* in Diœcesi Cabilonensi. Probatæ inde ejus fidei instituendum tradidit *Ludovicum XV.* Pronepotem suum in tenera ætate constitutum, atque unicum ex tanta Regia sobole publicæ salutis, & Gallici Imperii superstitem In eo omnium spes, omnium vota coaluerant. Augusti igitur Alumni præceptor renunciatus, ut testamento suo caverat *Ludovicus Magnus*, mirum est quot modis, & quot maximis Regum, majorumque suorum exemplis ingenitam ejus virtutem excitarit. Didicit ille eo Magistro Ecclesiam tueri, æquitatem colere, veritatem amare, prudentiæ inniti, amore subditos, hostesque metu continere, atque ita Imperio assuescere.

Eum præcipuo Rex amore prosequebatur; & tamen in tanta potestate rerum omnium, in tam secunda fortuna, animo *Andreas* demisso, atque humili versabatur, & solum Religionis incremento, Regni felicitati, & Regis gloriæ studebat. Per id temporis in celebri *Gallica* Academia atque in altera *scientiarum, & bonarum artium* exceptus fuit. Anno vero 1722. postquam Rhemensem, ut dictum est, Archiepiscopatum recusavit, quem illi Rex etiam atque etiam exhibuerat, Abbatiam obtinuit *S. Stephani de Caen* Diœcesis Biajocassensis (*b*). Anno 1725. quum Ludovicus XV. nupsit *Mariæ Carlottæ Lensczinskiæ*, primus ejusdem Reginæ Eleemosynarius dictus fuit; sequenti vero anno 1726. supremus Tabellariorum, & cursualium equorum Præfectus fuit item renunciatus; & *Benedictus XIII.* ne tantæ & ipse deesset virtuti, eum hoc die 11. Septembris anni 1726. in publicæ existimationis argumentum, solum Sacro Senatui adjecit. Porrò nominatus jampridem fuerat à Rege scilicet anno 1723., sed quum Pontifex dilatam nimis doleret eam Cardinalium Promotionem, quam ad preces Regum Catholicorum solet evulgare, quinimo nonnisi illam habuit, quam sequenti anno 1727., hinc ne communia Pontificis, & Regis vota diutius protraherentur, illum hoc die Sacrâ Purpura decoravit, efflagitante nedum eodem Rege, sed quod rarum est, in id etiam sedulo incumbentibus cæteris ferè omnibus Catholici Orbis Principibus.

Hoc eodem anno *Ludovicus XV.* Regnum solus administrandum suscepit; ejus tamen uti consilio censuit in Republica capessenda. Ipse vero integram ut antea reverentiam, fidemque erga Regem impollutam adhibuit. Postquam internæ tranquillitati tamdiu prospexerat, exterius cæterorum vires ad æquilibrium componere, & pacem fovere non destitit; & licet ex initis *Vindobonæ* pactionibus, Hispanus Rex secretum cum Cæsare fœdus percussisset, quo Commercium nuper à Cæsare *Ostendæ* institutum, firmari, & propagari credebatur; Cardinalis tamen de Fleury *Philippum V.* ab importuno consilio retraxit, eumque ad pristinam amicitiam cum sibi Agnato Gallorum Rege revocavit.

Angli interea, & Batavi ex iis, quæ secreto agitabantur, in suspicionem adducti, susceptis jamdiu simultatibus nitebantur. Obtentu abrupti, vel deturbati commercii classem instructissimam ad litora Indiarum Occidentalium impellunt, atque improviso Portum *Sancti Philippi*, validum in America Hispanorum propugnaculum, quod *Portovelo* etiam dicunt, laxiori obsidione cingunt. Imparatus propterea *Philippus V.*, & bello impetitus, merces omnes, quas Angli, & Batavi in Hispaniis habebant, invasit. Quare Cardinalis de Fleury veritus ne instanti belli discrimine Europa ferè universa absumeretur; summa ope nixus est, ut oborta utrimque diffidia ad concordiam perduceret. Officia Nuncii Apostolici Matriti, alteriusque Vindobonæ degentis efflagitavit, & quum pax firmiter haberi non posset, inducias saltem impetravit.

Quæ pacis jecerat fundamenta, communi Europæ Principum placito, *Aquisgrani* erant perficienda. Ea in Urbe habenda erant Comitia generalia, eorumdemque diffidentium Principum Oratores erant acciti. Et tamen plura obsistebant, ne *Articuli*, ut dicunt, *Præliminares* evulgarentur. Ad rem emolliendam nonnullæ anno 1728. sancitæ fuerant pactiones in Regia propè Matritum Villa, quæ *Pardo* nuncupatur. Quod reliquum erat contentionis in ipsa habenda Comitia rejectum est. Illuc *Ludovicus XV.* Cardinalem de Fleu-

(*a*) ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ Homer. Iliad lib. 5. (*b*) Bajeux.

ry allegare decreverat; sed quum nec à Regis latere sejungi, nec propositum iter senio, aliisque curis præpeditus maturare posset; hinc mirum profectò fuit, quod unanimi consensione cautum fuerit de seligenda in ipso Galliæ Regno eâ Civitate, quæ Cardinali de Fleury commodior censeretur. Tantâ apud omnes Europæ Reges pollebat probitatis opinione, ut etiam ab iis, quos numquam viderat, coleretur.

Urbs Augusta Svessionum (*a*) electa fuit, ubi congressus haberetur. Jamque Oratores omnes convenerant illorum Principum, qui rerum agendarum erant participes. Ipse vero gravi, ac nitida oratione initia hujus Conventus solemniter auspicatus est, Carlopoli, quam nostri *Compiegne* dicunt, quæque parum distat ab Augusta Svessionum, eâ tempestate Regalis Aula morabatur. Quare abire hinc, ac sæpe remeare Cardinalis adigebatur, ut Regi adesse, simulque Conventui præesse posset. At vero Principum Oratores, ac si certatim Cardinalem percolerent, eum quacumque pergeret, sequebantur. Id ipsum evenit; quum Rex *Versalias* contendit, atque indè ad *Fontem Bellaqueum* se contulit. Nam relicta *Augustæ Svessionum* specie quadam, atque imagine Comitiorum, quam Marchio de *Fenelon*, & Marchio de *Brancas* loco absentis Cardinalis simulare magis, quam sustinere videbantur; ubicumque Cardinalis esset, ibi Oratorum Conventus erat, & ubi ille considebat, illuc omnes cursitabant, quasi ad arbitrum Europæ, & ad supremum pacis, ac belli moderatorem.

At nimium discordes erant tot dissidentium Regum voluntates, & studia. Et quum tranquilla esse omnia non possent, infectis, dissolutisque Comitiis, Galliæ saltem utilitati prospexit. Anno enim 1729. pactionem iniit cum Hispanis, & Anglis, in quam postea Belgii etiam fœderati Provinciæ coiverunt. Hæc pactio, quæ ab Hispalensi Civitate, in qua sancita fuit, de *Siviglia* est nuncupata, in hanc potissimum conditionem venerat, quod *Carolus Borbonius* Regius Hispaniarum Infans cum decenti militum numero Italiam peteret, atque ut sibi magis caveret de successione Magni Ducatus Etruriæ, & Ducatus Parmæ, & Placentiæ, arces omnes hujusmodi ditionum præsidio teneret.

Sed jam die 1. Februarii anni 1733. Naturæ concesserat *Augustus II.* Poloniæ Rex. Propterea Gallorum Rex occasionem invenisse ratus vindicandi jura *Stanislai Lenszinskii* Soceri sui, qui jamdiu eodem Sarmatico Regno potitus fuerat, nec nisi maximis ingruentibus malis lapsus ab eo fuerat; omni officiorum genere Gnesnæ Archiepiscopum, & Regni Primatem prosequi non destitit, ut *Stanislaus* in Comitiis generalibus, quæ sub dio, & in Campis fiunt juxta Martialis illius Populi consuetudinem, Poloniæ Rex inauguraretur. Revera die 12. Septembris hujusmet anni omnium ferè vocibus electus fuit; sed quum pauci obstitissent, hinc Saxonum Dux defuncti Regis filius suâ fretus potentiâ, fretus auxilio fœderatorum Principum, sub nomine *Augusti III.* Rex in novis Comitiis est renunciatus. Offensus propterea Ludovicus XV., quod Saxonum Duci nimium Cæsar favisset, illi bellum denunciat. Fœdere junctus Hispaniarum, & Sardiniæ Regibus, *Carolum VI.* totis viribus in Italia, atque in ipsa Germania aggreditur. Fœderatis Regibus utrimque cessit victoria. Et bellum, quod cautè, & appositè cœptum fuerat, celeriter etiam administratum, & felicissime confectum fuit. Cardinalis enim de Fleury non minus in rebus agendis promptus, quam in excogitandis solers, postquam satis terroris hostibus injecisset, anno 1735. pacem pepigit aliis insperatam, Galliæ vero saluberrimam; tantumque ex ea fructum est consequutus, quantum ex diuturnitate temporis vix retulisset. Timebat enim, quod si diutius bellum fovisset, Angli, & Batavi Cęsari suppetias venissent. Pace itaque quam citissimè composita, Ducatum Lotharingię, & Bari Gallico adjecit imperio; hoc solum addito, quod *Stanislaus* Poloniæ Rex supremam ejusdem Lotharingię, quoad viveret, dominationem teneret. Præterea *Carolo* Hispaniarum Principi utriusque Siciliæ Regnum possidendum dedit, & Sardiniæ Regi, qui pariter secum belli societatem iniverat, non modicam Insubriæ partem ex Mediolanensi detractam Ducatu attribuit.

Grandia dum hæc agebat Cardinalis de Fleury, studiis omnibus, atque intima familiaritate colebatur à Rege, qui mortuo ulterius anno 1729. Cardinale de *Noailles*, vices primi Ministri eum obire jussit. Præterea ipsi Cardinali *de Noailles* suffectus fuit in officio Provisoris Sorbonicæ Domus, & Collegii Navarrensis. Toto hinc animi impetu internæ Regni felicitati prospexit. Commercium propagavit, scientias omnes tutatus est, ingenuas artes fovit. Regiam Bibliothecam conquisitis ex universo Orbe manuscriptis ita amplificari, omnique librorum genere ditari curavit, ut nulli jam cedat aut numero, aut voluminum excellentiâ. Omnia ubique vigil curavit. Justitiam prorsus intaminatam edixit. Reis pernicies, & miseris perfugium fuit. Annonam levavit; ut militibus stipendia celeriter, & ad assem solverentur, maximè cavit. Religioni vero amplificandæ potissimum incubuit, & ut puritas Catholicæ Fidei ubique vigeret, Presbyteros vera pietate, & doctrinâ præstantes eligebat. Eos ad Sacerdotia, ad maximas dignitates, & ad Episcopatus admovebat. Cæteros, quos noverat suspectę fidei, à Regis largitate removebat. Sic vitia quasi sponte suâ aufugere visa sunt, sic ipsa Hæresis exterrita ho-

(*a*) Soissons.

honestatis aspectu, sine lictore, & sine voce A præconis exulavit. Eo auspice Concilium Ebredunense coactum fuit, ut noxiæ doctrinæ semina penitus evellerentur.

Delatis sibi à Rege dignitatibus, & præmiis adeo contentus fuit, ut numquam majora concupiverit. Tria superius recensita Sacerdotia mediocrem illi reditum afferebant, & tamen supra censum munificus fuit. Nihil utilitatibus, commodisque suis, nihil sanguini tribuendum censuit. Quare anno 1736. ut Rex magnanimitate suà illius modestiam superaret, ejus ex B Fratre Nepotem *Joannem Herculem de Rosset*; Marchionem *de Rojasel*, Ducem, & Parem Franciæ renunciavit sub denominatione *Ducis de Fleury*, quem honoris titulum ejus Familiæ perpetuo addixit. Hunc etiam Nepotem illius anno præcedenti equitem Regiorum Ordinum pronunciaverat.

Et ut clarius Regis clementia patefieret, anno 1737. postquam Lotharingiæ, & Bari Ducatus Galliæ adjectus fuerat, annuente Rege *Stanislao* datus est administrandus *Duci de* C *Fleury* Cardinalis ex Fratre Pronepoti cum titulo *Gubernatoris*; & hunc postea Rex primum etiam dixit in Aula sua Cubicularium.

Quam sibi domi, forisque nominis celebritatem asciverat, eamdem inter belli clamores, & in tanta rerum vicissitudine prorsus intaminata retinuit. *Carolus VI.* Imperator vix Gallis reconciliatus, in pristinam eum benevolentiam recepit, & familiari, ut antea epistolarum commercio secum usus est. Cæsar enim D maximi semper fecit ejus in capiendo consilio prudentiam, & in dando fidem. Et quum bello Turcico premeretur, quod ipse instauraverat, ut Moschis sibi fœdere junctis opitularetur, nec res satis prosperè cessissent, Cardinalem invenit optatæ sequestrem pacis, & quasi salutis restitutorem. Anno enim 1738. ipse Turcarum Imperator, Gallorum Regem oraverat, ut de pace ineunda apud Cæsarem ageret. Cardinalis Andreę de Fleury nec leve, nec segne fuit Ministerium. Sequenti E enim anno 1739. pax est constituta in Castris Turcarum, & in tentorio Magni *Visiris* propè *Taurunum*. Et *Ludovicus XV.* initæ pacis conditiones sponsione sua confirmavit.

Anno 1740. habitatores Corsici Regni, qui crebris defectionibus a fide Reipublicæ Genuensis desciverant, ad frugem reducere fategit; admotoque ingenti militum numero, res ea in Insula maxime perturbatas ita composuit; ut quum anno 1741. milites revocaverit, honestis quidem conditionibus Senatus F Genuensis pacem habere, & inobsequentes cohibere arbitratu suo potuisset.

Eodem anno 1740. Octobri mense mortalitatem exuerat Carolus VI. Imperator, qui solus ex Austriaca sobole masculus superfuerat. Ut sibi quisque ominabatur, maximum belli incendium in Europa fere universa repente conflatum est. Gallorum Rex, qui validum Electori Bavariæ auxilium spoponderat, ut Imperator salutaretur, maximis exercitibus in Italiam, atque in Germaniam traductis voti compos est factus. In Comitiis enim Imperii idem Bavariæ Dux Cæsarea Dignitate auctus fuit. Ast bellum hujusmodi, quo tot Europæ Provinciæ premebantur, ad finem perducere non potuit, illiusque calamitates exitu optatæ pacis feliciter obruere.

Ægrotare incœpit ineunte anno 1743. in quadam Suburbana Villa Seminarii S. Sulpicii, quo se interdum conferre consueverat, ut a laboribus paulisper quiesceret, Illic lethali correptus morbo, quo numquam convaluit, piæ, ac sanctæ oppetendæ morti dumtaxat studuit. Quare monitus, quod ad extremum vitæ suæ vocabatur, non expavit ad nuncium mortis, aliorumque lacrymas spectavit immotus. Tota mente, ac spe in Deum conjecta, sacris ritè muniri avidissime efflagitavit; iisque summa Religione sumptis, ita sanctas preces iteravit, ut eas meditari potius, quam recitare visus fuerit. Cardinalis *Crescentius* tunc Archiepiscopus Nazianzenus, & Nuncius Sanctæ Sedis ad Regem Christianissimum, Apostolica benedictione juvit decumbentem. Ille vero acerbissimis licet doloribus vexatus, languida, ac submissa voce infixam animo Religionem palam testatus est, ac reverentiam illam iterum patefecit, qua Romanum Pontificem tamquam Christi in terris Vicarium semper fuerat prosequutus.

Quo tempore tristis hæc infirmitas producta est, tota Regia soboles instanti trepidavit periculo. Rex de sua salute maxime sollicitus, ter ad eum convenit. Ad eum quoque invisendum Regina se contulit. Atque idipsum *Delphinus* egit unicum Gallici Imperii solatium, & germen. Multa hunc fideliter monuit, multa præcepta edocuit, ut ad præsidium cresceret Catholicæ Fidei, ut mores patrios, & Regni spem magnam foveret.

Obiit die 29. Januarii anni 1743., vixitque annos octogintanovem menses 7. & dies 7. Ut certior mortis ejus Rex fuit factus, statim illius loco primum Reginæ Eleemosynarium dixit alterum illius Pronepotem Abbatem de *Fleury* nunc eximium *Carnoti* Episcopum.

In summa ille Regni potestate, atque inter tantas opes maxime inops fuit. Nec domum, nec agri glebam testamento reliquit. Ex Asse Legatarios scripsit superius laudatum Episcopum Carnotensem, alterumque ejus Pronepotem Abbatem *de Fleury*; iisque mandavit, ut modicam suam supellectilem in pauperes dividerent. Hæc vero vix satis erat, ut alia, quæ præceperat, pia legata exsolverentur; funeri vero sumptus defuit. Atque demum ita obiit, ut luctui mors ejus fuerit, & exemplo.

Rex propterea dolore, & miseratione percitus defuncti Cardinalis Sacerdotia, si quid detrimenti cœpissent, suo ære instaurari jussit. Justa illi exequialia, & digna tanto funere, solvi decrevit in Ecclesia Metropolitana Beatæ Virgini sacra; vocatis ad triste lu-

ctus spectaculum Clero Gallicano, supremisque Curiis, atque omnibus Europæ Principum Administris, Laudatus fuit in funere luculenta oratione a Patre *de Neuville* Societatis Jesu, magna ingruente Populi multitudine in publicæ mæstitiæ argumentum. Rex denique ingens erigi mandavit Mausolæum in Ecclesia S. Aloysii de *Luvre* ad memoriam ejus nominis sempiternam.

Sexta Cardinalium Promotio, quam habuit
BENEDICTUS XIII.

Die 9. Decembris anni 1726.

Novem exhibet Cardinales, quorum duos evulgavit, nempe Nicolaum Lercari *Genuensem, & Fratrem* Laurentium Cozza *Montis Falisci. Reliquos vero septem in pectore retinuit, ut in eorum sede advertitur. Hi novem Cardinales juxta eorum Dignitatis, & senioritatis ordinem recensentur.*

Domnus Angelus Maria Quirinus. Venetus Ordinis S. Benedicti Congreg. Cassinensis.
Nicolaus Maria Lercari. Genuensis.
Marcus Antonius Ansidei. Perusinus.
Prosper Lambertinus. Bononiensis hodie Summus Pontifex Benedictus XIV.
Franciscus Antonius Finius. Minerviensis.
Frater Laurentius Cozza. Montis Falisci, Minister Generalis Ordinis S. Francisci.
Frater Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum. Perusinus.
Antonius Banchieri. Pistoriensis.
Carolus Collicola. Spoletinus.



Dom-



D. Angelus Maria Archiepiscopus Quirinus, Venetus, Episcopus Brixiensis Ord. S. Benedicti Cong.nis Cassinensis, S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo. Dno. Nro. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 9. Decembris 1726., et in simili Consistorio publicatus die 26. Novembris 1727., et die 4. Sept. 1730. electus a CLEMENTE XII. Apostolicus Bibliothecarius

Petrus Nelli pinxit — *Gaspar Massi sculp.*

Laurentius Filipp. de Rubeis [illegible] Filius q. Dominici Heredis Io. Iacobi form. R.ae ad T. S. M. de Pace [illegible] S.P.

X I.

DOMNUS ANGELUS MARIA QUIRINUS Venetus ex vetustissima, Patriciaque Familia in lucem prodiit die 30. Martii an. 1680. Patrem habuit *Marcum* Procuratorem Divi Marci, Matrem vero *Cæciliam Justinianam* præstantissimæ itidem nobilitatis Fœminam. quum sacris lustralibus aquis ablutus fuit, *Hieronymi Quirini* nomen obtinuit. Septennis Brixiam traducitur, atque in Collegio *nobilium S. Antonii* Patribus Societatis Jesu instituendus traditur. Valida ibi in exercitio Christianæ pietatis, & in studio literarum fundamenta jecit. At Religionis instinctu ab invitis, & obsistentibus Genitoribus annos natus 16.

A summa ope impetravit, ut inter Benedictinos Congregationis Cassinensis reciperetur.

Florentiam petiit, atque in celebri illo Benedictinorum Cœnobio vestem induit Religiosam, & *Angeli Mariæ* sibi nomen imposuit. Exacto probationis tempore, votis illius Instituti se solemniter obstrinxit. Hominum in ea Civitate eruditione præstantium consuetudine familiariter usus est. Anno 1706. lucubrationem quamdam suam Cæsenæ typis evulgavit sub hoc Titulo = Oratio de Mosaicæ Hi-

B storiæ præstantia =

Anno 1710. cum *Joanne Quirino* Fratre ejus, postea Divi Marci Procuratore, lon-

gin-

ginquas iniit peregrinationes, ut hominum multorum Urbes moresque introspiceret. Cultiores Italiæ Civitates, magnam indè Germaniæ partem peragravit, ad Batavos demum pervenit. Hagæ Comitum aliquandiu substitit, ubi Europæ Principum Oratores pro sancienda pace convenerant. Studio adhuc extimulatus lustrandæ Europæ in Angliam trajecit. Inde in Galliam perrexit. Triennium, eo in Regno consedit, & ut literariæ ejus cupiditati indulgeret, cum viris doctis *Montfauconio*, *Calmeto*, *Huetio*, *Renaudotio*, *Natale Alexandro*, *Carolo Rollino*, *Bernardo de Fontanelle*, *Andrea Dacerio*, *&* *Anna* ejus Conjuge, *Tanaquili Fabri* filia, aliisque familiariter versatus est. Lutetiam Urbem regiam ejusdemque Urbis Musæa, Bibliothecas, Numismatophilacia, aliaque admiranda lustravit. Reliquas illius Regni Provincias, atque in eis venerandæ antiquitatis reliquias investigavit.

Anno 1714. in Italiam reversus, Florentiam revisit studiorum olim suorum altricem, & Matrem. Parum ea in Urbe moratus est. Ipso eodem anno exeunte Romam properavit. *Clementem XI.*, qui jam de studiis ejus, diuturnisque peregrinationibus certior fuerat factus, benevolum, & fautorem invenit. Ab eo Sacris Congregationibus adjectus fuit Indicis, Sacrorum Rituum, & Librorum Orientalium expurgandorum. Inde Cassinensis Abbas est dictus.

In Comitiis sui Ordinis generalibus Provincia illi demandata fuerat, Annales Benedictinos Italiæ conscribendi. Obtentu igitur Tabularia Neapolitana investigandi, præsertim vero Cassinense, Neapolim se contulit anno 1716. Ex eo Regno reversus, haud multo post Dissertationem suam typis mandavit, cui Titulum præposuit = De Monastica Italiæ Historia conscribenda = Cœnobium inde adiit Farfense, ut ex pervetusto illo Archivo monumenta hauriret, quæ primo Monasticæ Historiæ volumini contexendo inservirent. Hoc primum volumen unicè implebat Farfensium monumentorum descriptio. Eadem vero monumenta integra, ut plurimum, ac per extensum relata hoc in libro habebantur. Hoc propterea *Clementi XI.* in causa fuit, ne ipse hujusce Libri editioni assentiretur; timebat enim, ne Diplomatum Farfensium promulgatione Pontificii nominis hostes, depravato eorum sensu, abuterentur.

Simili, imo forte adhuc deteriori, novi ejus conatus excepti sunt, quos in emendandis Græcorum Officiis impenderat. Hoc illi munus demandaverat Sacra Congregatio Librorum Orientalium correctioni præposita. Anno 1721. fidem exoneravit suam. *Innoc. XIII.* novo Pontifici volumen quoddam exhibuit = Officii Quadragesimalis Græcorum = cui aliquot Diatribas suas adjecerat. Sed multorum liber repræhensionem subiit. Ipsa Sacra Congregatio authoritatem suam interposuit, & *Quirinum* prohibuit, ne susceptum opus pro-

A sequeretur, neve quod jam absolverat, evulgaret.

Interea Quirinus frustratos labores suos dum maximè dolet, de deserenda Urbe cogitavit. Anno itaque 1722. Venetias perrexit. Manus statim apposuit novæ faciendæ editioni vitæ *S. P. Benedicti*, eamque evulgavit anno 1733. sub hoc Titulo = *Vita Latino-Græca S. P. Benedicti. Textus Latinus authore Gregorio Magno &c. versio Græca authore Zacharia Papa &c.* = Eodem anno Veneto promovente Senatu Archiepiscopatui Corcyrensi admovetur. Romam remeavit, ut consecraretur Episcopus. Hac pariter solemnitate absoluta Corcyram contendens, ad eamdem Insulam anno 1724. appulit. Postquam ibi biennio Pastoralis sollicitudinis partes omnes impleverat, Romam remigrare decrevit, ut limina Apostolorum veneraretur.

B

Anno 1726. Romam adveniens *Benedictum XIII.* in Petri Cathedram locatum invenit, cujus ne quidem faciem antea noverat. Et tamen adeo illi fortuna arrisit, ut brevi intimam cum eo Familiaritatem instituerit. Sermonum, consiliorumque Papæ statim factus est particeps. Suspiciebat in eo Pontifex natalium splendorem, Christiani animi magnitudinem in arripiendo Monasticæ vitæ instituto, & transitum ex illo ad Episcopale ministerium, quæ omnia ipsi *Benedicto XIII.* adamussim contigerant. Præterea viri doctrina delectabatur, ingenio prompto, ac versatili, & mirifica de rebus omnibus loquendi, & disserendi facilitate. Ut ergo benevolentiam illi suam amplissimo testimonio significaret, ex Corcyrensi Insula ad Brixiensem Episcopatum eum traduxit, & Consultorem postea dixit Congregationis S. Officii. Et demum in hac solemni Promotione eum inter Cardinales retulit, & titulo decoravit *S. Augustini*, quem anno 1728. dimisit, optans illum *S. Marci*. Hoc vero in Commendam retento ad alterum gradum fecit *S. Praxedis*. Horum Titulorum Ecclesias ipse munificentissimè ornavit. Ut Brixiam pervenit, Ecclesiam illius Civitatis majorem collatis Fidelium oblationibus maxime amplificavit; Diæcesim lustravit, atque omnia charitatis, optimique Pastoris officia implevit.

C D E

Mortuo *Benedicto XIII.* Romam remeavit, ut Vaticanis adesset Comitiis. Electo *Clemente XII.* statim post mortem Cardinalis *Benedicti Pamphilii* Bibliothecarius S. R. E. renunciatur. Opera *S. Ephrem Syri* in vulgus edidit. Librum etiam *de Corcyræ primordiis* recudi curavit. Mox ut Brixiam reversus est, *Veteres Brixianæ Ecclesiæ Patres* in Codicem coegit, eumque evulgavit. Item = de Brixiana Literatura = Librum composuit. Et *Francisci Barbari* Epistolas hac, illacque dispersas, collegit, & Typis edidit.

F

His interea, aliisque curis distractus, Romam crebris itineribus meavit, remeavitque usque ad annum 1740., quo mortuo *Clemente*


te XII. Vaticana iterum celebravit Comitia. Aſſumpto in Petri Cathedram BENEDICTO XIV. Brixiam iterum reverſus eſt. Epiſtolas Cardinalis *Reginaldi Poli* publici Juris fecit. Suas etiam Epiſtolas in Decades diſtributas evulgavit. Quotidianas item ſubiit contentiones cum viris in Italia, atque extra Italiam eruditione præſtantibus. Ex iis Cardinalis Quirini utrobique perſonat nomen, & Literaria propemodum fatigatur Reſpublica.

Sacris in Urbe Cardinalium cœtibus ſcriptus eſt Concilii Tridentini, Epiſcoporum, & Regularium, Viſitationis Apoſtolicæ, & Diſciplinæ Regularium. Vivit adhuc otii inſolens, vitamque degit prorſus actuoſam. Anno 1750. Romam rediit gravia Venetæ Reipublicæ negotia curaturus.

Qui plura de hoc Cardinali velit intelligere, Commentarios adeat de rebus ſuis à ſe ipſo conſcriptos, & in tria volumina uſque adhuc digeſtos. Ex iis ſatis percipiet, quos claros viros habuerit, & ſtudiis eiſdem, & vetuſtate amicitiæ ſibi conjunctos; qua fuerit indole præditus, quos libros ediderit, qua ingenii vivacitate inferbuerit, qua pietate præſtiterit, qua demum prudentia, & dexteritate negotia ſibi delata peregerit.



Ni-



X.

NICOLAUS MARIA LERCARI Genuensis in Oppido Tabiæ a Albinganensis Diæcesis natus est die 9. Novembris anni 1675. Præstantes habuit Genitores, scilicet *Joannem Thomam*, & *Mariam Hieronymam Lombardi*. Idem Pater ejus tertio inter Conservatores Populi Romani receptus fuit. Hinc eadem Lercaria Familia nedum Genuensi pollet nobilitate, sed etiam Romana; Romam enim fere centum, & quinquaginta ab hinc annis Domicilium invexit.

a Taggia

Sub pia Parentum cura exacta pueritia, positoque literarum tyrocinio, ut ad validiorem ætatem adoleverat, undecim annos natus Ro-

A mam traducitur, atque anno 1686. Patribus Societatis Jesu in Collegio Romano instituendus traditur. Feliciter emenso studiorum curriculo, atque ex eodem Collegio eductus, Jurisprudentiæ addiscendæ plena pubertate naviter incubuit. Postquam vero in Romana Universitate utriusque Juris Lauream Doctoralem promeruerat, exeunte *Innocentii XII.* Pontificatu, die nempè 9. Julii anni 1699. Præsulum Romanæ Curiæ amplexus est institutum. Inter Abbreviatores majoris Præsidentiæ recep-

B tus fuit, & referendis in Signatura Gratiæ, & Justitię libellis integritatis, & doctrinæ laudem haud vulgarem est assequutus.

An-

A Anno 1701. à *Clemente XI.* Tudertinæ Civitati datus est Prætor; Beneventum indè traducitur. Ibi Justitiæ vindex, & Cultor pietatis gratiam potissimum adeptus est vigilantissimi illius Antistitis Cardinalis *Vincentii Mariæ Ursini*, qui postea ad Apostolatum evectus eum ad maxima quæque Urbis munia capessenda, idoneum censuit, ejusque fortunam amplificavit.

Sedente eodem *Clemente XI.* Camerini Civitatis iterum renunciatus est Prætor. Demum Romam revocatur, & Congregationi B admovetur, quæ Consultationibus præest totius Status Ecclesiastici. Gesto plures per menses hoc Magistratu aliis Status Ecclesiastici Civitatibus rursum præfuit Gubernator; primò scilicet Anconæ, deindè Centumcellarum, postea Perusii. Demum Romam iterum accersitur, & *XII. vir* dicitur in Tribunali Signaturæ Justitiæ.

Sed assumpto ad Apostolicum Ministerium *Benedicto XIII.*, memor paternæ benevolentiæ, studiique, quo illum jampridem fuerat C prosequutus, statim Pontificio Cubiculo eum præfecit. Biennio indè elapso, quum adhuc Lercarius Præsul esset, summæ rei præponitur, & à Secretis Status renunciatur. Titulo etiam insignitur Archiepiscopi Nazianzeni.

Sex demum ex actis mensibus Sacra Purpura decoratur hac die 9. Decembris 1726. In hac primi Administri suprema qualitate toto mansit *Benedicti* Pontificatu, atque Arcana Regni direxit prudentia, atque integritate singulari.

Titulum, quem tunc obtinuerat, *SS. Joannis & Pauli* dimisit die 11. Martii anni 1743., atque ad alterum transiit *S. Petri ad Vincula*. Quotquot Sac. Congregationes in Urbe recensentur, omnes eidem sunt collatæ; scilicet S. Officii, Rituum, Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Indulgentiarum, Boni Regiminis, Indicis Librorum prohibitorum, Avenionis, & Laureti, Artis Agrariæ, Immunitatis Ecclesiasticæ, Fabricæ Divi Petri, Confinium, Visitationis Apostolicæ, disciplinæ Regularium, Signaturæ Gratiæ, Examinis Episcoporum, Satisfactionis Missarum, Residentiæ Episcoporum, Sacræ Consultæ, Riparum, Viarum, Aquarum, Rerum Consistorialium, & Rerum Cœremonialium. Protector præterea datus fuit Canonicis Regularibus Lateranensibus, Collegio Germanico, Ungarico, aliisque in Urbe Locis piis.

Tot emensis laboribus, atque in tot curas distractus vivit adhuc Pauperum solator, pietati addictus, atque exemplar veteris disciplinæ.





X I.

MArcus Antonius Ansidæus Peruſinus die natus eſt prima Septembris anni 1671., optimos, patricioſque habuit genitores nempè *Joſephum* Patrem, Matrem vero *Dejaniram Eugenii*. Parentum cura, & vividum adoleſcentis ingenium nobili contentione certarunt, ut egregiam filius educationem nanciſceretur. Prima Literarum rudimenta in Patria perdidicit; mox 14. annos natus Romam mittitur, ut in Collegio Clementino ſeverioribus incumberet diſciplinis. Philoſophiæ præcepta, atque Arcana Theologiæ tam ſedulo inquiſivit, ut has graviſſimas facultates non ſummatim delibatas, ſed
A penitus introſpectas, atque exhauſtas habuerit. Impenſius tamen Juriſprudentiæ addiſcendæ animum adjecit. Hanc ſub optimo præceptore avidiſſime luſtravit.

Tanto auctus profectu anno 1694. in Patriam rediit, & Doctorali Laurea ornatus fuit. Cito tamen Romam reverſus eſt, ut Legali facultati peculiarem, & nunquam intermiſſam operam daret. Plures per annos apud optimos Cauſidicos, eximioſque Romanæ Curiæ Advocatos in hoc ſtudio verſatus eſt. Ne-
B dum vero illuſtrium Juriſconſultorum, ſed aliorum quorumcumque præſtantium virorum literarios conſeſſus frequentavit. Cum his ar-

ctiſ-

ctissimam iniit consuetudinem. Cæterum moribus gravis, & ad severitatem compositus, reliqua juventutis oblectamenta contempsit.

Ineunte *Clementis XI.* Pontificatu, anno nempè 1702., in Præsulum Ordinem cooptatur, & utriusque Signaturæ Referendarius renunciatur. Aliquot Locorum Piorum Regimini admotus fuit; & in Congregatione quæ Boni Regiminis nuncupatur, adnumeratus fuit ad suffragium ferendum inter Præsules huic cœtui addictos. Anno 1706. majora ab eo idem Pontifex expectans, illum ad munus Auditoris Signaturæ Justitiæ assumpsit, deinde anno 1712. ad alterum primi Locumtenentis Auditoris Cameræ evexit. Tanta assiduitate, tantoque integritatis ardore labores sibi impendentes sustinuit, ut lethali infirmitate correptus ad ultimum pene vitæ discrimen adductus fuerit. Ubi vero ejus valetudo confirmata fuit, pristinum vitæ genus resumpsit, magisque in Romana Curia existimatione crevit, & nominis celebritate.

Anno 1716. *XII. Vir* in Tribunali Signaturæ Gratiæ renunciatur, & Secretarius eligitur Sacræ Congregationis Concilii, nec multo post Canonicus etiam dicitur Vaticanæ Basilicæ. Omnibus præsens, omnia sedulo exequebatur. Diuturno per id temporis morbo angebatur Dominicus *de Zaulis* Archiepiscopus Theodosiæ, & Sac. Romanæ Inquisitionis Assessor. Specie quidem honoris anno 1717. ægrotanti illi socius seu adiutor datus est Ansidæus. Revera tamen eximium ipse munus explebat, & solus ad conficienda negocia adhibebatur. Anno vero 1722. die prima Martii è vivis erepto eodem *Dominico de Zaulis* Magistratum solus accepit, multosque per annos laudabiliter exercuit.

Benedictus XIII. eximius viri admirator titulum illi contulit Archiepiscopi Damiatensis, deinde anno 1726. die 9. Decembris Episcopum eum dixit Perusinum, & S. R. E. Cardinalem. Biennio tamen ipsum in pectore servavit. Demum die 30. Aprilis anni 1728. bonorum omnium plausu illum evulgavit, tituloque decoravit Presbyterali *S. Augustini*. Præterea Congregationibus adjecit Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, S. Officii, Examinis Episcoporum, Indulgentiarum, & Indicis Librorum prohibitorum.

Non priusquam Cardinalis evulgaretur, ad Patriæ regendum Episcopatum accessit. Huc statim se contulit maximo suorum Civium exceptus desiderio, & lætitia. Constantiam, morumque integritatem, quam Romæ exhibuerat, Patriæ etiam ostendit. Visitationem explevit, Cathedralis suæ imminutos census ampliavit, eamdemque ornamentis, sacrisque suppellectilibus augere instituit. Episcopale Seminarium ornare similiter, & affabre instruere cœpit. Mores Clericorum correxit. Pronus ad rigorem, in Justitia administranda facile irascebatur. Inter supplicantium preces plus æquo turbari videbatur. Hoc erat ex ejus corporis structura, & ex ingenito, quo flagrabat, criminum ulciscendorum ardore. Cæterum, ut Romæ diù perstitit Justitiæ vindex & assertor, sic Patriæ utilis fuit; & valde utilior fuisset, nisi tam cito ereptus fuisset.

Quippe Romam reversus, ut debita Romano Pontifici exhiberet officia, pertinaci morbo correptus interiit die 14. Februarii anni 1730. Corpus ejus solemni ritu elatum fuit in Ecclesia sua Titulari S. Augustini. Atque adstante Summo Pontifice, & Sacro Purpuratorum Patrum Collegio, justis exequialibus expiatum est. Ibi etiam humatum fuit cum sequenti Elogio.

D. O. M.

MARCO ANTONIO TITVLI S. AVGVSTINI
S. R. E. PRESB. CARD. ANSIDÆO
PATRICIO ET EPISCOPO PERVSINO
PIETATIS SAPIENTIÆ ET IUSTITIÆ LAVDE
COMMENDATISSIMO
KAL. SEPTEMBRIS MDCLXXI. NATO
XVI. KAL. MARTII MDCCXXX. VITA FVNCTO
FRATRI SVO AMANTISSIMO
PHILIPPVS COMES ANSIDÆVS M. P.

Perusiæ laudes ejus recensuit eleganti oratione *Carolus Bruschius*, quam Typis dedit anno 1731., & ejus vitæ epitomen adjecit.



XII.

PROSPER LAVRENTIVS LAMBERTINIVS Bononienſis pietate, & doctrina clarus, maximus vero Pontificia Dignitate, ad quam ejus adnitentibus meritis poſt maximos Eccleſiæ Magiſtratus ſtrenuè geſtos evectus eſt, die natus eſt 31. Martii anni 1675. Pervetus, ac Patricia Lambertinia Familia à remotiſſimis uſque temporibus egregios pace, belloque viros edidit, quos inter *Eganum* Seniorem, *Aldraghetum*, *Albertum*, alioſque, qui ob eximia Regibus Aragonenſibus ſervitia exhibita, plura in Regno Neapolitano Feuda poſſederunt; præſertim vero antiquiſſimum extat in Agro Bononienſi *Podii Rhenatici* Feudum, quod

A jamdiu à *Guidone* Aldragheti filio acquiſitum, in hac præclara Gente adhuc exiſtit. Alios vel ſublimioribus geſtis Magiſtratibus, vel latis ſplendidiſſimis Legationibus præſtantes viros, authores referunt, qui de clarioribus Bononiæ Familiis ſcripſerunt, præſertim vero alterum *Eganum* Guidonis filium, qui eo dignitatis, & opinionis in Patria ſuccreverat, ut an. 1383. ampliſſimum *Conſervatoris Patriæ* Titulum ab Antianis, & Conſulibus Bononienſibus fuerit aſſequutus. Nec ſilentio prætereundi ſunt tot

B piiſſimi Epiſcopi, tot celebres Juriſconſulti, editis in vulgus voluminibus commemorati. Præſertim vero nonnulli ſanctitate perſpicui,

& cæ-

& cælitum honoribus consecrati, quos inter afsulget *Beata Joanna Lambertina Sanctæ Catharinæ Bononiensis* sodalis, ejusque virtutum æmula præstantissima (a). His eductus majoribus *Prosper Laurentius* in lucem prodiit dicto die 31. Martii anni 1675. Patrem habuit *Marcellum*, Matrem vero *Lucretiam Bulgarini* lectissimam Matronam, quæ mortuo eodem Marcello iterum nuptui data fuit Comiti *Aloysio de Bentivolis*. Ut primum per ætatem licuit, *Paulo Pasio* viro erudito, deinde *Sancti Stancario* Sacerdoti eximio instituendus traditur. Tanta erat in puero vis ingenii, tanta addiscendum, & ad percontandum alacritas, ut nedum cæteris sibi coævis anteiverit, sed & Magistrum ipsum sui admiratorem habuerit. *Stancarius* optimus ille Sacerdos hunc magnæ spei adolescentem cæteris monstrabat, & quasi præscius esset venturi, eum Patriæ suæ futurum Antistitem & Cardinalatus honore, & maxima quacumque alia Ecclesiæ Dignitate augendum fore prænunciabat. Hinc Gentiles sui Romam transmittendum adolescentem decreverunt.

Anno 1688. Romam advenit, & in Collegio Clementino à Clericis Regularibus Congregationis de Somasca exceptus est. Hìc scientias omnes avidissimè perquisivit. Rethoricam, Philosophiam, & Theologiam funditus introspexit; dum in hoc Collegio morabatur ad *Innocentium XII.* Pont. Maximum adeo nitidam habuit Orationem, eamque egit adeo scitè, atque eleganter, ut pius ille Pontifex admiratione perculsus, omnia tunc in Agro Bononiensi vacantia Sacerdotia illi contulerit; Ea tamen vix summam æquabant centum aureorum.

Adolescentiam egressus, è Collegio Clementino eductus est. Tunc ille literarum studio adeo intentum appulit animum, ut quidquid bonarum artium, quidquid scientiarum fuit, acriter pervaserit. Præsertim verò Jurisprudentiæ tum civili, tum Canonicæ assiduè incubuit. Hoc tamen Canonicum studium cum Theologicis disciplinis etiam conjunxit. Theologicam, inquam, disciplinam maximè coluit, non tamen illam contentiosam, & Methaphysicis distortam rationibus, quæ Scholastica nuncupatur, sed eam præcipuè elegantiorem, & ad speciem eruditæ vetustatis expressam, quę à Dialecticorum dumetis semota, ac discreta, ad liberioris campi spatia revocatur, & Dei verbo, nimirum Scripturæ, traditionis, Conciliorum, Pontificum, aliorumque veterum Patrum nititur Testimoniis. Ad hàs facultates assequendas, nedum clarissimis caussidicis, nedum eruditorum hominum colloquio, ac familiaritate usus est, sed optimos ipse Libros volutabat assiduè; & sicuti ferè nemo verè doctus emergit, nisi ex se ipso, & sine Doctore maximè proficiat, & αὐτοδίδακτος evadat; ita ipse sui ipsius Magister, solidos in Literis dies collocabat, & sponte sua abditos eruditionis fontes inquirebat.

Sic doctissimus, & omnis Minervæ homo haberi cœpit. Munus primum Advocati Consistorialis uni ex nobilibus Bononiensibus reservatum obtinuit, indè Fidei Promotor renunciatus est. Tunc in maximis Ecclesiæ negociis cœpit adhiberi. Tanta præterea pietate nituit, morumque integritate, tamque enixè ad Ecclesiastica studia vigilias suas accomodavit, ut *Clemens XI.* viri admirator eximius, sæpè eum de gravissimis controversiis consuluerit. Ineunte anno 1712. Canonicatum obtinuit in Basilica Vaticana, qui nuper per Promotionem *Annibalis* Cardinalis *Albani* vacabat. Mox die 11. Maii anni 1713. Ordini Præsulum Romanæ Curiæ adscribitur. Tanta apud Pontificem pollebat *Lambertinius* opinione virtutis, ut raro quidem exemplo eum vix inter Præsules adscriptum, ad ferendum suffragium in pluribus, ac gravioribus Urbis Magistratibus assumpserit. Retentis quippè Advocati Consistorialis, & Promotoris Fidei muneribus, statim Consultor dicitur Sancti Officii, & Congregationi admovetur Sacrorum Rituum, Immunitatis Ecclesiasticæ, & Residentiæ Episcoporum. XII. vir etiam assumptus est in Tribunali Signaturæ Gratiæ. Tandem ab eodem *Clemente XI.* cum retentione Officii Promotoris Fidei, aliorumque munerum sibi impendentium, à Secretis est dictus amplissimæ Congregationis Concilii.

Maximis ille negociis distentus, actuosam agebat vitam. Ejus opera certatim utebantur viri eruditi, atque Urbis magnates; doctissimas in dies lucubrationes edebat pro causarum directione, præsertim vero pro enodandis in iisdem amplissimis Congregationibus gravioribus Fidei controversiis, & pro Servorum Dei Beatificatione, ac Canonizatione. Tamquam Advocatus Consistorialis pluries etiam fuit *Rector* publicæ Romanæ Universitatis, atque in ea scientias omnes, & liberales artes provexit. Ut paulisper à laboribus quiesceret, aliquot Romanæ Curiæ Præsules, aliosque homines eruditione præstantes ad eum convenientes, sub vesperum excipiebat humanitate incredibili. Vario sermone primam noctem trahebat. Tunc ille non in luce modo, atque in oculis hominum magnus, sed intus, domique præstantior visus est. Multiplici pollebat Sacrorum Canonum peritia, atque Ecclesiasticæ Historiæ, pariterque Dogmaticæ, ac Polemicæ Theologiæ usum promebat assiduum. Omnia memoria tenebat non præsentia, non domestica solum, sed etiam vetera, atque externa. Quandoque etiam salibus, ac venustate jocorum verba condiebat tam copiosè, ac nitidè, ut ejus sermone omnes cupidè fruerentur. Sic ille procul ab ostentatione, nedum lepore, ac comitate affluebat, sed

etiam

(a) Hæc, aliaque plura, quæ dicenda forent de nobilitate Lambertinię Familiæ, excepta sunt ex wading. Annal. Fratr. *Minor* Tom. X. pag. 184. §. 20. Ex Dulfio de Familiis Bononiensibus ex *Majna* Bononia perlustrata.

etiam severam fovebat morum integritatem, omnigenamque doctrinam.

Hanc vitæ æquabilitatem servavit in aliis maximis Ecclesiæ dignitatibus, atque etiam in Apostolatu, in quo cum incredibiles labores sustineat in publicis, & privatis, quibus Deo vacare solet, orationibus, in audiendis indiscriminatim singulorum querelis, dirigendisque Ecclesiasticæ Ditionis negociis, ac, quod gravius est, in edendis pro Ecclesiæ incolumitate, ac decore tot egregiis Voluminibus sua docta Minerva exaratis; tamen laboriosissimus Vir perpetuâ agendi, & studendi vicissitudine delectatur, laborumque molestias, novis depellit laboribus, atque ex illorum varietate recreatur. Sed hæc ad Apostolatum ejus spectant. Privatam ejus vitam persequimur, atque ita æquabilem se præbens sequentibus etiam placuit Pontificibus.

Ab *Innocentio XIII.* anno 1722. Canonista renunciatus est Sac. Pœnitentiariæ. *Benedictus XIII.* Archiepiscopum Theodosiæ primo eum dixit, deindè hac solemni die 9. Decembris anni 1726. Cardinalem creavit. Diù tamen eum in pectore, ut ajunt, retinuit, ac nonnisi anno 1728. evulgavit. Hoc eo consilio factum est, ut ejus opera diutius Pontifex uteretur. In Magistratibus enim, quos tamquam Præsul gerebat, assidue adstabat Pontifici, ejusque prudentiâ, ac doctrinâ graviora Pontificatus negotia dirigebat. Hinc mense Januario anni 1727. licet eum admoverit ad Episcopatum Anconæ, tamen eosdem gravissimos Magistratus retinere jussit. In celebri Concilio Romano sæpè eum consuluit de maximis Ecclesiasticæ disciplinæ controversiis. Graviores etiam, quæ cum Regibus, ac Principibus in dies obveniebant, contentiones, ad ejus prudentiæ tramites composuit. Indulsit Pontifex, ut paulisper à tantis abstineret negotiis, & ad suum se conferret Anconæ Episcopatum; sæpedicta tamen officia ipsi tamquam Præsuli Romanæ Curiæ incumbentia semper retinere jussit.

Ille, ut in votis habebat, alacer suam adiit Ecclesiam, multaque, ac grandia gessit in illius Diœcesis utilitatem; & mirabile dictu est, quod licet certò sciret se Cardinalem esse juxta Papæ sententiam, nihilque sibi deesse, quàm ipsius Papæ in posterum faciendam evulgationem, se tamen sejungeret à conspectu Pontificis senis, & fractæ valetudinis, cui si mori contigisset, omnem fortasse spem adepti Cardinalatus Lambertinius amisisset; sed è dicta sua Diœcesi reversus, tandem die 30. Aprilis ejusdem anni 1728. Cardinalis evulgatus est, & Titulo decoratus *S. Crucis in Hierusalem*. Congregationibus etiam est auctus Sancti Officii, Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Sacrorum Rituum, & disciplinæ Regularium.

Mortuo eodem Pontifice, Comitiis adstitit Vaticanis pro electione *Clementis XII.* à quo vix ad Pontificatum assumpto, ex Ecclesia Anconitana, ad Bononiæ ejus Patriæ Archiepiscopatum translatus est die 30. Aprilis anni 1731. Ibi non semel Diœcesim lustravit. Quos secum adducebat Visitationis operarios, suis ipse impendiis alebat, remissis quibuscumque speciebus Annonariis, seu Tributis, quod genus *procurationes* vocant. Diffluentes populi, præsertim vero Ecclesiasticorum mores correxit. Ipse Gregem suum Evangelico pavit eloquio; Ecclesiasticam disciplinam saluberrimis editis edictis instauravit. Hæc autem edicta, doctæque Institutiones, pluries Bononiæ, & alibi cusæ, & recusæ, atque in duo Volumina digestæ ab aliis Episcopis avidè exceptæ sunt veluti exemplar Pastoralis sollicitudinis. In egenos pronus, & liberalis, aditu facilis fuit, artium literarumque propagator. Ut eas promoveret, & Religionem firmaret, Seminarii domum nova data elegantiori forma ab imo restituit; huic vero optimos præposuit Ecclesiasticos, idoneosque reditus attribuit, quibusdam suppressis Sacerdotiis, locisque piis quasi vetustate deletis, aut desuetudine obliteratis. Nonnullas alias Religiosas Familias, novosque verbi Dei operatores in Urbem invexit. Nova Oratoria aperiri, novas Ecclesias extrui concessit, collatisque subsidiis amplificavit. Ecclesiam *Sancti Petri* Metropolitanam amplissimo ædificio, & nobili fronte absolvendam assumpsit, diruta interim, sublataque spaciosissima aliàs præcurrenti porticu, quam prius nobilissimo fornice instauraverat, & commodo Populi itineri adaptaverat. Ædes *S. Joannis del Mercato* ad Confratres *S. Mariæ della Morte* spectantes, veteremque ædiculam *la Croce de Santi* nuncupatam propè Templum S. Pauli Barnabitarum elegantius reparavit, atque omnia fermè Oratoria, & Ecclesiæ, promovente, vel opem ferente eodem Cardinali Archiepiscopo, ad meliorem formam sunt excitatæ, vel picturis nobilibus ornatæ, vel sacris supellectilibus instructæ.

Sacras quoque Pœnitentiales declmationes, quas *Missiones* vocant, passim in Urbe, atque in tota Diœcesi haberi voluit, quas inter celebres fuerunt illæ, quas absolvit *P. Leonardus à Portu Mauritio* Ligur homo concionator eximius, Deique cultus studiosus, & ardens propagator; humilitate præterea, carnis maceratione, vitæque austeritate in sua Minorum Reformatorum S. Francisci Familia, atque in tota penè Italia verè singularis.

Civium etiam suorum commodo, & utilitatibus studuit; vias omnes internas Civitatis reparari curavit, quod Anconæ prius effecerat, parvumque Palatium nuncupatum *del Sasso* suo ære extruxit, Bononiensium Antistitum Villa, eorumque deliciæ, & solatium.

Has inter sollicitudines, perpetuosque labores rigidus exactor temporis, eruditissimos libros in lucem protulit; nempè memoratam *Collectionem Notificationum*, *Edictorum*, & *Instructionum Pastoralium* in duo Volumina dis-

dispertitam, & aliud eximium opus = *De Servorum Dei Beatificatione*, *& Beatorum Canonizatione* = quod opus in quatuor magna Volumina divisum, quidquid ab aliis in hac re parcè, & perfunctoriè dictum fuerat, uberius complectitur, gravissimasque quæstiones in universa hac materia passim propositas, eleganti servata methodo, eximiaque doctrina ab ipsis sacræ eruditionis fontibus petita, disponit, ac dissolvit. Librum etiam inchoavit, quem ad Apostolatum emissus auxit, & absolvit = de Synodo Diœcesana =, in quo Episcopi ad suas ritè, & laudabiliter Synodos celebrandas salubriter excitantur.

Hæc licet mirifica, & maxima, parva tamen sunt, si cum iis conferantur, quæ in

A commune Ecclesiæ bonum, ad Apostolatum evectus, quotidiè gessit, atque in dies promit. Decem quum rexisset annis Ecclesiam Bononiensem, mortuo *Clemente XII.*, ad Vaticana accessit Comitia, & post diutinam sex mensium ipsorum Comitiorum fluctuationem, subita Patrum consensione, & quasi repente de Cœlo datus, ipse Summus Pontifex renunciatus est die 17. Augusti anni 1740. Vivat longo ævo ad Ecclesiæ universæ præsidium, & decus; & inter seros Nepotes exoriatur ali-
B quis, qui Paternas sollicitudines, qui vigilias, qui egregia scripta, qui maxima demum ejus gesta, plus famæ fortasse habitura, quàm fidei, scitè exponat, & dignè referat.



FRAN-



XIII.

FRANCISCUS ANTONIUS FINIUS Minervienſis humilibus ortus eſt Parentibus die 6. Maii anni 1669. Ut primum per ætatem licuit, Pater ejus omne adhibuit ſtudium, ut literarum rudimentis puer imbueretur. Gravinam idcirco eum traduxit, ibique Clericali tonſura initiatus fuit à Præſule de *Cavaleriis* illius Urbis Epiſcopo. Pubes deinde factus *majores Eccleſiæ gradus eſt aſſequutus*, ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem aſcendit. Studiis interea ſolertem navavit operam, & in Theologica facultate non parum profecit. Idcirco factum eſt, ut literis commendatus ejuſdem Epiſcopi Gravinenſis, ſervitio exceptus fuerit *Cardinalis Urſini* Archiepiſcopi Beneventani. Tunc prima illi affulſit ſpes, fortunæ muneribus rem ſuam amplificandi. Diligentiâ quippè ſingulari Dominum ſuum coluit, ac dilexit, ejuſque ſtudiorum adjutor fuit.

Parvo interjecto tempore Eccleſiæ Metropolitanæ Manſionarius dicitur, mox Canonicus, indè inter dignitates aſſumitur cum titulo Primicerii, demum in eadem Archiepiſcopali Eccleſia Archipresbyter renunciatur.

Officiis ille ſuis adeo ſibi Cardinalis animum devinxerat, ut ad maxima quæque ſuæ vaſtæ Diœceſeos obeunda munera idoneus ſit habitus. Etenim in eadem Diœceſi Viſitator eſt

fa-

factus, & Vicarius, seu Præses omnibus Christi-Monialium Cœnobiis. Præfectura insuper Cubiculi ipsius Cardinalis ornatus fuit.

Tot igitur auctus muneribus, maximâ apud Cardinalem Ursinum authoritate pollebat, & gratia. Hinc ad ipsius Cardinalis preces anno 1722. ab *Innocentio XIII.* Episcopatui Abellinensi admovetur, qui inter suffraganeos Metropolitanæ Beneventanæ recensetur. Gregem sibi commissum biennio rexit vigilantia, atque integritate Pastorali.

Sed anno 1724. evecto ad Petri Cathedram eodem Cardinali Ursino sub nomine *Benedicti XIII.*, statim ille Romam perrexit, ut novi Pontificis ante pedes suppliciter procumberet.

Clementiâ, ut solebat, & comitate incredibili illum excepit *Benedictus XIII.* Hinc *Finius* Roma discedere, aut à Pontificis latere divelli haud quaquam est passus. Vacuus honoribus, & dignitatibus, in Palatio tamen Apostolico ad tempus permansit; sed assumpto ad supremam dignitatem primi Status Administri Præsule *Lercario*, hunc *Finius* excepit in officio Præfecti Cubiculo Apostolico. Archiepiscopus etiam Damascenus dictus est. Demum hac solemni die 9. Decembris anni 1726. inter Presbyteros Cardinales relatus est. Diu tamen in pectore servatus fuit, & nonnisi evulgatus, quàm die 26. Januarii anni 1728. Titulum tunc nactus est *S. Mariæ in Via*; & Congregationes S. Officii Episcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Immunitatis Ecclesiasticæ, Sacrorum Rituum, Indulgentiarum, Examinis Episcoporum, Residentiæ item Episcoporum, Signaturæ Gratiæ, satisfactionis Missarum, & Rerum Consistorialium.

Mortuo Præsule *Pitonio*, qui Papæ erat à Cognitionibus, illi *Finius* suffectus fuit in eodem Assessoris, seu ut vulgo dicunt, Auditoris officio. In hoc arduo Magistratu toto mansit tempore Pontificatus *Benedicti XIII.* Eo demum è vivis erepto, occasione, qua magnæ in Urbe excitatæ sunt turbæ in eos, qui Pontificis facilitate abusi fuerant, non integra sui nominis mansit fama, & multi de eo obloquebantur; nunquam tamen culpabilis est repertus. Et in Congregatione, quam *Clemens XII.* postmodum ad Apostolatum evectus indixerat, ut in eos animadverteret, qui tali nota afficiebantur, ille innocuus emersit.

Bis Vaticanis adfuit Comitiis pro electione nempè ejusdem *Clementis XII.*, & Benedicti XIV. Hoc demum ad Apostolatum assumpto Neapolim se recepit, atque ab Aulæ vicissitudinibus se subducens, vitam verè piam transegit. Misericordia in Pauperes usus est singulari, & ut ad illam, undè venerat, paupertatem rediret, omnia Ecclesiæ Sacerdotia, quæ liberalitate Pontificis obtinuerat, liberè in manibus Papæ dimisit, actique temporis memoriam moribus obruit integerrimis.

Dimisso titulo, quem obtinuerat *S. Mariæ in Via*, ad alium gradum fecit *S. Sixti*, indè ad illum *S. Petri ad Vincula*, & demum ad illum *S. Mariæ Transtyberim*. Obiit Neapoli die 5. Aprilis anni 1743., tumulatusque fuit in Ecclesia *Jesus Novi* nuncupata.





XIV.

FRATER LAURENTIUS COZZA in Oppido natus est *S. Laurentii* propè Volsiniensem lacum, quod Oppidum in Diœcesi *Montis Falisci* situm est in Provincia Patrimonii. Honestos Parentes habuit, nempè *Laurentium*, & *Ludovicam Valerii*; ex quibus in lucem editus est die 31. Martii anni 1654. Quum lustrali Sacri Baptismatis aqua ablutus fuit, *Simonis* nomen accepit: septennis Patrem amisit, Matrem vero, quum annum ageret decimum tertium, & tamen Consanguineorum curâ Christianis moribus, & Literarum rudimentis imbutus fuit.

A Decimum quintum natus annum, ipsis invitis Consanguineis, Ordini Sancti Francisci Minorum Observantium adscribi voluit. In Cœnobio receptus fuit Sanctissimæ Trinitatis Urbis veteris [a], ibique expleto probationis anno, Votis illius Instituti sese obstrinxit. Patriæ vero, & extincti Patris nomen assumpsit, vocatusque fuit *Frater Laurentius à S. Laurentio*. Anno 1671. ad Cœnobium traducitur *Caprarolæ* in eadem Provincia Patrimonii. Hic studiis incubuit Philosophiæ sub disciplina *Patris Alexandri* à Magliano. Et quia non levia B idoneitatis, atque ingenii specimina ediderat, in-

a Orvieto

Romam mittitur, & in celebri *Aræ Cæli* Cœnobio commoratus est. Ibi Philosophiæ impensius incubuit, Theologiam hausit, reliquisque pietatis officiis impensam adeo navavit operam, ut Confratribus suis exemplo esset, & admirationi.

Anno 1676. Neapolim traducitur, & tradendæ ipse Philosophiæ præficitur in Cœnobio *S. Didaci* ejusdem Neapolitanæ Civitatis. Triennio laudabiliter exacto, & Sacerdos dictus Viterbium mittitur, ut Consodales suos Theologiam doceret. Indè Romam revocatur in eodem munere Professoris Theologi, aliisque muneribus adhibetur in ipso *Aræ Cæli* Cœnobio. Ut vero iis evenire solet, qui moribus, aut doctrina cæteris antecellunt, nonnullorum in se invidiam, atque æmulationem concitaverat. Et quo magis apud superiores illius Ordinis Administros, & apud ipsum Cardinalem *Alderanum Cibo* totius Instituti Protectorem existimatione, & celebritate crescebat, eo magis cæterorum livorem con trahebat. Specie idcirco honoris, ex Urbe dimittitur, & Præses allegatur Cœnobii Viterbiensis. Consuetudinem ibi, atque amicitiam instituit cum Cardinali *Urbano Sacchetto* illius Civitatis Episcopo. Ad ejus excipiendas Confessiones assumitur, & titulo ejus Theologi decoratur, sic inter Familiares receptus hujus Cardinalis, eum sæpè Romam redeuntem sequutus est.

Romam redux *Frater Laurentius* anno 1694. duorum Cardinalium fretus authoritate, & Patrocinio, cæterorum facile invidiam superavit. In Comitiis sui Ordinis Definitor Provinciæ Romanæ electus est. Ipse Superior Generalis Visitatorem eum allegavit in Provinciam Bosniæ, atque in alteram Dalmatiæ, ut diffluentem disciplinam erigeret, & simultates inter sodales obortas extingueret.

Paruit ille, arduamque Provinciam prudentiâ, comitate, & mansuetudine feliciter absolvit. Rediit anno 1696., animoque prorsus tranquillo ad intermissa Sacræ Theologiæ studia se contulit; sed anno vix elapso, iterum Superioris Generalis imperio Visitator eligitur Provinciæ Mediolanensis. Hanc eâdem celeri sedulitate, eâdem penitus laude, plausuque lustravit, mores emendavit, Comitia Provincialia coegit, & Gubernio uniuscujusque Cœnobii viros admovit pietate, & doctrina præstantes.

Rursum Romam redux Rector, seu Præses dicitur præcipui hujus Cœnobii de *Ara Cæli*. Triennio sui Magistratus exacto, otium resumsit Literarium. Tunc librum exaravit, atque edidit sub titulo = Vindiciæ Areopagiticæ =. In eo, quem *Clementi XI.* nuncupavit, Libros *Divi Dionisii Areopagitæ* defendit. Consultor tunc assumptus fuit Sacræ Indicis Congregationis. Nec multo post alium evulgavit Librum, cui Titulum adjecit = *Commentaria Historico-Dogmatica ad Librum de Hæresibus Sancti Augustini* =.

A In Comitiis Provincialibus anni 1704. cunctis consodalium suffragiis Præses totius Romanæ Provinciæ eligitur. Novum laudabiliter gessit Magistratum. Pedes Provinciam lustravit; malos usus evellit, atque irritamenta malorum. Romam reversus sibi domicilium elegit in Cœnobio S. Bartholomæi in Insula, & à *Clemente XI.* eximio sui admiratore, *Qualificator*, ut dicunt, S. Officii renunciatus est. Tanta hinc apud ejus Confratres extimatione creverat, ut ubi arduum aliquod emergebat negocium, ibi *Frater Laurentius* admoveretur.

B Superior totius Ordinis Generalis, per id temporis maximè angebatur ex epistolis, quæ sibi ex Hierusalem afferebantur. Certior ex iis factus, Confratres illi Cœnobio adscriptos, vehementer inter se dissidere, & Præsidem illius Familiæ per immane ausum expulisse, nil sibi antiquius proposuerat, quàm Præsidem huic Gubernio admovere gravem, irreprehensibilem, severum. In Fratrem Laurentium oculos, mentemque injecerat; quem C tamen tantis jamdiu decoratum muneribus, novo insuper Ordinis Protectori Cardinali *Spada* acceptissimum, & ab ipso Romano Pontifice maximi habitum, ab hoc inopportuno, molestissimoque labore aversum putabat. Ut vero Fratri *Laurentio* consilium aperuit, dicto audientem invenit, ejusque imperio prorsus obtemperantem. Nulla itaque interjecta mora Custos allegatur Sacri Templi, & Præses Cœnobii Dominici sepulcri Hierusalem. D Impavidus longinquum iter arripuit. Et ad Sacra quum pervenisset loca, jacentem prorsus disciplinam instauravit, & ut Religiosos viros decebat, præsertim apud Barbaros degentes, maximam morum severitatem invexit. Dissidia etiam, quæ Orthodoxos Populos Montem Libanum in Syria incolentes divexabant, feliciter extinxit. Specifico Vicarii Apostolici auctus munere *Jacobum Petrum* Anthiochenum Patriarcham à Maronitis dignitate, & Jurisdictione exutum, Sedi suæ restituit. Et quæ E universæ Maronitarum Nationis ruina impendebat, & funestum, quod timebatur Schisma, ejus pietate, & prudentia repulsum est.

Clarius tamen insignis ejus pietatis specimen anno 1713. Romano exhibuit Pontifici. Tentatam pridem, & à *Clemente XI.* strenue provectam conjunctionem Patriarchæ Græci Alexandrini cum Romana Ecclesia tunc tandem Frater Laurentius absolvit. *Samuel Capasulischius* ea dignitate Schismaticam regebat Ecclesiam. A Fratre *Laurentio* de errore, F cui inhærebat instructus, & ad veritatem impulsus, ex animo mutata mente pristinæ voluntatis labes exuit, & aversatus est. Orthodoxam amplexus est fidem. Legatum Romam mittit *Joannem Josephum Mozet* ex eodem Minorum Observantium Ordine, ut actum Summo Pontifici confirmans, debitam illi obedientiam polliceatur, tamquam supremo Catholicæ Ecclesiæ Præsidi, & Christi in Terris vi-

vices obeunti. Dignitatis præterea Patriarchalis confirmationem cum suis insignibus supplex exoret. *Clemens* adhibito selectorum Cardinalium, pluriumque Theologorum consilio Apostolico Senatui negotium aperit; Patriarcham Alexandrinum in sinum Catholicæ Ecclesiæ convolantem libens excipit, eique dignitatis confirmationem, ac Pallium insigne Pastoralis potestatis impertit.

Plura passus discrimina, majora tamen pro Fidei incremento aggressus sexennium exegerat. Eximiis demum auctus meritis, maximeque commendatus à Sacra Congregatione de Propaganda Fide Romam revocatur. Anno 1715. Optatum remeavit iter, Romam advenit die 2. Augusti 1715. Ab ipso Summo Pontifice maximis auctus honoribus, & ex Indulto Apostolico *Vice-Commissarius* Generalis totius Ordinis *Observantium* assumptus. Sic probatus a suis, & Papæ, & Sacris Congregationibus acceptissimus toto permansit tempore Pontificatus *Clementis XI.* Quo è vivis sublato, atque anno 1721. ad Apostolatum assumpto *Innocentio XIII.* non minorem apud ipsum existimationem est assequutus. Familiaritatem quippe cum eo contraxerat usque ab anno 1694., quum Rector Cœnobii Viterbiensis admotus fuerat, quo tempore Gubernium simul illius Civitatis Præsul *Michael Angelus de Comitibus* solerter administrabat. Eo vero sub nomine *Innocentii XIII.* ad Summi Pontificatus fastigium evecto, eamdem prorsus tutelam, idemquePatrocinium Fratri *Laurentio* exhibuerat. Titulis, & Magistratibus, quibus ille ornabatur novum ex integro adjecit; eumque *Examinatorem Cleri Romani* renunciavit. Comitia præterea generalia totius Ordinis viginti ferè per annos Romæ intermissa indixit. Iis præsentiam suam, authoritatemque se adjecturum fore Pontifex declaravit. Iisque demum Romæ coactis anno 1723., idem *Fr. Laurentius* Superior eligitur Generalis totius Ordinis. Parvo, quo supervixit, tempore *Innocentius XIII.* frequens hujus præsentia usus est. Eumdem vero morientem sequenti anno 1724. extremis *Frater Laurentius* juvit officiis, & salubres de rebus Divinis sermones usque ad illius mortem iteravit.

Eodem anno 1724. successerat in Petri Cathedra *Benedictus XIII.* Fratris *Laurentii* existimator haud minor. Statuerat idem Summus Pontifex hunc sibi acceptissimum virum ad Sacræ Purpuræ honorem promovere. Retrahebatur tamen, quod adversa *Fr. Laurentius* detineretur valetudine; fractusque ætate, ac laboribus parum supervicturus videbatur. Sed amore, atque viri percitus existimatione, ubi prima se tulit occasio, nempè die 9. Decembris anni 1726. eum inter Presbyteros Cardinales retulit sub Titulo *S. Mariæ de Ara-Cœli* Sacris præterea Congregationibus illum adjecit S. Officii, Episcoporum, & Regularium, Indicis Librorum prohibitorum, Indulgentiarum, Rituum, & Propagandæ Fidei. Sed pluribus pressus infirmitatibus, parum adesse potuit publicis iis muneribus, quæ nova dignitas afferebat, ac fere numquam domo prodiit. In Cœnobio S. Bartholomæi in Insula, ubi moram trahebat privata sua Bibliotheca delectabatur, & nonnullorum ejus consodalium familiaritate. Plura etiam antiqua numismata collegerat, selecta quidem, & rara, eaque magno studio Hierusalem, aliasque Orientis Civitates longis, & difficillimis itineribus invisens conquisierat.

Demum ætate, curisque consumptus obiit die 18. Januarii 1729. In ipsa Ecclesia S. Bartholomæi in Insula ejus Cadaver solemni pompa elatum fuit, funebrique adfuit idem Summus Pontifex *Benedictus XIII.* Tumulo in eadem Ecclesia erecto insequens adjecta est Inscriptio.

D. O. M.

LAVRENTIO
TITVLI SANCTÆ MARIÆ DE ARA CÆLI
PRESBYTERO CARDINALI COZZA
ORDINIS MINORVM
EXIMIÆ RELIGIONIS
DOCTRINÆ AC PRVDENTIÆ VIRO
OB REM PRO CATHOLICA ECCLESIA
IN ORIENTE PRÆCLARE GESTAM
AC APOST. SEDIS IVRA VINDICATA
IN VRBE CLARO
DE LITERARIA REPVBLICA
PLVRIMIS S. ERVDITIONIS
VOLVMINIBVS EDITIS
OPTIME MERITO
MORVM SVAVITATE AC RERVM
AGENDARVM PERITIA
OMNIBVS ACCEPTO
QVI IN FRANCISCANO SODALITIO
PER OMNES HONORVM GRADVS PROBATVS
PLVRIBVS MAGISTRATIBVS
AC HIEROSOLYMITANA PRÆFECTVRA
MAGNA CVM LAVDE FVNCTVS
A CLEMENTE XI.
PONTIFICE MAXIMO
CISMONTANÆ FRATRVM
SVORVM FAMILIÆ
REGIMINI ADMOTVS
IN VNIVERSIS
DEINDE SVI ORDINIS COMITIIS
ROMÆ ANNO MDCCXXIII. HABITIS
PRÆSIDENTE INNOCENTIO XIII. SVMM.P.
SVPREMVS TOTIVS FRANCISCANI COETVS
MODERATOR RENVNCIATVS
DEMVM A BENEDICTO XIII. P. M.
INTER S. R. E. CARDINALES
OMNIVM BONORVM PLAVSV COOPTATVS
MOX MAGNÆ SPEI EREPTVS
PVBLICO FERE LVCTV
LXXV. ANN. NATVS DIEM CLAVSIT
EXTREMVM
AN. CHRISTI MDCCXXIX.
ALEXANDER FALCONIERIVS
EX TESTAM. FIDVCIARIVS HÆRES
QVADRAGINTA ANN. AMICO
INGENTI ANIMI MÆRORE P.

Libri quos Cardinalis Cozza evulgavit ordine recensentur.

Vindiciæ Areopagiticæ. Volumina duo.
Commentaria Historico-Dogmatica ad Librum de Hæresibus Sancti Augustini.
Dubia Selecta de Confessario Sollicitante.
Historia Polemica Schismatis Græcorum Volumina quatuor.

A *De Jejunio Tractatus Dogmatico-Moralis.*

De hoc Cardinali extat vita manuscripta in Archivo Cænobii S. Bartholomæi in Insula, & ut certe videtur à se ipso composita, & usque ad ejus assumptionem in Ministrum Generalem totius Ordinis perducta. Ex ea nonnulla excerpsimus.



FRA-



X V.

FRATER GREGORIUS SELLERI Peruſinus; ex humilibus Parentibus in Oppido *Panicale* Diæceſis Civitatis Plebis natus eſt die 12. Julii anni 1654. vix pueritiam egreſſus literarum ſtudio, & Chriſtianæ pietatis officiis intentum adjecit animum, ut magis utrimque proficeret, Ordinis Prædicatorum amplexus eſt inſtitutum. Expleto probationis anno, vota ejuſdem Ordinis nuncupavit. Philoſophiæ præcepta, atque Arcana Theologiæ juxta mentem Divi Thomæ, Scholaſtico tamen more, funditus introſpexit. Fervido, ac peracri ingenio Metaphyſicis ſubtilitatibus delectabatur, atque in hoc diſputandi genere cœ-
A teris anteibat. Quare apud ſodales ſuos exiſtimatione ſuccreverat, atque opinione virtutis.

Romam traductus Theologus Caſanatenſis eſt renunciatus. *Clemens XI.* & ipſe magni virum habere cœpit. A Secretis eum dixit Sacræ Indicis Congregationis. Deindè eum ad ferendum ſuffragium aſſumpſit in altera *Indulgentiarum* Congregatione, & in altera Beatificationum, & Canonizationum Servorum Dei. In hiſce muneribus exercendis, quum
B pulcherrima ſemper modeſtiæ, & eximiæ pietatis præbuerit argumenta; hinc ab eodem *Clemente XI.* ad majora vocatus, ampliſſimo

munc-


A muneri est admotus Magistri Sacri Palatii Apostolici, & Consultor est renunciatus in Tribunali Supremæ, & Generalis Inquisitionis. Quodque majoris extimationis indicium est, idem Pontifex conscientiæ Rectorem suæ illum sibi adscivit, eumque usque ad extremam vitæ suæ periodum habere voluit.

Benedictus XIII., qui viri pietatem noverat, & Suæ Dominicanæ familiæ studiosus erat, eum hac celebri die 9. Decembris Anni 1726. inter Purpuratos Patres evexit. Diu tamen in pectore servavit, nec prius evulgavit, quàm B die 30. Aprilis anni 1727. Tunc illi Titulum attribuit *S. Augustini*, eumque Congregationibus adjecit S. Officii, Episcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Indulgentiarum, & Indicis Librorum prohibitorum.

At vix expleto anno, ex quo palam evulgatus, ac declaratus fuerat Cardinalis, gravi morbo correptus, eoque per duos, & ultra menses vexatus, sacrisquerite munitus, obiit die 30. Maii anni 1729. annos natus 74., menses 10., dies 19. C Religiosæ paupertatis nunquam oblitus, intestatus decessit, & quidquid domesticæ supellectilis reliquum esse posset, id omne Magistri sui Ordinis Generalis arbitrio disponendum commisit. Corpori ejus justa exequialia peracta sunt in Ecclesia Sanctæ Mariæ super Minervam, adstante Sacro Cardinalium cœtu, atque ipso Summo Pontifice *Benedicto XIII.* Inde in eadem Ecclesia humatum fuit cum hac Epigraphe.

D. O. M.
FR. GREGORII SELLERI
PERVSINI
ORDINIS PRÆDICATORVM
CASANATENSIS CATHEDRATICI
SAC. CONGREGATIONIS INDICIS SECRETARII
PALATII APOSTOLICI MAGISTRI
CLEMENTI XI. A CONFESSIONIBVS
INNOCENTIO XIII. ACCEPTISSIMI
BENEDICTO XIII. EIVSDEM
ORDINIS PROMOVENTE
TITVLI S. AVGVSTINI
PRESBYTERI CARDINALIS
MORIBVS ET DOCTRINA SPECTABILIS
CINERIBVS RESVRRECTIONEM FVTVRAM
IVSTORVM EXPECTANTIBVS
PATRES
CONVENTVS SANCTI DOMINICI DE PERVSIO
MÆRENTES ET GRATI PP.
VIX. AN. LXXIIII. MENS. X. DIES XVIIII
OB. XXX. MAII MDCCXXIX.





X V I.

ANTONIUS BANCHIERI Piſtorienſis nobilibus, ac Patriciis ortus Parentibus, nempè *Nicolao* Equite Divi Stephani, & *Catharina Roſpiglioſi*, quæ ex Fratre Neptis erat *Clementis IX.* Romani Pontificis, natalem adſpexit lucem die 19. Maii anni 1667. Paternâ in Domo, & ſub eorumdem Genitorum diſciplina, prima pietatis, & Literarum hauſit rudimenta. Deindè duodecim annos natus Senas traductus eſt inſtituendus in Collegio Nobilium Ptolomæorum apud Patres Societatis Jeſu. Demum ut altiores attingeret diſciplinas anno 1685. Romam venit, & in Seminario Romano apud Patres ejuſdem Ordinis

A impenſius incubuit Philoſophiæ, & Theologiæ.

Ut ad pubertatem pervenit, è Seminario Romano eductus, optimis datus eſt Cauſſidicis, & Legali facultate funditus introſpecta, in Romano Archigymnaſio in utraque Juris facultate Doctor emerſit. Talibus imbutus præceptis inter Præſules Romanæ Curiæ, ſedente *Innocentio XII.*, die ſcilicet 10. Julii anni 1692. meruit recenſeri. Prothonotarius dictus eſt de numero Participantium, inde ad ferendum
B ſuffragium aſſumptus eſt in Congregatione, quæ Conſultationibus præeſt totius Pontificiæ Ditionis. In Congregatione etiam Sacrorum

Ri-

Rituum, tamquam Prothonotarius Apostolicus admissus fuit. Et in Sacra Congregatione de Propaganda Fide, dum Præsul *Augustinus Fabronius* ab Urbe aberat, Prosecretarii vices per annum explevit.

At in Pontificatu *Clementis XI.* ad majora meruit excitari. Siquidem die 31. Maii anni 1703. Avenionis Prolegatus dictus est. Postquam triennio strenuè Magistratum obierat, eum ad Gallos Nuncium Apostolicum *Clemens* destinaverat; sed ille gravibus de causis munus ultro oblatum modestissimè recusavit. Romam propterea revocatur, & Secretarius dicitur Congregationis de Propaganda Fide. Anno 1707. Assessor renunciatur supremæ, & universalis Inquisitionis. Demum anno 1712. alteri Congregationi Secretarius datur, quæ Consultationibus præest totius Status Ecclesiastici. Diu stetit in hoc amplissimo Magistratu. Reliquo scilicet hujus Pontificis Regno, atque altero, qui subsequutus fuit *Innocentii XIII.* Pontificatu. Donec tandem sedente *Benedicto XIII.*, postquam eximius Præsul *Alexander Falconierius* Sacra Purpura fuit decoratus; Prætor ipse anno 1724. Romanæ Urbis est designatus. Virum denique maximis Ecclesiæ muneribus egregiè functum, hac celebri die 9. Decembris anni 1726. idem Benedictus XIII. inter Cardinales recensuit; Eumque diu in pectore, ut ajunt, servatum die 30. Aprilis anni 1728. evulgavit. Diaconiam illi commisit *S. Nicolai in Carcere Tulliano*.

Anno 1730., quo naturæ concessit *Benedictus XIII.* in Comitiis Pontificiis suffragium tulit. Nec parum pro eo hæserunt Comitia. Plurimi enim ex Purpuratis Patribus in eum confertim ibant, ut Summus Pontifex renunciaretur: Sed postquam Dei consilio *Clemens XII.* ad Apostolatum evectus est, ipse statim summæ rei præficitur, & à Secretis Status Administer eligitur. Omnibus Urbis Congregationibus est admotus. Præterea ea maturitate, ac fide Pontificia arcana direxit, ut & apud *Clementem XII.* consilio præstiterit, & authoritate, & Summis Principibus gratus emerserit.

Vir fuit acris ingenii, & cum mirifico lepore conditæ comitatis. Podagræ doloribus persæpè cruciabatur. Anno 1733. gravius ægrotare incœpit. Ut pristinæ redderetur sanitati, Pistorium secessit; sed eum vix Patriæ restitutum præmatura mors intercepit. Obiit die 16. Septembris ejusdem anni 1733., atque in Ecclesia Patrum Societatis Jesu sepultus est.





Carolus Collicola, Spoletinus, Protonotarius Apostolicus, et Rev. Cam. Apost. Thesaurarius Generalis S.R.E. Diaconus Cardinalis creatus à SS.mo D.N. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 9. Decembris 1726., et publicatus in altero Consistorio secreto habito post Semipublicum die 30. Aprilis 1728.
Obijt die 19. Octobris 1730.

Petrus Nelli delin. *Vinc. Franceschini sculp.*

Dominicus de Rubeis Hæres Io. Iacobi formis Romæ ad Templ. S. M. de Pace cum Priv. S.P. 5

XVII.

CAROLUS COLLICOLA Spoletinus nobilibus Parentibus *Jo. Baptista*, & *Anna Valencia Bartoletti*, die natus 31. Maii anni 1682. Paternâ primum in Domo officiis Christiani hominis, & rudimentis literarum eruditus, inde tredecim annos natus Romam traductus est. Die 4. Novembris anni 1694. in Seminario Romano Patribus Societatis Jesu instituendus traditur. Sub eorumdem disciplina emensis Rhetoricæ, Philosophiæ, & Theologiæ præceptis, multiplici etiam eruditioni incubuit. Demum è Seminario eductus sedulam Jurisprudentiæ navavit operam.

Exacta pubertate, relatisque in Romano Licęo Doctoratus insignibus, die 15. Januarii anni 1707. Præsulum Romanæ Curiæ amplexus est institutum, & inter Prothonotarios de numero Participantium meruit recenseri. Dum hoc officii genere fungeretur, Congregationi de Propaganda Fide etiam interfuit, atque in ea Prosecretarii vices quandoque explevit. A *Clemente XI.* Imperii Ecclesiastici ea tempestate clavum tenente, inter Clericos Cameræ Apostolicæ assumptus est. Parvoque interjecto temporis intervallo Ædilis, quem nostri usitato nomine *Grasciæ Præsidem* dicunt, est renunciatus. Demum Pro-Thesaurarii primum, Ærarii indè, seu Thesaurarii Generalis,

(Margin letters: A, B)

lis, & Maris Præfecti ornatus est dignitate.

Decennio perstitit in hoc amplissimo munere, officiumque absolvit fide, ac prudentia incredibili. Eo promovente maxima ædificia inchoata, atque absoluta fuerunt. Pons Sancti Angeli *ab Ælio Hadriano* Cæsare injectus, mox ab utroque cornu proximè impendens ruinæ, firmissimè instauratus est; & fundamenta penè convulsa, sub alveo Tyberis reparata sunt.

Piscatorum commodo, atque Urbis utilitati consulens, lacum Circæjo Monti propè Oppidum S. Felicitatis adjacentem, effosso canali ad Mare usque protraxit. Sic deductis, copulatisque aquis tanta ad Lacum adnatavit è Mari piscium multitudo, ut maximum Piscatoribus lucrum attulerit, & Annona in Urbe convaluerit. Et lacus ille, qui pridem vix centum nummis à Camera Apostolica locari consueverat, ad quinque millia annuorum nummorum statim excrevit. Admirandi hujus operis, ne in posterum memoria interiret, marmoreus lapis ad oram incilis fossæ erectus est, ut sequitur.

BENEDICTO XIII.
QVOD INTER MARE TIRRENVM
LACVMQVE CIRCEVM
PRISTINO AQVARVM
RESTITVTO COMMERCIO
CVRANTE
CAROLO COLLICOLA ÆRARIO
AC REI MARITIMÆ PRÆFECT
PISCATORIO VRBIS FORO
FISCI RATIONIBVS
AC PVBLICÆ VTILITATI
PROVIDERIT
ANNO PONTIFICAT. PRIMO.

Portus Centumcellensis, qui ex aquarum accessu, refluoque earum cursu, terra oblinitus, marinisque sordibus plenus erat, expurgatus est. Navibus hinc præsertim bellicis, & onerariis, quibus Portus aditus prohibebatur, facilè patuit ingressus, & statio fidissima data est. Et ne sera posteritas hujus quoque rei immemor esset, in intima Portus parte marmoreus item lapis adjectus est in hunc, qui sequitur, modum.

BENEDICTO XIII.
ORD. PRÆDIC. P. M.
QVOD SINV TRAIANI PORTVS
EXPVRGATO
ÆVI CÆSAREI STATIONEM
NAVIVM COMMODO RESTITVERIT
C. COLLICOLA ÆRAR.
REIQ. MARITIM. PRÆFECTVS
INIVRIÆ TEMPORVM
IMPOSTERVM ARCENDÆ
TESTIMONIVM
HYDROGRAPHICO SVBIECTO MARMORE
POSVIT
ANNO PONTIFICATVS IIII.

Virum hinc, tanta sibi meritorum, & virtutis commendatione acceptum, hac celebri die 9. Decembris anni 1726. in Sacrum Senatum invexit. Eumque diu in pectore servatum evulgavit die 30. Aprilis anni 1728. Diaconiam illi attribuit *S. Mariæ in Porticu*, eumque Congregationibus adjecit Propagandæ Fidei, Boni Regiminis, Sacræ Consultationis, levaminis Artis Agrariæ, & Rerum Consistorialium.

Omnigenâ quidem *Carolus* eruditione, insigni etiam pietate præstitit. Patiens laboris fuit, Commercii amplificandi, publicarumque ædium curandarum peritissimus. Ædificiis, quæ moliebatur, intererat, atque opera dirigebat præsens.

Hinc ejus valetudo cœpit attenuari; præsertim vero in prædicta Ælii Pontis instauratione ex ardenti Solis inter aquas Tyberis repercussione, verberibusque, atque æstu radiorum, adeo illi oculorum vigor imminutus fuit, ut lumen, & aspectum amiserit. Ex hac oculorum infirmitate numquam bene convaluit; adeout quasi luminis expers hominum eruditorum alloquio, & familiari eorum consuetudine delectatus sit. Nonnullos Oratores, & Poetas eximios habuit in famulatu. Consilio, & prudentia semper præstitit. Et Congregationibus, quibus fuerat adscriptus, adesse non destitit.

Vivere desiit florida in ætate annorum 48. mens. 4., & dierum 19., obiitque die 19. Octobris anni 1730. Ejus Cadaveri ritu solemni justa funebria peracta sunt in Ecclesia *Sanctæ Mariæ Montis Sancti*. Adstititque funeri Sacer Cardinalium cœtus. Ejus Corpus in eadem Ecclesia humatum fuit in Sacello ejus Domus Gentilitio.


Septima Cardinalium Creatio habita fuit

A

B E N E D I C T O XIII.

Die 26. Novembris anni 1727.
In ea quatuor Cardinales enunciati sunt

Didacus de Astorga y Cespides. Hispanus.
Sigismundus de Kollonitz. Germanus.
Philippus Ludovicus de Sinzendorf. Germanus.
Joannes de Motta y Silva. Lusitanus.



XVIII.

A DIDACUS DE ASTORGA Y CESPIDES Hiſpanus in Civitate Gibraltariæ anno 1666. optimis natus eſt parentibus, nempe Didaco, & *Joanna de Eſpinoſa*. Clariorem, quam natura negavit nobilitatem, eximiis ejus virtutibus ſibi comparavit. In Civitate Granatenſi ſedulam ſtudio literarum navavit operam. Ibi etiam Juriſprudentiæ incubuit; & ut pietati addictus erat, ætatem nactus idoneam, ad Sacerdotium aſcendit. Tanta apud ſuos creverat exiſtimatione, vt Vicarius Generalis primum aſſumptus fuerit Epiſcopi Gaditani [a], inde Epiſcopi Septæ [b]; demum Quæſitor Fidei aſſumptus fuerit in Civitate Murciæ.

Omnia hæc munera tanta geſſit integritate, & prudentia, ut in dies ejus celebritatis fama percrebuerit. Hinc *Philippus V.* Catholicus Rex anno 1715. ad Epiſcopatum Barchinonenſem eum admovit. Quæſitor inde Fidei Generalis Regnorum Hiſpaniæ eſt renunciatus anno 1720. Et demum eodem anno 1720. Eccleſiæ Toletanæ Archiepiſcopus dictus eſt. Die 25. Auguſti ejuſdem anni poſſeſſionem arripuit hujus præſtantiſſimæ Eccleſiæ. Intimus etiam Regis Conſiliarius fuit. Hinc clariora B omnia Regnorum Hiſpaniæ munera obivit probitate, & Religione incredibili. Et ne ſuprema deeſſet Eccleſiæ Dignitas, poſtulante eodem

[a] Cadice.
[b] Ceuta.

dem Rege *Philippo V.* Cardinalis renunciatus est à *Benedicto XIII.* die 26. Novembris anni 1727. Quum Romam numquam advenerit, nec Titulum adeptus est, nec Galerum Cardinalitium. Quam sanctitatis & prudentiæ cœperat vitam, eamdem usque ad finem strenue peregit. Plura reliquit effusissimæ liberalitatis monumenta. Tandem Hispaniæ flebilis obiit Matriti die 9. Februarii anni 1734. In sua Primatiali Ecclesia honorificè sepultus est in Sacello SSmi Sacramenti, quod ipse immenso, ac fere Regio sumptu ab imo extruxerat. Tumulo vero sequens apposita fuit Inscriptio.

A

DIDACVS DE ASTORGA ET CESPIDES
SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS
PRIMO BARCHINONEN.
DEIN TOLET. PRESVL.
HISP. PRIMAS
PRIMVS EXCELLENTIÆ TITVLO
IN SVCCESSORES PERPETVO PROTRAHENDO
INSIGNITVS
GENERAL. INQVISIT.
MAGN. CASTELL. CANCELL.
ET LVDOVICO I.
A CONSILIIS SECRETIORIBVS
QVEM ARDENS ZELVS
CVM PIO IN PAVPERES
ET DVLCI GENIO IN OMNES CONIVNCTVS
OMNIBVS CHARVM

B

MARMORIBVSQVE SACRÆ SYNAXI
AB IPSO ERECTIS
PERENNIOREM FACIENT.
PLENVS DIERVM
VLTIMVM OBIIT DIE IX. FEBRVARII
ANNO DOMINI MDCCXXXIV.





XIX.

SIGISMUNDUS DE KOLLONITZ Germanus die natus est 28. Maii anni 1677. Patrem habuit alterum *Sigismundum* Comitem de *Treyberg* in Styria, *de Levard* in Hungaria, *de Sibenbrunn*, *Jedenspain*, *& Pittermansdorff* in Austria; Matrem vero *Annam Reginam de Speidel*. Ut parem præstantissimis natalibus educationem assequeretur, ab eximiis Genitoribus *Novedomum* traductus est, ibique impensam humanioribus litteris navavit operam. Ut vero gravioribus inde disciplinis imbueretur, sexdecim annos natus Romam venit, & die 30. Octobris anni 1693. à Patribus Societatis Jesu in Collegio Germanico Hungarico A instituendus excipitur. Præcepta Philosophiæ, atque arcana Theologiæ funditus introspexit, atque in binis hisce facultatibus Doctoratus insignibus ornatus est.

Mox è Collegio eductus, atque in Patriam redux, statim eximiis Ecclesiæ Dignitatibus clarere cœpit. Ductui siquidem, & Disciplinæ adhærens Cardinalis *Leopoldi Kollonitz* Patrui sui, & Strigoniæ Archiepiscopi, & Hungarici Regni Primatis præstantissimi, eo promovente, Canonicus, & Archidiaconus illius Metropolitanæ Ecclesiæ meruit renunciari. B Vaciensi inde Episcopatui in ipso Hungariæ Regno admotus fuit. Postquam vero eamdem

Ecclesiam vigilantia incredibili, & moribus integerrimis exornavit; ad Viennæ in Austria Episcopatum translatus est.

Hanc vero Austriæ Metropolim, cui præest adhuc vigilantissimus Antistes, præcipuo studio regendam, atque emendandam assumpsit. In ea siquidem post relatos in Religionis incrementum Paternæ sollicitudinis uberes fructus; hoc etiam illi feliciter evenit, quod sub ejus pio regimine eadem antea Episcopalis Sedes, exeunte Clementis XI. Pontificatu, in Archiepiscopalem erecta sit. Die 20. Januarii anni 1723. Innocentius XIII. Pallii usum illi attribuit.

Carolus VI. Cæsar, qui plurimi *Sigismundum* faciebat, eum Benedicto XIII. nominavit, ut Sacra Purpura honestaretur. Quare hac celebri die 26. Novembris anni 1727. Cardinalis est renunciatus. Ab eodem *Carolo* Imperatore Protector etiam assumptus est Germaniæ, & Regnorum Austriacæ Domus hæreditariorum. Intimus etiam Consiliarius est habitus, & Princeps Sac. Rom. Imperii. In hisce amplissimis muneribus adest adhuc regnanti Cæsareæ Domui.

Mortuo *Benedicto XIII.* Vaticana celebravit Comitia, atque electo Clemente XII. Titulum obtinuit *SS. Petri, & Marcellini*, Congregationibus etiam addictus fuit Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Propagandæ Fidei, & Rerum Consistorialium. Anno 1740., postquam naturæ quoque concessit *Clemens XII.*, Vaticanis iterum Comitiis interfuit, suoque calculo electioni BENEDICTI XIV. feliciter regnantis suffragatus est. Priorem Titulum immutavit in alterum *S. Chrysogoni*. Inde suæ restitutus Ecclesiæ vivit adhuc, vivatque diu, ut ex laboribus, vigiliisque suis ampliorem Ecclesia fructum consequatur.





X X.

A PHILIPPUS JOSEPH LUDOVICUS DE SINZENDORF Germanus ex præclarissimis Parentibus in lucem prodiit die 14. Julii anni 1699. Patrem siquidem habuit *Philippum Wenceslaum* Sacri Imperii Thesaurarium hæreditarium, Comitem de *Sinzendorf Thanhausen*, Baronem de *Ernstbrum*, *de Gfoll*, aliorumque Feudorum Dominum, Equitem præterea Velleris aurei, & Cæsaris à Sanctioribus consiliis. Matrem vero *Catharinam Rosinam de Waldstein*.

B Ex his amplissimis Genitoribus, dum Pater ejus ad *Ludovicum XIV.* Gallorum Regem Orator Parisiis morabatur, in eadem Parisiorum Civitate natalem Philippus Noster adspexit diem. Inde cum Patre ejus Viennam redux liberali educatione institutus fuit. Mox ut ad altiores disciplinas gradum faceret, quindecim annos natus Romam traductus est. In Seminario Romano, per annum Philosophiæ incubuit; sed brevi ex eodem Seminario eductus, omnigenæ studuit eruditioni sub celebri Viro *Jano Vincentio Gravina*.

In Germaniam rursus revocatus; statim Coloniensi Metropolitanæ Ecclesiæ datus est Canonicus; Inde Olomucensis, & demum Salisburgensis etiam Canonicus emersit. Abbas etiam de *Pesschvvar* est renunciatus.

An-

Anno 1725. ejusdem Cæsaris beneficio Jaurinensi Episcopatui in Hungaria admovetur; cujus Ecclesiæ anno sequenti Viennæ in Austria Episcopus est consecratus. Demum hac die 26. Novembris anni 1727. ad preces *Friderici Augusti* Poloniæ Regis inter Cardinales refertur.

Mortuo hoc Pontifice, ad Vaticana accessit Comitia, & *Clementi XII.* illius Successori suffragatus est. Tunc Titulum obtinuit Presbyteralem *S. Mariæ supra Minervam*, & Congregationibus meruit adscribi Concilii Tridentini, Sacrorum Rituum, Propagandæ Fidei, & Rerum Consistorialium.

Vix novo electo Pontifice, in Germaniam reversus est. Anno 1732. ex Jaurinensi Episcopatu ad Uratislaviæ Ecclesiam translatus est; & die 28. Septembris hujusmet Metropolis inauguratus est Episcopus, & Princeps.

E vivis iterum erepto *Clemente XII.*, anno 1740. Vaticana rursum celebravit Comitia. A Novoque electo Pontifice BENEDICTO XIV., iterum ad suos rediens, & Pastoralibus incumbens Ministeriis, Silesiæ Provinciam, atque amplam Uratislaviæ Diœcesim belli impetu aggressam vidit, & Principis Branderburgici Imperio adjectam. Maxima tunc Catholicæ Fidei damna timenda visa sunt, sed ipse summa ope nisus est, ut firma inibi staret Religio; quare invicti Principis beneficio Catholicorum Templa potius aucta, & exornata, & fidelium frequentia celebrata, quotidie magis B conspiciuntur.

Sic Cardinalis de *Sinzendorf* sui muneris numquam oblitus, multiplici etiam studuit eruditioni, veterumque elegantiarum doctrina delectatus est. Acris fuit vir, & peramœni ingenii. Podagræ doloribus sæpè tamen vexatus vivere desiit die 28. Septembris anni 1747. Annum agens 48. menses 2., & dies 14., atque in ipsa Uratislaviæ Ecclesia majori sepultus est.





XXI.

JOANNES DE MOTTA, Y SILVA Lusitanus, in Castro, cui nomen est *à Branco* Egitaniensis Diœcesis in extrema Lusitania *Mauro de Motta*, ejusque Uxore Parentibus inter hujusmodi Oppidi Primores nobilitate simul, ac Religione spectabilibus, in lucem editus est die 14. Augusti anni 1685. Eboræ prima literarum rudimenta suscepit, ibidemque studia Philosophica, & Theologica tanta cum laude absolvit, ut in Conimbriensi Academia non semel sapientiæ suæ palam rationem reddiderit, semperque feliciter literaria pericula evaserit. Laureâ Doctorali in iisdem facultatibus, atque in eadem Universitate donatus fuit.

A Eum in enodandis difficultatibus mirâ quadam dexteritate pollentem *Joannes V.* Portugalliæ, & Algarbiorum Rex primum inter Canonicos Patriarchalis Ulyssiponensis Ecclesiæ adsciscì voluit, deindè in suum Consiliarium delegit. Demum eodem Rege intercedente, in hac Promotione diei 26. Novembris anni 1717. *à Benedicto XIII.* inter Cardinales relatus est. Quumque in dies egregia ingenii, & dexteritatis argumenta, & prudentiæ clarissima præberet indicia, Ulyssipone supremus
B etiam in Aula Regia Administer fuit adhibitus, quo in munere ad obitum usque tanta virtute, ac sapientia excelluit, ut sui desiderium cun-

ctis reliquerit die 4. Octobris anni 1747. Ulyssipone honorificè humatus fuit in Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis Carmelitanorum.

Romam numquam advenit. Propterea nec Titulum obtinuit Cardinalitium, nec Urbis Congregationibus adscriptus fuit.

Quinque is habuit Germanos Fratres, unus A totius Regni Consiliarius, & intimæ expeditionis primus à Secretis, postquam apud Sanctam Sedem fuit Regis Legatus. Sorores nactus est duas, utraque Sanctimonialis fuit; omnes demum tam Masculi, quam Fœminæ ex eadem Familia, Deo militarunt, nec qui nuberet, fuit.

Quarta Cardinalium Promotio


Die 30. Aprilis anni 1728.

IN QUA

BENEDICTUS XIII.

Duos evulgavit Cardinales, qui fuerunt

Fr. Ludovicus Gotti Ordinis Prædicatorum. Bononiensis.
Domnus Leander Porzia. Forojuliensis.





F. Vincentius Ludovicus Gotti, Bononienſis, Ordinis Prædicatorum electus Patriarcha Hieroſolymitanus S.R.E. Preſbyter Cardinalis creatus à SS.^{mo} D. N. BENEDICTO PAPA XIII. in Conſiſtorio ſecreto habito poſt Semipublicum die 30. April.^{is} 1728.

Obijt die 22. Septembris 1742.

Petrus Nelli pinx. et delin — *Gaspar Massi ſculp*

Dominicus de Rubeis Hæres Io. Iacobi formis Romæ ad Templ. S. M. de Pace cum privil. Sum. Pont.

XXII.

FRATER VINCENTIUS LUDOVICUS GOTTI A Bononienſis die natus eſt 7. Septembris anni 1664. ex honeſtis illius Civitatis Parentibus, nempe ex *Jacobo Gotti* publico in Univerſitate Bononienſi Legum interprete, & ex *Clara Caparda*. In infantili ætate Patre orbatus, ab ejus Matre Fæmina honeſtiſſima Religioſis Viris Scholarum Piarum educandus traditur, à quibus prima hauſit ſtudiorum rudimenta. Deinde tredecim annos natus biennio Rhetoricam audivit ſub diſciplina Patrum Societatis Jeſu; ſed ut ingenium nactus erat B modeſtum, & Religioſæ vitæ cupidum; hinc in ætate annorum ſexdecim inſciis familiaribus, & affinibus ſuis in Cœnobium Sancti Dominici ſe recepit, à quibus poſtea veniam, & aſſenſum obtinuit inſtitutum Prędicatorum capeſſendi.

Bononiæ exceptus à Confratribus illius Ordinis anno 1680. Anconam mittitur, ut ſolitum probationis tempus expleret; quo quidem abſoluto, ſolemni ritu ſeſe Votis Religioſis obſtrinxit. Philoſophiam didicit in Civitate Forolivienſi, & Bononienſi, ad quam redierat. In hac facultate facilè cæteris anteivit, tantamque apud Superiores illius Ordinis exiſtimationem invenit, ut Salmanticam in Hiſpania mitti obtinuerit, quo felicius nedum in Philoſophicis, ſed etiam in Theologicis facultatibus

pro-

promoveretur. Ad hanc igitur quum pervenisset Literarum palæstram, adeo mirabiliter se gessit, ut non tam sodales, quam ejus etiam Magistros admiratores fecerit sui.

Salmaticensis Cœnobii Patres eum inter suos adscribere curabant, oblata etiam honorificâ illius Provinciæ Cathedrâ, quo facilius juvenem detinerent. Invictâ, qua solebat, modestiâ proposita impedimenta rejecit, & anno 1688. Sacerdos jam factus in Italiam rediit. Mantuam primum mittitur, ut in Cœnobio illius Civitatis Philosophiam doceret; sed hoc officii genere vix inchoato, iterum à Magistro totius Ordinis Generali advocatur, ut Romæ in Cœnobio Minervitano eamdem Philosophiam doceret; novum deindè Philosophiæ cursum Bononiæ auspicari jussus est. Quo absoluto Faventiæ Confratribus suis Theologiæ Lector admovetur. Demum à Senatu Bononiensi publicus assumitur Theologiæ Professor in celebri illius Civitatis Universitate.

Anno itaque 1695. Bononiæ legere incœpit, & in magna Auditorum frequentia expectationem de se præconceptam & sustinuit, & auxit. Anno 1699. Superiorum imperio novus illi adjungitur labor tradendæ Metaphysicæ in Bononiensi Cœnobio. Præterea sequentibus annis socius datur Patri Magistro *Angelo Guillelmo Mola*, qui Provinciæ utriusque Lombardiæ Præses fuit. Demum anno 1708. Bononiensis Cœnobii Prior assumitur, & biennio vix absoluto universę Provinciæ Præses renunciatur. Omnia hæc munera tanta explevit mansuetudine, ac diligentia, ut Prior Cœnobii Bononiensis secundâ, & tertiâ vice confirmatus fuerit. In Præfectura vero universæ Provinciæ bis etiam fuerit adlectus.

Verum hunc tantis meritis decoratum anno 1714. *Clemens XI.* Generalem dixit Fidei Quęsitorem in Civitate Mediolanensi, quod munus sibi insperato oblatum, omni ope refugere curavit; sed frustra. Imo libentissimè exceptus nova in illa Civitate præbuit exempla virtutum. Ibi dum fidei puritati custodiendæ pervigilem navat operam, in ejus incidit manus quidam liber *Jacobi Picenini* apud Ræthos Calviniani Magistri, Italico idiomate Typis datus anno 1706., qui Apologiam continebat pro *Ecclesiis Reformatis*. Exitiosum hoc opus alii refellendum curaverant; quos inter aderat *Andreas Semery* è Societate Jesu, & *Hyacintus Tonti* ex Augustiniana Familia; sed Picenini pervicacia acrius in istos insurgens, præsertim verò in *Patrem Semery*, posteriorem edidit Librum *triumphum* nuncupatum, quo & Catholicam Fidem discerpere, & Adversarios suos irridere infesto conatu moliebatur. Religionis vindicandæ zelo fervens *Gottius* Picenini Apologiam, falsumque *Triumphum* aggredi, & refellere instituit. Utrumque igitur Librum insectatus est altero, quem edidit Libro, cui Titulum adjecit = *de vera Christi Ecclesia* = Hic liber in tria dispertitus volumina, Romanæ objectus fuit censuræ, & ab ista, præsertim vero à *Clemente XI.* maximè comprobatus Romæ publici Juris factus est anno 1719. Idem etiam secundis Auctoris curis castigatus, & auctus prodiit iterum Mediolani anno 1734. Revera Literatorum fere omnium Judicio liber hic non tam Catholicæ Religioni præsidium, quàm Italicis Literis novum addidit decus, & ornamentum.

Munus Generalis Fidei Quæsitoris in Civitate Mediolanensi, quod invitus susceperat, molesto quidem animo semper retinuit. Precibus urgebat assidue superiores sui Ordinis, ut in pristinam privati Cœnobii vitam reduceretur. Sibi uni, suisque studiis vacare posse enixè efflagitabat. Annuente tandem Pontifice impetravit, ut se à Mediolanensi Inquisitione subducens, Patriam posset remeare. Anno itaque 1717. Bononiam se recepit, ubi ab illo Senatu amplissima Cathedra donatus est: Polemica illa dicitur, seu controversiarum Fidei, quæ morte clari Viri *Benedicti Bacchinii* Abbatis Cassinensis nuper vacaverat. Alterum ibi edidit Librum adversus eumdem *Piceninum*, qui novis conatibus libellum evulgaverat, quo Clericorum Cælibatum injuriosè impetebat, & ad pejora delapsus, plures alias Catholicas veritates aspernabatur. *Gottius* igitur nedum male irrisum Cælibatum in Sacris Ministris vindicavit, sed oppugnatam etiam Romani Pontificis authoritatem, & præcipuè Gregorium VII. eximium hujus authoritatis assertorem, defendit. Alterum sequentibus annis edidit Librum Scholasticæ, Dogmaticæque Theologiæ cursum continentem, quo ingenti quidem labore, studioque, ac doctrina singulari Thomisticam Scholam, jejuniis olim institutionibus interclusam, Polemicis, eruditisque quæstionibus exornavit.

Benedictus igitur *XIII.* maximus Fratris *Vincentii Gotti* admirator, quique familiari ejus consuetudine jamdiu usus fuerat, eum die 30. Aprilis anni 1728. inter Presbyteros Cardinales retulit sub Titulo *S. Sixti*. Nuncius vero Promotionis suæ magnis itineribus Bononiam missus, illum rusticantem invenit cum aliis sui Cœnobii sodalibus in quodam suburbano fundo, qui *Ronzani* dicitur. Sic ille insperato honore, quasi fulmine correptus est, ut nisi amicorum prohibuisset authoritas, fugam, & latebras quæsivisset. Hoc ipsissimo loco morabatur Benedictus XIII., quum reluctans, atque ingemiscens S. Purpuræ honore à *Clemente X.* donatus fuit. Ideoque locus hic modestia præclarus duorum istorum Cardinalium perenni ornatus fuit monumento, quod utriusque rei memoriam Posteris exhibeat. Receptis à *Georgio* Cardinali *Spinula* Bononiæ de Latere Legato in Templo S. Dominici Cardinalatus insignibus, Romam petiit, ubi à Pontifice peramanter exceptus Sacris Congregationibus datus est Generalis Inquisitionis, Episcoporum, & Regularium, Sacri Concilii Tridentini, Indicis Librorum prohibitorum, Examinis Episcoporum, Disciplinæ Regularium,

Pro-

Propagandæ Fidei, Indulgentiarum, & Reliquiarum. Præterea inter correctores Librorum Orientalium adscriptus est.

A At vero, nova amplissimaque auctus Dignitate, idem tamen semper adhibuit vitæ genus. Eadem fuit illi vitæ austeritas, ac cibi parcitas, eadem orandi, & studendi horarum partitio. Rem sacram summa cum Religione quotidie agebat; Congregationibus suis frequens aderat, atque in rebus sibi à S. Sede commissis totus erat. Reliquum, quod superat, temporis in studiis suis, ut plurimum Theologicis, insumebat. Sic alium edidit Librum adversus *Joannem Clericum* apud Batavos magni nominis scriptorem, qui postquam notas suas adjecerat celebri Libro *Hugonis Grotii de veritate Religionis Christianæ*, quemdam etiam tractatum superaddiderat inscriptum = de eligenda inter dissentientes Christianos sententia = Perniciosum hoc opus ab imo disjecit eximius Cardinalis altero, quem anno 1740. evulgavit, Libro, cui titulum similiter adjecit = de eligenda inter Dissentientes Christianos sententia = Aliud demum insigne opus aggressus est, quod eodem anno 1740. absolvit & typis dedit adversus Atheos, Polytheos, Idololatras, & Judæos, quo sectas omnes Christianæ adversantes veritati, falsas evincit; Catholicæ vero Religionis ministeria, & dogmata in sua infallibili veritate reponit, & rata facit; atque hi sunt Cardinalis nostri Libri præstantiores publici Juris facti. Alia itidem supersunt opuscula inedita, neque ad finem perducta, inter quæ illud recensetur, quod ipse ita inscripserat = Commentaria in Genesim.

Comitiis interfuit *Clementis XII.*, & Benedicti XIV., in cujus extremo Conclavi ob illius diuturnitatem, usque ad æstivos calores producto, ejus corporis habitudo, tenuis potius, atque imbecilla, gravius cœpit conflictari. Crurium tumor, & respirandi difficultas accrevit, ejusque infirmitas binos per annos protracta omnem convalescendi spem ademit. Die tandem 17. Septembris anni 1742. sacris ritè munitus placide quievit. Benedictus XIV., ut extremis morientem juvaret officiis, ad illius Domum se contulit, sed coram cum illo loqui, & periclitantem adire non potuit, quia conclamata jam salus erat. Funeri tamen adfuit, quod in Templo Beatæ Mariæ Supra Minervam à Sacro Collegio solemni ritu illi persolutum fuit. Quo peracto ejus Cadaver, ut ipse Testamento suo caveat, ad Ecclesiam *S. Sixti* ejus Titularem translatum fuit, ibique humili loco conditum cum hac inscriptione, quam ipse vivens incidendam tradiderat.

HIC IACET
FRATER VINCENTIVS LVDOVICVS GOTTI
ORDINIS PRÆDICATORVM
S. R. E HVIVS ECCLESIÆ TITVLI
PRESBYTER CARDINALIS
EXPECTANS CARNIS RESVRRECTIONEM
VIXIT ANN. LXXVIII. DIES XIII.
OB. XIV. KAL. OCTOB. MDCCXLII.

Extat hujus Cardinalis vita conscripta à claro Viro Patre Fr. Thoma Ricchinio ejusdem Ordinis Prædicatorum, & Sacræ Indicis Congregationis Secretario. Ex ea plura collegimus; præsertim vero Indicem Operum Cardinalis Gotti accuratiorem, quem ipse ordine, prout sequitur, disposuit.

Elenchus Operum Eminentissimi Fr. Vincentii Ludovici Gotti S. R. E. Card. S. Xysti.

I. *La vera Chiesa di Gesù Cristo dimostrata da' segni, e da' dogmi contro i due libri di Giacomo Picenino, intitolati Apologia per i Riformatori, e Trionfo della vera Religone Opere del P. F. Vincenzo Ludovico Gotti dell' Ordine de Predicatori &c. Tom.2. Vol.3. In Bologna per Costantino Pisarri in 4. 1719. in Roma. Item in Milano 1734. Tom.2. Vol.3. in 4. Nella Regia-Ducal Corte per Giuseppe Ricchino Malatesta &c. Editio priori anteponenda, ut patet ex Præfatione Tom. 1.*

II. *Colloquia Theologico-Polemica in tres Classes distributa. In prima Sacrorum Ministrorum Cælibatus. In secunda Romanorum Pontificum auctoritas. In tertia aliæ Catholicæ veritates propugnantur, adjectis Gregorii VII. Vindiciis adversus Jacobi Picenini concordiam Matrimonii cum Ministerio. Auctore F. Vincentio Ludovico Gotti Ord. Præd. S. T. M. &c. Bononiæ 1727. ex Typographia Bononiensi S. Thomæ Aquinatis in 4.*

III. *Theologia Scholastico-Dogmatica juxta mentem D. Thomæ Aquinatis ad usum Discipulorum ejusdem Angelici Præceptoris accomodata per Fr. Vincentium Ludovicum Gotti &c. Tom.1. in primam partem de Prolegomenis, & locis Theologicis Bononiæ 1727. ex Typographia S. Thomæ Aquinatis.*

Tom.II. in 1. partem de Deo, attributis, & visione Dei. Ibidem.

Tom.III. in 1. p. de Scientia, & voluntate Dei. Ibid.

Tom.IV. in 1. p. de Prædestinatione, & Trinitate. Ibid.

Tom.V. in 1. p. de Deo Creatore, & Angelis. Ibidem 1728. Prodiit Tomus hic cum sequentibus, Auctore jam inter S.R.E. Cardinales cooptato, & Patriarcha Hierosolymitano instituto.

Tom.VI. in 1. p. de homine, & ejus statibus. Ibid. 1729.

Tom.I. in p.2. de ultimo Fine, seu Beatitudine hominis; de actibus humanis, & de virtutibus & donis. Ibid.

Tom.II. in p.2. de Vitiis, & peccatis, & de Legibus. Ibid. 1730.

Tom.III.

Tom.III. in p.2. de Divina gratia, de justificatione peccatoris, & de merito justi. Ibid.

Tom.I. in 2. 2. de Fide Theologica, de Infidelitate, de spe Theologica, & de Caritate. Ibid. 1731.

Tom.II. in 2. 2. de Jure, & justitia, & Restitutione. Ibid.

Tom.I. in 3. p. de Deo Incarnato. De scientia animæ Christi, & de gratia Christi. Ibidem 1732.

Tom. II. in 3. p. de Sacramentis in generali, de Baptismo, & de Confirmatione. Ibidem 1733.

Tom.III. in 3. p. de Eucharistia, Pœnitentia, Censura, & Indulgentiis. Ibid.

Tom.IV. in 3. p. de Sacramentis ExtremæUnctionis, Ordinis, & Matrimonii. Ibidem 1734.

Tom. Unicus in Suppl. 3. p. de Statu animæ post hanc vitam, de fine Mundi, & de Judicio universali; & consequentibus ipsum. Ibid. 1734. *Tom.XVI. in* 4.

IV. *De eligenda inter dissentientes Christianos sententia, Liber adversus Joannem Clericum Reformatæ, ut ajunt, Religionis hominem. Auctore F. Vincentio Ludovico Gotti Ord. Præd. in Bononiensi Universitate Controversiarum Profess. nunc S. R. E. Card. Romæ Typ. Rochi Bernabò* 1734. *in* 8. *Item Ratisbonæ* 1742. *in* 8.

V. *Veritas Religionis Christianæ, & Librorum, quibus innititur, contra Atheos, Polytheos, Idololatras, Mahometanos, & Judæos demonstrata. Per Fr. Vincentium Ludovicum Gotti Ord. Præd. in Bononiensi Universitate Controversiarum Fidei Professorem, nunc S. R. E. Card. Tom. I. continens Librorum novi Fœderis examen. Romæ ex Typogr. Rochi Bernabò* 1735.

Tom.II. continens Lib. veteris Legis in generali. Ibid.

Tom.III. continens Libros veteris Legis singulatim. Ibid. 1736.

Veritas Religionis Christianæ ex genere, conceptu, ortu, vita, gestis, mysteriis, ac prodigiis Jesu Christi ejus Auctoris, nec non Virginis Deiparæ confirmatæ, & omnibus Fidelibus, & Infidelibus iterum proposita &c. Tom.IV. p. 1. *Ibid.*

Tom.IV. Pars altera. Ibidem 1737.

Veritas Religionis Christianæ contra Atheos &c. ex mirabili ejus propagatione per Apostolos, & eorum gesta comprobata &c. Tom.V. continens gesta SS. Petri, & Pauli, & aliorum Apostolorum &c. Ibid.

Veritas Religionis Christianæ contra Atheos &c. ex prodigioso ejus inter Paganorum persecutiones augmento, & mirabili constantia Martyrum demonstrata. Tom.VI. Ibidem 1738.

Veritas Religionis Christianæ contra Atheos &c. ex devictis hæresibus directe ejus veritatem impugnantibus demonstrata &c. Tomo VII. p. 1. *de hæresibus I. & II. Sæculi. Ibid. p.* 2. *de hæresibus III. & IV. Sæculi. Ibid. p.* 3. *de hæresibus IV. V. VI. & VII. Sæculi. Ibid. p.* 4. *de hæresibus à Sæculo VIII. usque ad XV. Ibid.* 1740. *p.* 5. *& ultima de hæresibus præsentis temporis. Ibid.* 1740. *Tom.VII. Vol.XII. in* 4.



Dom-



XXIII.

A DOMNUS LEANDER PORZIA Forojuliensis nobilissimis ortus est Parentibus, nempe *Fulvio* Comite de *Porcia*, & Domino *de Brugnara*, & *Laura de Maniacco*. Idem Pater ejus celeberrimis majorum suorum inhærens vestigiis, Ductor fuit exercituum pro Veneta Republica. At vero Leander noster in lucem editus die 24. Decembris anni 1673. in Oppido *Porciæ*, quod est præcipuum Feudum vetustissimæ Gentis suæ. Ibi annuente Episcopo sacra lustrali aqua ablutus fuit. Paterna in Domo pietatem, & literarum tyrocinia edoctus fuit. Deindè duodecimum agens annum Venetias mittitur, ubi in Seminario Patrum Congregationis de Somasca Rethoricæ, & Philosophiæ disciplinas avidisime investigavit. Sed triennio vix exacto Patavium pergit, ut inter Monachos Congregationis Benedictino - Casinensis reciperetur. Piis ejus precibus annuerunt illius Ordinis administri, expletoque in Cœnobio S. Justinæ ejusdem Civitatis solito probationis tempore, consueta vota solemniter emisit anno 1693.

Philosophiæ, quam jampridem didicerat, impensius incubuit. Theologiæ vero asiduam,
B & numquam intermissam navavit operam; vividique ejus ingenii præclara edidit specimina in publicis Thesibus, quas frequens exhibuit.

buit. In eodem Cænobio Patavino tradendæ ipse Theologiæ admotus fuit. Dogmaticam tamen professus est, non Scholasticam: Primusque is fuit in illo spectabili cætu, qui hanc altissimam facultatem ex Dialecticorum dumetis ad spatia liberioris campi palam revocaverit. Maximam nactus est existimationem nedum apud Instituti sui consodales, sed apud publicos illius Universitatis Professores. Præcipuum vero sui admiratorem habuit *Georgium* Cardinalem *Cornelium*. His fretus auxiliis proxime assumendus erat Lector in eadem celebri Universitate Patavina.

Ægre tamen ille à privatis ejus studiis, & à Religioso vivendi genere abducebatur. Libens propterea Romam evocatur, ut in Cænobio S. Calisti eamdem traderet Theologiam. Parem in Urbe invenit nominis celebritatem. Et natalium splendore, & Doctrinæ præstantia ipsi *Clementi XI.* Romano Pontifici acceptissimus fuit. Sacræ Indicis Congregationis Consultor admovetur, & Cænobii S. Pauli extra mænia Abbas renunciatur. Celebre illud Templum vetustate fatiscens multipliciter ornavit. Pavimentum humide extabescens instauravit, ac salubrius effecit. Magnificam Porticum, quæ jam ruinam minabatur, & vitium fecerat, in pristinum statum restituit. Cappellam S. Birgittæ ædificavit.

Mortuo *Clemente XI.*, assumptoque in Petri Cathedram *Innocentio XIII.*, fama ipse crevit, & opinione virtutis. Sæpe eum iste Pontifex præsertim in rebus Theologicis consiliarium habuit. Consultor datus est Congregationibus Visitationis Apostolicæ, & Sancti Officii. Plurimis hisce, discretisque auctus muneribus, cuncta tamen sibi impendentia negotia sedulo exequebatur. Quare *Benedictus XIII.* Virum hunc morum integritate, ætatis spatio, munerumque difficultate probatum, Bergomensi prius Ecclesiæ illum admovit, deindè die 30. Aprilis inter Purpuratos Patres adscripsit sub Titulo Presbyterali *S. Calisti*. Eum præterea Congregationibus adscripsit Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Visitationis Apostolicæ, Indicis Librorum prohibitorum, Sancti Officii, Indulgentiarum, Reliquiarum, Sac. Rituum, Disciplinæ Regularium, & Examinis Episcoporum.

At vero, ut his Congregationibus adesse posset, Ecclesiam Bergomensem dimisit, annuente Summo Pontifice, à quo in gravioribus S. Sedis negotiis adhibebatur. *Clemens XII.* Præfectum eum dixit eidem Congregationi Indicis Librorum prohibitorum. Ære alieno laborabant eo tempore celebre Xenodochium Sancti Spiritus in Saxia, & nummularia Mensa huic Xenodochio adjuncta. Idem *Clem. XII.* ut abusus evelleret, quos mala rei familiaris procuratio invexerat, Cardinalem Porciam elegit cum facultate Visitatoris Apostolici. Maximè ille adlaboravit in Urbis commune bonum, accitisque in sui auxilium aliquot Romanæ Curiæ Præsulibus, incredibili patientia, atque invicta constantia hujus publici Hospitii fortunam instauravit, erexit.

Mortuo *Clemente XII.*, dum Vaticana habebantur Comitia, atque in iis Cardinalis Porcia sedulam præstabat operam pro novo eligendo Pontifice; pertinaci, ac repentino pressus morbo, brevi paucorum dierum intervallo occubuit die 10. Junii anni 1740. Corpus ejus translatum fuit ad Ecclesiam ejus Titularem S. Calisti, ibique solemni, ac funebri pompa humatum fuit, tumuloque sequens adjecta fuit inscriptio.

D. O. M.

LEANDRO EX COMITIBVS DE PORCIA
S. R. E. CARDINALI
CÆNOBII PATAVINI SANCTÆ IVSTINÆ
MONACHO CASSINENSI
SANCTI PAVLI EXTRA MÆNIA
ABBATI BENEMERENTISSIMO
VIRO DOCTRINA CONSILIO
DEXTERITATE SPECTABILI
A CLEMENTE XI. ET INNOCENTIO XIII.
INDICIS INDVLGENTIARVM
VISITATIONIS APOSTOLICÆ
SANCTI OFFICII CONGREGATIONVM
CONSVLTORI
A BENEDICTO XIII.
EPISCOPO BERGOMENSI
ET CARDINALI RENVNCIATO
A CLEMENTE XII.
GRAVIORIBVS SEDIS ROMANÆ NEGOCIIS
ADHIBITO
INDICIS PRÆFECTVRA AVCTO
QVEM PVBLICO BONO PROCVRANDO
XENODOCHII SANCTI SPIRITVS IN SAXIA
AFFLICTIS REBVS RESTITVEN.
DILIGENTIA ROBORE
ANIMI ADLABORANTEM
INTEMPESTIVA MORS RAPVIT
VI. ID. IVN. ANN. MDCCXL.
ÆT. LXVI. MENS. VI DIEB. XVIII.
IOANNES ARTICVS
ET VVILLELMVS PORCIÆ COMITES
FRATRES AMANTISSIMI PP.
ANN. CHR. MDCCXL.

Nona Cardinalium Enunciatio

QUAM HABUIT

BENEDICTUS XIII.

Die 20. Septembris anni 1728.

Duo continet Cardinales, quorum nomina recensentur.

Petrus Aloysius Carafa. Neapolitanus.
Joseph Accorambonus. Spoletinus.





Petrus Aloysius Carafa Neapolitanus, Archiepiscopus Larissæ, Sac. Cong. Episcoporum, et Regularium Secretarius S.R.E. Episcopus Cardinalis creatus à SS.mo D.N. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 20. Septembris 1728.

Gaspar Massi Sculp.

XXIV.

PETRUS ALOYSIUS CARAFA Neapolitanus ex amplissima, Patriciaque Familia apud Historicos tum veteres, tum recentes satis commemorata, natus est die 4. Julii an. 1677. Patrem habuit *Franciscum Mariam* Principem *de Belvedere*, & Marchionem *de Anzi*, & à *Carolo II.* Hispanorum Rege inter Equites aurei Velleris cooptatum; Matrem vero *Joannam Grimaldi* filiam *Francisci* Principis *de Gerace*, quæ eidem *Francisco* Carafa in secundis nuptiis Uxor fuerat. Paterna in Domo, & A sub ipsa Patris censura, qui in eruditorum hominum cœtibus Neapoli, & Romæ maximè florebat commendatione virtutis (*a*), amœniores literas, & severiores didicit disciplinas. In Pontificatu *Innocentii XII.*, cui *Carafa* affinis erat, hunc secum adolescentem Romam traduxit, & die 19. Februarii anni 1699. inter Præsules Romanæ Curiæ recenseri impetravit. Ipsius Papæ Præsul etiam Domesticus dictus est.

A Clemente XI. vix ad Apostolatum assum-


(*a*) Francisci Mariæ Principis Carafa extant ejus opera Poetica inter Carmina Arcadiæ. Et extat ejus vita in Notitiis Historicis Arcadiæ Tom. 1. pag. 213.

pto Prolegatus Urbini designatur. Præerat eo tempore universæ Urbini Legationi Cardinalis *Marcellus de Aste*, qui, annuente eodem Pontifice, Legati de Latere retenta auctoritate, & Titulo, ad suam se receperat Anconitanam Ecclesiam. Hinc *Petrus Aloysius Carafa* integro fere triennio solus Provinciam administravit. Anno 1704. postquam Cardinalis *Sebastianus Tanarius* novus Urbini Legatus Provinciæ possessionem assumpserat, ipse Camerini Civitati Prætor datur. Biennio laudabiliter exacto, Anconam anno 1706. Gubernator traducitur. Ibi *Casimiram* Poloniæ Reginam Venetias petentem, & redeuntem bis liberali, ac Magnifico excepit hospitio.

Anno 1708. inter Clericos Cameræ Apostolicæ relatus est, atque anno 1711. Domui Præfectus major datus est Cardinali *Renato Imperiali*, quum ad *Carolum VI.* Cæsarem ex Hispania redeuntem, Mediolanum missus est cum Dignitate Legati de Latere. Hoc etiam Magistratu splendide gesto, anno 1713. Archiepiscopus dicitur Laryssæus, & Florentiam mittitur Nuncius Apostolicus. Quadriennio sedulam Apostolico Ministerio navavit operam; mox anno 1717. Romam revocatur, & ampliori muneri Secretarii de Propaganda Fide admovetur. Demum anno 1724. evecto ad Cardinalatus honorem Præsule *Vincentio Petra*, ipsi Carafa sufficitur in amplissimo munere Secretarii Congregationis Episcoporum, & Regularium.

Hac tandem felici die 20. Septembris anni 1728. inter Purpuratos Patres & ipse relatus est sub Titulo *S. Laurentii in Pane, & Perna*. Congregationibus datus est Episcoporum & Regularium, Propagandæ Fidei, Indicis Librorum prohibitorum, & Disciplinæ Regularium. Priorem Titulum immutavit, & die 16. Decembris anni 1737. ad alterum transiit *S. Priscæ*. Demum ad Albani Episcopatum gradum fecit. Ibi vigilantia Pastorali nedum tenuissimos illius Ecclesiæ reditus in pauperum alimoniam convertit, sed suo sumptu pio cultui propagando maximopere studet. Cœtum quarumdam optimarum mulierum, quæ vulgo *Magistræ Piæ* nuncupantur, constructa æde impensa trium millium scutorum amplificavit. Piis hisce operibus inhærens vivit adhuc morum suavitate, atque amicorum patrocinio laudatissimus.





IOSEPH S.R.E. EPISCOPUS
CARDINALIS ACCORAMBONUS SPOLETINUS
CREATUS DIE XX. SEPTEMBRIS MDCCXXVIII.
Obijt die 21. Martij 1747.

Petrus Nelli delin. *Gaspar Massi sculp.*

Dominicus de Rubeis Hæres Io. Iacobi formis Romæ ad Templ. S. M. de Pace cum Privil. Sum. Pont.

XXV.

JOSEPH ACCORAMBONIUS Spoletinus in Oppido ejuſdem Diœceſis Spoletinæ, quod *le Preci* nuncupatur, in lucem editus eſt die 24. Septembris anni 1672. Pater ejus, ut hunc vivacis ingenii adoleſcentem liberali educatione poſſet inſtituere, locum pro eo nactus eſt inter Alumnos, qui in Collegio Peruſino recipiuntur. Pluribus ibi deguit annis, donec feliciter emenſo ſtudiorum curriculo, in publica illius Civitatis Univerſitate ad vaſta Juriſprudentiæ ſpatia properavit. Intentum huic facultati adjecit animum, nec leves progreſſus fecit, itaut in ipſa Univerſitate Lauream Doctoralem promeruerit.

A Ut vero plenius in Legali facultate proficeret, Pater eum traduxit ad Civitatem Lucenſem; & ſub egregii nominis Advocato *Palma* juniore, eamdem Juriſprudentiam theoricè ſumptam, ad Forenſem uſum accomodavit. Sic in hac diſciplina optimè verſatus Romam venit, ut ſuæ dexteritatis in maximo Orbis Lycæo experimentum faceret. Vix ad Urbem appulſus à Præſule *Manieri* adjutor ejus ſtudiorum fuit aſſumptus. Rebus ſibi commiſſis ita ſe vigilem præbuit, ut nedum à Præ- B ſule, cui inſerviebat, maximi fuerit habitus, ſed etiam in Foro apud cæteros Cauſidicos exiſtimatione claruerit. Hinc Præſul *Anſaldus*

ma-

maximus quidem Judex, & Legum peritus, quique in Rotæ Romanæ Auditorio cæteros anteibat, *Accorambonium* elegit Assessorem suum. Ipse vero nec occasionem neglexit, nec inutiliter tempus absumpsit, sed sub optimo Præceptore latebras omnes Jurisprudentiæ investigavit. Idoneus est habitus, ut in arenam descenderet, & Advocati munus obiret.

Quo die *Accorambonius* Advocatus emersit, cœpit illico negociis affluere, & plurimi ejus doctrina certatim utebantur. Sors illi obtigit, ut Cardinalis *Michael Angelus de Comitibus* eum sibi delegerit Assessorem; & feliciori omine factum est, ut ipse Cardinalis de *Comitibus* Summus Pontifex fuerit renunciatus. Facilis hinc *Accorambonio* patuit aditus ad majores quasque dignitates capessendas. Confestim Subdatarius efficitur, Præsul etiam domesticus evulgatur, & Canonicus dicitur Vaticanæ Basilicæ.

Brevi è vivis erepto *Innocentio XIII.*, ab ejus Successore *Benedicto XIII.* in eodem munere Subdatarii confirmatur. Hujus quoque Pontificis nactus benevolentiam, præclarum munus Auditoris Papæ obtinuit. Insignem etiam assequutus est Abbatiam *S. Ilarii de Galeata*. Tandem die 20. Septembris anni 1728. inter Cardinales relatus est sub Titulo Presbyterali *Sanctæ Mariæ Transpontinæ*. Congregationibus etiam adscriptus est Sacri Concilii Tridentini, Rituum, Boni Regiminis, Episcoporum, & Regularium, Examinis eorumdem Episcoporum, Rerum Consistorialium, Avenionensis, & Lauretanæ. Episcopatu etiam donatur Ecclesiæ Imolensis.

Illuc rectâ perrexit, ut vigilantissimi Pastoris partes omnes expleret, Sacris supellectilibus Cathedralem ditavit, & Seminarium magno sumptu instauravit. Demum Episcopatum dimisit, ut Sacris Romæ Congregationibus adesset.

Joseph Fratrem habuit, & Agnatum Patruelem, qui eximiâ, qua ornatus erat, comitate, & prudentia, suam & ipse fortunam amplificavit, & in Aula Augusti Poloniæ Regis, & Ducis Saxoniæ egregiis fulsit dignitatibus. Nunc vero vestigiis illius insistens *Ignatius Accorambonius* Cardinalis nostri ex Fratre Nepos eamdem Sarmati Regis invenit benevolentiam, easdem quoque dignitates est assequutus.

Titulum, quem obtinuerat, Presbyteralem in alterum immutavit Episcopalem, & Tusculanus evasit Episcopus. Comitiis adfuit *Clementis XII.*, & BENEDICTI XIV. Tandem longa fatigatus infirmitate, vivere desiit die 21. Martii anni 1747. Corpus ejus translatum fuit ad Ecclesiam S. Ignatii, atque ibidem solemni ritu exequiæ celebratæ sunt, adstante Summo Pontifice BENEDICTO XIV., & universo Purpuratorum Patrum Collegio. Tumulatum exindè fuit propè Cappellam S. Aloysii Gonzagæ. Tumulo vero idem illius ex Fratre Nepos hanc adjecit Epigraphen.

D. O. M.
IOSEPHO S. R. E. CARDINALI ACCORAMBONIO
EPISCOPO TVSCVLANO
S. ALOYSII GONZAGÆ
EXIMIO CVLTORI
IGNATIVS COMES ACCORAMBONI
REGIS POLONIÆ CONSILIARIVS
PATRVO BENEMERENTI POSVIT
VIXIT ANN. LXXV.
DECESSIT XXI. MARTII AN. DOM. MDCCXLVII.

Decima Cardinalium evulgatio facta
A
BENEDICTO XIII.

Die 23. Martii anni 1729.

Unum habet Cardinalem, qui sequitur.



XXVI.

Camillus Cybo ex Principibus Massæ, & Carrariæ filius fuit *Caroli II.* Ducis Massæ Carrariæ, Monetæ, & Laventiæ, & *Theresiæ Pamphiliæ*, quæ ex Fratre Neptis erat *Innocentii X.* Romani Pontificis. Ab hisce eximiis Genitoribus in lucem editus est die 25. Aprilis anni 1681., atque Paterna in Domo clarissima in tota Italia piè ac liberaliter est institutus. Optimis usus est Præceptoribus. Sub eorumdem disciplina nedum literarum rudimenta posuit, sed ad majores etiam facultates progressus, mirificos in iis profectus fecerat. Philosophiam, & Theologiam funditus

A introspexerat, & multiplici Historiæ cum veteris, tum recentis notitia pollebat.

Piam vero, rebusque Divinis addictam indolem sortitus fuerat. Hinc, ut vitam arriperet Ecclesiasticam, Romam traducitur. Jurisprudentiæ etiam sub gravibus Caussidicis incubuit. Demum in Pontificatu *Clementis XI.* die nempe 19. Novembris anni 1705. Ordini Præsulum Romanæ Curiæ adnumeratus est. Brevi inter Clericos Cameræ Apostolicæ relatus est, indè ejusdem Apostolicæ Cameræ

B Auditor Generalis meruit renunciari. Anno 1718. Titulo etiam decoratus fuit Patriarchæ

Constantinopolitani. In Castro Gandulfi, atque in Fundo quodam suo Villam largo sumptu ædificaverat.

Anno 1721. in Pontificatu *Innocentii XIII.* optati impatiens præmii, & diutinæ dilationis pertæsus, amplissimo se abdicavit Magistratu Auditoris Cameræ. Vacuus hinc honoribus, & dignitatibus, ut privatam ageret vitam, & hominum convictum fugeret, Spoletum se contulit.

In Pontificatu *Benedicti XIII.* Romam rediit, & Præfecturâ Sacri Palatii Apostolici anno 1725. meruit cumulari, atque hac die 23. Martii 1729. inter Presbyteros Cardinales est assumptus sub Titulo *S. Stephani in Monte Cælio*. Congregationibus etiam est auctus Episcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Rituum Sacræ Consultationis, Boni Regiminis, Propagandæ Fidei, Indulgentiarum, atque Indicis Librorum prohibitorum. Protector etiam fuit nobilis Collegii Clementini.

Comitiis interfuit Vaticanis pro electione *Clementis XII.* A quo vix ad Apostolatum evecto, Magno PrioratuiRomano admotus fuit Religionis Hierosolymitanę, sed eo recusato, privatim maluit agere etiam in Statu Cardinalitio, & ut longius ab Urbe abesset, Cajetam secessit, atque in Agro Puteolano rusticatus est.

Non leves itidem controversias sustinuit cum Duce *Alderano* ejus germano Fratre, & cum Principe Mutinæ hæreditario, cui Filia Primogenita ejusdem Ducis *Alderani* nupta fuit cum futura successione ad Massæ, & Carrariæ dominia. Sibi enim licet Sacerdoti, tantisque Ecclesiæ dignitatibus cumulato, in defectum Masculinæ Prolis ipsiusDucis *Alderani*, restituenda ampla paterna dominia autumabat. Nec obstare putabat emissam ab eo renunciationem, utpote factam intuitu speratæ Prolis Masculinæ, non vero favore Fęminarum, quæ in extraneas Familias avita bona perducerent. Hujusmodi vero lites aucto annuo reditu, quem paterna ex Domo percipiebat, obmutuere.

Titulum *S. Stephani in Monte Cælio* in alterum immutavit *S. Mariæ de Populo*; atque hoc rursum relicto, ad alium ascendit *Sanctæ Mariæ Angelorum*.

Comitiis iterum adfuit Generalibus pro electione Benedicti XIV., sed quum Podagræ doloribus quotidiè vexaretur, exeunte anno 1742., & vires suas morbus exeruit, & tandem die 12. Januarii anni 1743. naturæ concessit; annos quum ageret 61. menses 8., & dies 18. Corpus ejus ad Ecclesiam delatum SS. XII. Apostolorum, justis exequialibus expiatum fuit, adstante Sacro Cardinalium Cœtu, atque ipso Summo Pontifice Benedicto XIV. Indè ad ejus Titularem Ecclesiam *S. Mariæ Angelorum* translatum fuit, ibique tumulatum, cum hac modesta Epigraphe, quam vivens sibi ipse conscripserat.

D. O. M.

HÆC REQVIES MEA
HIC HABITABO QVONIAM ELEGI EAM
IMMVNDVS VERMIS
CAMILLVS CYBO
VT VBI ERAT THESAVRVS
IBI ESSET COR MEVM.

Undecima Cardinalium enunciatio facta fuit

A

BENEDICTO XIII.

Diei 6. Junii anni 1729.

Et in ea duo Cardinales renunciati sunt, nempè.

Franciscus Burghesius. Romanus.
Frater Carolus Vincentius Maria Ferrerius. Niciensis.

Fran-



XXVII.

FRANCISCUS BURGHESIUS Romanus, præclaro ortus genere, undè Catholicæ Ecclesiæ *Paulus V.* Summus Pontifex affulsit, præstantes etiam, atque eximios habuit Genitores, scilicet *Marcum Antonium* Principem *Rossani*, & *Sulmonæ*, & *Liviam Spinola* filiam *Caroli* Principis *de Sancto Angelo*. Ex his amplissimis Parentibus natalia sortitus est die 20. Junii anni 1697.

Gravibus puer, atque eruditione clarissimis Præceptoribus datus est instituendus. Auditor præsertim fuit præstantis Viri ex Domi- A nicana Familia *Fratris Ignatii de Graveson*, cujus egregia scripta nitidius ipse, atque elegantioribus literarum formis recudi curavit. Tanto sub præceptore publicè in Cœnobio Minervitano Doctoratus insignia retulit in Theologica facultate. Nec multo post simili Populi frequentiâ in Archigymnasio Romano Jurisprudentiæ lauream accepit.

Præsulum indè Romanæ Curiæ Ordini adscriptus, benè auspicata sub *Benedicto XIII.* B posuit initia. Anno enim 1726. evecto ad Sacræ Purpuræ honorem *Francisco Finio*, ipse illi

sufficitur in amplissimo munere Præfecti Cubiculo Apostolico. Titulo etiam Archiepiscopi Trajanopolitani decoratus fuit. Rursus inter Cardinales relato eximio Presule *Camillo Cybo*, illum similiter excepit anno 1729. in officio Præfecti domui Pontificiæ. Nec diutinæ passus est dispendia moræ. Tribus enim mensibus ab inito hoc eximio Magistratu, Sacro Cardinalium Cœtui & ipse adjectus est hac die 6. Julii an. 1729. Titulo donatus fuit Presbyterali *S. Silvestri in Capite*, ex quo deinde A ad alium gradum fecit *S. Mariæ Transtyberim*.

In Congregationibus relatus est Boni Regiminis, Sacræ Consultationis, Aquarum, Rituum, Immunitatis Ecclesiasticæ, Indicis Librorum prohibitorum, & Rerum Consistorialium. Protector est Cappellæ *Paulinæ* in Basilica Liberiana, Ecclesię, & Nationis Senensium, Collegii Clementini, Collegii Salviati, aliorumque in Urbe Locorum Piorum. Firma adhuc viget valetudine, ejusque Deus incolumitati diut ius prospiciat.



FFA-



Fr. Carolus Vincentius Maria Ferreri, Niciensis in Provincia Provinciæ, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Alexandrinus, S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmõ Dñõ Nrõ BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 6. July 1729

Obyt die 9. Decembry 1742

Clementina pinx — *Gaspar Massi sculp*

Laur.s Philipp.s de Rossi Calcographus Vatic. Filiu.s q. Dom.ci Heredis Io Iacobi form. R.a ad T S M de Pace cum Priv S P

XXVIII.

FRATER CAROLUS VINCENTIUS MARIA FERRERIUS Niciensis die natus est 13. Aprilis anni 1682. Nobilis hæc Ferreria Familia, quæ Niceæ consedit, alteri est agnata, quæ primum in Civitatem *Montis Regalis* (*a*) inde in alteram Augustæ Taurinorum domicilium invexit; quæque satis inclaruit sub cognomento *Ferreri de Ormea*. Utraque vero optimis fulgens affinitatibus, ab altera in Regno Valentiæ in Hispaniis degente, orianda dicitur. A

Carolus Vincentius Patrem habuit *Bartholomæum*, Matrem vero .... *de Taum* B spectatæ nobilitatis Fæminam. Piè propterea a Parentibus, ac liberaliter institutus, morum integritate, & vitæ castimonia cœpit enitere. Quare vix pueritiam egressus summa ope ab iisdem Genitoribus impetravit, ut inter Fratres Dominicanæ Familiæ reciperetur.

Exacto probationis anno, votis illius Ordinis se obstrinxit; inde vero adeo in Theologica facultate profecit, ut ad docendum cæteros sodales suos Lector Theologus fuerit assumptus. Mox auxilio fretus Marchionis *de Ormea* affinis sui, quique maximis in Aula Regis

(*a*) Mondovì, quæ etiam *MonsVici* Latine dicitur.

Victorii Amadei II. fulgebat titulis, & dignitatibus, in Taurinensi primum Academia publicus Theologiæ professor est renunciatus, deinde anno 1727. vacanti Alexandrinæ Ecclesiæ admotus fuit. Ut Romam pervenit, eum *Benedictus XIII.* ejusdem Dominicanæ Familiæ excepit comiter, ac perurbanè, suaque manu in Episcopum consecravit. Ut vero in Cathedræ suæ possessionem advenit, pastorali incubuit ministerio, atque ope ejusdem Marchionis *de Ormea*, quem semper fautorem habuit, ad majora etiam meruit excitari. Is enim, qui jam apud *Benedictum XIII.* Regii administri munere strenue, ac feliciter functus fuerat, quique apud ipsum Sardiniæ Regem majori in dies authoritate pollebat & gratia, tantum consilio potuit, ut hunc arcta sibi sanguinis propinquitate conjunctum, impulsu fere suo, ad Sacræ Purpuræ honorem evexerit. Volebat enim *Benedictus XIII.*, ut eumdem Sardiniæ Regem majori benevolentia prosequeretur, aliquem ex suis subditis inter Cardinales referre. Quare Marchio *de Ormea* in animum Regis induxit, ut Episcopum Alexandrinum Pontifici enixè commendaret. Regis voluntati libenti prorsus animo assentitus est Summus Pontifex, quod virum sibi acceptum extolleret, atque universo Prædicatorum Ordini novum adderet ornamentum. Hac igitur die 6. Julii an. 1729. Cardinalis est renunciatus.

Ut pileum assumeret Cardinalitium, iterum Romam venit. Tunc etiam Titulum obtinuit Presbyteralem *S. Mariæ in Via*, & cœtibus Cardinalium adjectus est, Episcoporum, & Regularium, S. Officii, Examinis Episcoporum, Disciplinæ Regularium, Immunitatis Ecclesiasticæ, & Sacrorum Rituum. Eodem anno 1729. die 23. Decembris ex Episcopatu Alexandrino ad Vercellensem Ecclesiam translatus est. Novis præterea Regis beneficiis est auctus. Abbas quippe dictus fuit *Sanctæ Mariæ de Caburro* (*a*), & *S. Mauri Taurinensis*. Nominatus etiam fuit ad Abbatiam *S. Stephani* Iporegensis (*b*), sed hæc postrema nominatio effectu caruit. Romæ siquidem obortæ iterum controversiæ in Pontificatu Clementis XII. circa res beneficiarias Cardinalem prohibuerunt, quin pacificam hujus Sacerdotii possessionem nancisceretur. Ipse vero postquam plures per annos commissi sibi Pastoralis officii naviter partes omnes expleverat, tandem dirâ phthisi consumptus obiit in ipsa Urbe Vercellensi die 9. Decembris anni 1742., atque in illa Ecclesia majori sepultus est, anno ætatis suæ 61. nondum exacto.

Bis Vaticana celebravit Comitia, nempè pro electione Clementis XII., & BENEDICTI XIV.

Duodecima & ultima Cardinalium Promotio

QUAM HABUIT

BENEDICTUS XIII.

Die 8. Februarii 1730.

Unum continet Cardinalem, qui sequitur.



S. Jos. Della Bella In.

ALA-

(*a*) S. Maria de Cavorre. (*b*) S. Stefano d'Ivrea.



ALAMANNVS S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS SALVIATI
FLORENTINUS SIGNATURÆ JUSTITIÆ PRÆFECTUS
CREATUS DIE VIII. FEBRUARIJ MDCCXXX.
Obijt die 24. Februarij 1733.

Petrus Nelli pinxit. *Gaspar Massi Sculp.*

Laurentiũ Philippũ de Rubeis Calcographus Vaticanus Filius q. Dominici Hæredis Io. Iacobi form. R.ᵒ ad T. S. M. de Pace cum Priv. S.P.

XXIX.

ALAMANNUS SALVIATUS Florentinus die natus eſt 22. Martii anni 1669. Patrem habuit *Vincentium*, qui fuit Marchio *Montieri* & *Becchigiani*, & Regio *Coſmi III.* Etruriæ Magni Ducis Palatio Præfectus, Matrem vero *Lauram Corſi* lectiſsimam Matronam. Quod ad vetuſtatem, & gloriam præclariſsimæ ejus Familiæ ſpectat, ſatis eſt recenſere eam omni ævo egregiis pace, belloque viris, opibus, Titulis, & præſtantiſsimis affinitatibus claruiſſe; quas inter affinitates, ea præcæteris A adnumeranda eſt, quæ hanc egregiam Domum iteratis Nuptiis cum Regia Domo Medicea Cognatione conjunxit. (*a*) Quare medio Catharinæ Mediceæ Francorum Reginæ cum Chriſtianiſsima ipſa Domo Galliæ regnatrice affinitas eſt propagata. Tres alios percenſet inclytos Cardinales *Joannem*, *Bernardum*, & *Antonium Mariam* (*b*) quamplurimos Epiſcopos, & ſtrenuos exercituum ductores, & Oratores ad Reges potentiſsimos, & plurimos in Republica Florentina Senato res

fi-

(*a*) Gamurrinus Familiar. Etrur. Tom. 3. & ex Archivo Regio Mediceo Florentino, & ex Archivo Domus Salviatæ.
(*b*) Ciacon. ultimæ Rom. editionis Tom. 3. p. 405. & 907. & Tom. 4. p. 79.

fide, & gravitate, & rerum præclare gestarum copia commemoratos.

Talibus eductus Majoribus *Alamannus* noster tenera in ætate optimis Præceptoribus erudiendus traditur. Grandior inde factus Senas mittitur in Collegio, quod *de Ptolomæis* nuncupatur. Demum ad altissimas Disciplinas, Philosophiam scilicet, Theologiam, & Jurisprudentiam in celebri Pisana Universitate gradum fecit. Clarorum virorum *Josephi Averanii*, *Paschasii Giannetti*, aliorumque ea tempestate præstantium Auditor fuit. Florentiæ vero *Vincentium Viviani*, *Laurentium Magalottum*, *Laurentium Bellinium*, *Franciscum Redium*, *Antonium Mariam Salvinium* pluresque alios eruditione præclaros, in deliciis habuit, & familiaritate. Pisis autem ab eodem *Josepho Averanio* Laurea Doctorali donatus fuit anno 1696., & laudatus luculenta Oratione, quæ adhuc per ora manusque Doctorum hominum traducitur. Ipse quoque ornatissimus adolescens nitidam Orationem habuit Florentiæ in Ecclesia S. Laurentii, quam in Funere Serenissimæ *Victoriæ Roboreæ* coram Principibus viris, Populoque frequentissimo recitavit (*a*).

Mirificus in illo fuit amor Doctrinarum, & Doctorum hominum usus, & amicitia. Eorum studia, & labores promovit, eorum indigentiam levavit, erexit. Cœtus omnes literatorum hominum frequentavit, illum vero præcipuè, qui Etruscæ præsidet linguæ, patrioque sermone = *della Crusca* = vocatur, ejusque nitorem, & elegantiam ab omni verborum illuvie intactam conservat. Hujus celebris Academiæ à Secretis fuit renunciatus, & quoad vixit, in hoc munere permansit; sed quanta in eo fuerit literarum cura, & diligentia, præstat audire clarissimum virum *Vincentium Viviani* (*b*) ita de eo loquentem: *Alamannum Salviati, qui in literas amore, propensaque in Literatos homines benignitate majores suos æmulatur; nam qua beneficentia præstantissimus, omnique ævo memorandus Philippus Salviatus clarissimum Geometriæ, Astronomiæ, Philosophiæ lumen Galilæum amplexus est; eadem ipse prosequitur me novissimum Galilæi discipulum, observat, ac diligit* (*c*).

Exacta adolescentia cultiores Europæ Provincias peragravit; & studio lustrandi Europam Aulas maximorum Principum, & clariores Academias inspexit. In Gallia, in Belgio, in Anglia moram traxit. In Lotharingia *Leopoldum* Ducem Regio *Cosmi III.* Magni Etruriæ Ducis nomine salutavit, illique bene precatus est occasione nuptiarum ab eo initarum cum *Elisabeth Carlotta Aurelianensi*.

Redux in Patriam consuetam servavit vivendi methodum. Consessibus Literatorum hominum sæpe aderat. Ipse Domi suæ Academiam quamdam instituerat, qua dicta & sententiæ veterum Oratorum, & Poetarum excipiebantur, notisque illustrabantur, vicissim vero pietati, & muneribus Christiano homini impendentibus sedulo incumbebat. In egenos effusissimus erat. Tanta in eos flagrabat caritate, & misericordia, ut ejus medico *Joanni Rossi* præceperit, ne a quopiam paupere mercedem reciperet, eorumque æs alienum hoc mercedis nomine contractum, in se suscepit. Familiaribus ęgrotantibus inserviebat. Hoc sæpè dictitans = *mutua esse hominum officia, ut famuli si valeant Dominis ministrent, vicissim vero subvenientur, si morbo correpti sint*.

Hæc illi fuit morum integritas, & vitæ institutum usque ad annum ætatis suæ 37. At mortuo ejus germano Fratre *Joanne Salviato* Præsule in Romana Curia præstantissimo, affines, amicique ejus in animum illi induxerunt, ut eamdem vitæ rationem arriperet, & spem excitaret maximarum Dignitatum ex morte Fratris ereptam. Sic aliorum impulsu, non sibi morem gerens, Romam venit, atque anno 1707. die 24. Septembris in Albo Præsulum Romanorum receptus fuit. Prothonotarius dictus fuit de numero Participantium.

Eodem anno 1707., ut Duci Brittanniæ minoris nuper nato, qui filius erat Ducis Burgundiæ Fascias offerret, & Benedictionem Pontificio nomine impertiret, in Gallias mittitur extra ordinem Nuncius. Gratum Regi *Ludovico XIV.*, Regiæque Domui officium exhibuit. Tanta in Galliis egit comitate, atque animi magnitudine, ut Regni Optimates arctissima sibi consuetudine, & familiaritate devinxerit. Cum ipso Cardinali *de Noailles* amicitiam instituerat. Atque ita Cardinalis ille delectabatur Alamanni candore, & integritate, ut non semel exoptaverit gravissima Religionis, & Quesnellianæ controversiæ negocia cum eo pertractare, & res in maxima perturbatione positas ad concordiam revocare.

Sic fidus Pontifici, & Gallis gratissimus, ubi prima se tulit occasio, ab eodem *Clemente XI.* Prolegatus dictus fuit Avenionis, & Status Venaissini. Pietati intentus justitiam undequaque promovit; Comitate vero, mansuetudine, & liberalitate populum habuit benevolum, & sui studiosissimum. *Jacobum III.* Magnæ Brittanniæ Regem vi pacificationis, ab Anglis cum Ludovico Rege sancitæ, à Galliis expulsum, honorificè excepit in ipsa Avenionis Civitate. In hujus deindè Regis patrocinium & clientelam receptus, eoque apud Pontificem promovente, Urbini, & Metaurensium ditionis Præses renunciatur. Pluribus ibi mansit annis Justitiæ vindex, & Comitatis Magister. Omnia hæc munera ad hoc usque tempus ære proprio, magnoque sumptu sustinuit. Donec tandem exeunte *Benedicti XIII.* Pontificatu

(*a*) Joseph Averanius in Oration. citata in fin.
(*b*) De locis solidis secunda divinatione in Aristæum in Epistola nuncupatoria ad Lectorem.
(*c*) Galilæus in Villa Philippi Salviati nuncupata *delle Selve* suas observationes Astronomicas conficiebat.

A ficatu, Romam advenit. Papę quidem ignotus erat, licet anteactis laboribus & natalium splendore perspectus esset; sed Pontifex virum suspiciens ætate gravem, moribus sincerum, atque integerrimum, parum cunctatus est. Libens eum Sacro Cardinalium Collegio adscripsit die 8. Februarii anni 1730. Tituloque insignivit Presbyterali S. Mariæ in *Ara Cœli*. Congregationibus etiam adjecit Sacri Concilii Tridentini, Immunitatis Ecclesiasticæ, Propagandæ Fidei, & Sacrorum Rituum,

B Paucis ab ejus promotione diebus vivere desiit *Benedictus XIII.* Vaticana igitur Comitia ingressus est Cardinalis Salviatus, amplissimaque perfusus est voluptate ex electione Cardinalis *Laurentii Corsini* affinis sui, qui sub nomine *Clementis XII.* Apostolatum accepit. Præclara quidem novus Pontifex in eum beneficia congessit. Nonnulla pinguia Sacerdotia illi contulit. Urbini Provinciam, quam Præsul administraverat, cum majori Legati de Latere dignitate regendam dedit. Præfecturam

C quoque Signaturæ Justitiæ illi attribuit, quam ex ejus ad Apostolatum assumptione Pontifex dimiserat.

Congregationibus, quibus fuerat adscriptus, sedulo incumbebat. Tunc me rudem istarum rerum Scriptorem in suum Assessorem, & studiorum adjutorem assumpsit. Solâ honoris causâ munus accepi, quo tempore Pontificii Cubiculi honore à *Clemente XII.* auctus fueram. Sic Cardinali Salviato obsequium exhibui. Blandâ contentus ejus voluntate, & comitate, quâ cunctorum animos alliciebat; gra-

D via ipsi impendentia munera obire potius didici, quam obiverim. Ipse enim maximè rerum gnarus, & longâ experientiâ probatus, quid in obvenientium Causarum cognitione agendum foret, statim monstrabat.

Sic ille honestissimam, piissimamque egit vitam usque ad annum 1733., quo lethali pressus infirmitate, nuncium instantis mortis accepit impavidus. Laborabat intestinorum inflammatione. Quare sanctæ oppetendæ morti unicè studens, Sacris ritè munitus, post toleratos plurium dierum cruciatus, placidissimè occubuit die 24. Februarii ejusdem anni 1733. Corpus ejus honorificè translatum fuit ad Ecclesiam ejus Titularem S. Marię in *Ara Cœli*, ibique adstante, & funeris solemnia agente Sacro Purpuratorum Patrum Senatu, conditum fuit loco depositi. Tandem, ut ipse Testamento suo caverat, Florentiam translatum fuit, & in Ecclesia S. Marci, atque in magnifico Sacello S. Antonini ejus clarissimæ Familiæ gentilitio sepultum fuit cum hac Inscriptione.

ALAMANNVS
TITVLI S. MARIÆ IN ARA COELI
S. R. E. PRESB. CARD. SALVIATI FLORENTINVS
APVD GALLIARVM REGEM
EXTRA ORDINEM NVNCIVS
AVENIONIS PROLEGATVS
VRBINI PRÆSES
ET MOX AMPLISSIMA DIGNITATE LEGATVS
ET SIGNATVRÆ IVSTITIÆ PRÆFECTVS
OBIIT VI. KAL. MARTII
ANNO DOMINI MDCCXXXIII.
ÆTAT. SVÆ LXIII. MENS. XI. DIES XI.

Florentiæ nitida laudatus fuit Oratione.

Cardinalis *Alamannus Salviatus* honorificè commendatus est à *Comite Laurentio Magalotti* in Epist. 10. inter ejus scientificas; à *Vincentio Viviani* loco citato; à Benedicto Menzini Prosa 9. Acad. Tusculanæ.



Cardinales mortui in Pontificatu Benedicti XIII.

1 Sebastianus Antonius Tanarius Bononiensis Decanus Sacri Collegii, creatus ab Innocentio XII. die 12. Decembris 1695. ob. tempore Comitiorum die 5. Maii anni 1724.

2 Horatius Philippus Spada Lucensis Tituli Sancti Honuphrii Episcopus Auximanus, creat. à Clemente XI. die 17. Maii 1706. ob. Romæ die 28. Junii 1724.

3 Franciscus Acquaviva Tituli S. Cœciliæ Neapolitanus, creat. à Clemente XI. die 17. Maii 1706. ob. Romæ die 8. Januarii 1725.

4 Christianus Augustus è Ducibus Saxoniæ, creat. à Clemente XI. die 17. Maii 1706. ob. Ratisbonæ die 22. Augusti 1725.

5 Joseph Vallemanus Fabrianensis Tit. Sanctæ Mariæ Angelorum, creat. à Clemente XI. die 17. Maii 1706. ob. Romæ die 15. Septembris 1725.

6 Franciscus Judice Neapolitanus Episcopus Ostiens. & Velit., & Sacri Collegii Decanus, creat. ab Alexandro VIII. die 13. Februarii anni 1690. ob. Romæ die 10. Octobris 1725.

7 Joannes Baptista Ptolomęus Pistoriensis Tituli S. Stephani in Monte Cœlio, creatus à Clemente XI. die 18. Maii 1712. ob. Romæ die 19. Januar. 1726.

8 Julius Piazza Foroliviensis Tituli S. Laurentii in Pane, & Perna, creat. die 18. Maii 1712. ob. Ravennæ in suo Episcopatu die 23. Aprilis 1726.

9 Laurentius Fliscus Genuensis Tituli Sanctę Mariæ de Pace, creatus à Clemente XI. die 17. Maii 1706. ob. Genuæ in suo Archiepiscopatu die 1. Maii 1726.

10 Fabritius Paulutius Foroliviensis Episcopus Ostien., & Velitern. Decanus Sacri Collegii, creatus ab Innocentio XII. die 22. Julii 1697. ob. Romæ die 12. Junii 1726.

11 Galeatius Marescottus Romanus Tit. Sancti Laurentii in Lucina, Prior Presbyterorum, creat. à Clemente X die 17. Maii 1675. ob. Romæ die 3. Julii 1726.

12 Bernardinus Scottus Mediolanensis Tituli S. Petri in Monte Aureo, Signaturæ Justitiæ Præfectus, creat. à Clemente XI. die 29. Maii 1715. ob. Romæ die 16. Novembris 1726.

13 Joannes Baptista Bussius Viterbiensis Tit. S. Mariæ in Ara Cœli Episcopus Anconitanus ob. Romæ die 23. Decemb. 1726.

14 Joseph Sacripantes Narniensis Tit. Sancti Laurentii in Lucina, creatus ab Innocentio XII. die 12. Decembris 1695. ob. Romæ die 4. Januar. 1727.

15 Joannes Patritius Romanus Tit. SS. Quatuor Coronatorum, creat. à Clem. XI. die 16. Decembris 1715. ob. Ferrariæ, ubi erat de Latere Legatus die 31. Julii 1727.

16 Carolus Augustinus Fabronus Pistoriensis Tit. S. Augustini, creat. à Clemente XI. die 17. Maii 1706. ob. Romæ die 19. Septembris 1727.

17 Petrus Priolus Venetus Tit. S. Marci Episcopus Bergomensis, creat. à Clem. XI. die 17. Maii 1706. ob. Bergomi die 22. Januar. 1728.

18 Nicolaus Caracciolus Neapolitanus Tituli SS. Silvestri, & Martini in Montibus Archiepiscopus Capuanus, creat. à Clemente XI. die 16. Decembris 1715. ob. die 7. Februarii 1728.

19 Ulysses Joseph Gozzadinus Bononiensis Tit. S. Crucis in Hierusalem. Ob. Imolæ ubi erat Episcopus die 20. Martii 1728.

20 Philippus Antonius Gualtierius Urbevetanus Tit. S. Praxedis, creat. à Clemente XI. die 17. Maii 1706. ob. Romæ die 21. Aprilis 1728.

21 Frater Laurentius Cozza à Sancto Laurentio Diœcesis Montis Falisci Fratrum Minorum de Observantia Tituli S. Mariæ de Ara Cœli, creat. à Benedicto XIII. die 9. Decembris 1726. ob. Romæ die 18. Januarii 1729.

22 Joannes Baptista Salernus Cosentinus è Societate Jesu Tituli S. Stephani in Monte Cęlio, creatus à Clemente XI. die 29. Novembris 1719. ob. Romæ die 30. Januar. 1729.

23 Ludovicus Antonius de Noailles Gallus Archiepiscopus Parisiens. Tit. S. Mariæ supra Minervam, creat. ab Innocentio XII. die 21. Jun. 1700. ob. Parisiis die 4. Maii 1729.

24 Frater Gregorius Selleri ex Oppido Panicalis Agri Perusini Tit. S. Augustini, creatus à Benedicto XIII. ob. Romæ die 30. Maii 1729.

25 Joannes Franciscus Barbadicus Venetus Tit. SS. Petri, & Marcellini Episcopus Patavinus, creat. à Clem. XI. die 29. Novembris 1719. ob. Patavii die 26. Januar. 1730.

26 Marcus Antonius Ansideus Perusinus Tit. S. Augustini Episcopus Perusinus, creat. à Benedicto XIII. die 9. Decembris 1726. ob. Romæ die 14. Februar. 1730.

27 Frater Augustinus Pipia Arboren. in Sardinia Ordinis Prædicatorum Tit. S. Mariæ supra Minervam, creat. à Benedicto XIII. die 20. Decembris 1724. ob. Romæ die 21. Februar. 1730. Eadem die, qua mortuus est Benedictus XIII.

Quatuor in Sacro Collegio Sedes vacuas invenerat Benedictus XIII. Aliam ex ejus assumptione ad Apostolatum vacuam fecit. Septem vero supra viginti Sedes vacarunt in toto ejus Pontificatu. Hinc quum 29. Cardinales creaverit, tres idcirco vacuas Sedes reliquit.

Ra-

Rariora Numismata, quæ in Pontificatu Benedicti XIII. sunt cusa.

I.

BENEDICTVS XIII. PONT. MAX. A. I.
DOMINVS ILLVMINATIO MEA = ELECTVS DIE XXIX. MAII. CORONAT. DIE IV. IVNII. MDCCXXIV.

Electionis Benedicti XIII., ejusque Coronationis universum negotium retuli superius Tom.2. pag.409. Ad hoc refertur præsens Numisma, quod distributum fuit ipsâ die 4. Junii, qua fuit coronatus.

II.

BENEDICTVS XIII. PONT. M. A. I.
QVID VOLO NISI VT ACCENDATVR.

Postica S. Dominicum habet in nubibus, alluditque stemmati Dominicanæ Familiæ, quod Canem exhibet ferentem facem in ore accensam.

III.

BENEDICTVS XIII. P. M. A. I.
DE RORE COELI.

Rosa in postica expressa præclaræ Ursinorum Gentis stemma refert.

IV.

BENEDICTVS XIII. PONT. MAX. A. I. = Eadem antica pars circulum habet cum hac Epigraphe = SS. XII. APOST. ECCLESIA PER IPSVM CONSECRATA.
DOMINVS ILLVMINATIO MEA = & in simili magno circulo postica exhibet = PONTIFICATVS ANNO PRIMO DIE XVII. MENSIS SEPTEMBRIS MDCCXXIV. =

Prima Ecclesia, quam consecravit Benedictus XIII. post adeptum Pontificatum, fuit illa SS. XII. Apostolorum, quæ à Pio II. Minoribus Conventualibus concessa fuit.

V.

BENEDICTVS XIII. PONT. M. A. I.
HAVRIETIS CVM GAVDIO DE FONTIBVS SAL. IVBILÆI INDICTIO MDCCXXIV.

Ut eamdem Jubilæi indictionem Numisma referat, & peculiaria auspicia sex ante menses facta; mulierem habet postica alterâ Crucem, alteraque manu Calicem tenentem, è quo aquam effundit supra globum ad ejus pedes positum, Orbemque Christi Fidelium universum exprimentem, cui benedicere videtur.

VI.

BENEDICTVS XIII. P. M. AN. IVBIL. = inferius = Hamerani.
CAROLO MAGNO ROMANÆ ECCLESIÆ VINDICI = in exergo = ANNO IVBILÆI MDCCXXV.

Equestrem Caroli Magni statuam habet postica, quam Augustinus *Cornacchini* Florentinus sculpsit, & Benedictus XIII. locavit in magna Porticu Basilicæ Vaticanæ è conspectu alterius Equestris statuæ Constantini Magni, quam clarus Artifex Eques *Berninius* jampridem effinxerat, & ad lævam ejusdem Porticus posuerat.

VII.

BENEDICTVS XIII. P. M. AN. IVBIL.
FLVENT AD EVM OMNES GENTES.

Ad eamdem Jubilæi solemnitatem pertinet Numisma, & Basilicæ Vaticanæ aspectum refert, & Lupam puerum lactantem.

VIII.

BENEDICT. XIII. P. M. AN. IVBIL.
DOMVS DEI ET PORTA COELI.

Pontifex Portam Sanctam reserans in postica exprimitur.

IX.

BENEDICT. XIII. P. M. AN. II.
PER ME SI QVIS INTROIERIT SALVABITVR.

Eadem Porta Sancta, & ante eam Christus, & multa Peregrinorum multitudo.

X.

BENED. XIII. P. M. AN. II. MDCCXXV.
BENEDIXIT FILIIS IN TE.

Idem Pontifex Portam Sanctam claudit.

XI.

BENEDICTVS XIII. PONT. M.
IVB. DEO OMN. TER. MDCCXXV. = inferius = TRAVANVS =.

Ad eamdem Jubilæi solemnitatem refertur Numisma, de qua latius dixi superius Tomo 2. pag.414., & pag.415.

XII.

BENEDICTVS XIII. P. M.
SS. PETR. ET PAVL. = ROMA =.

Eorumdem SS. Apostolorum effigies.

XIII.

BENEDICTVS XIII. P. M. AN. IVBIL.
D. O. M. BENEDICTVS XIII. PONT. MAX. PRI-

MVM LAPIDEM IMPOSVIT DE MENSE MARTII MDCCXXV.

Hoc Numiſma, quum primum poſuit lapidem Noſocomii S. Gallicani, Benedictus XIII. jecit in fundamenta hujus ædificii, cujus aſpectus cernitur in poſtica.

XIV.

BENEDICT. XIII. P. M. AN. III.

EREXIT IN TITVLVM = Jacob effundens oleum in petram, ut Deo ſacrificet, ſuperius inſcriptum eſt = GEN. VI. XXVIII. = in exergo = MDCCXXVI.

Pius iſte Pontifex uſum habuit aſſiduum conſecrandi Eccleſias, Altaria, Campanas, & quotquot vaſa ſacra illi exhibebantur. Idque potiſſimum Numiſma refert.

XV.

BENEDICT. XIII. PONT. M. A. III.

BEATVS QVI INTELLIGIT SVPER EGENVM ET PAVPEREM.

Ad exprimendam Pontificis in pauperes charitatem, eumdem poſtica refert publicè varios inopes audientem.

XVI.

BENEDICTVS XIII. PONT. MAX.

FVLCITE ME FLORIBVS MDCCXXVI.

Ad Roſam alludit poſtica, quæ eſt in Gentilitio Urſinorum ſtemmate.

XVII.

BENED. XIII. P. M. A. IV.

COR NOSTRVM DILATATVM EST = inferius = S. MARIÆ ET S. GALLICANI NOSOCOMIVM.

Abſoluto *S. Gallicani* ędificio, de quo ſuperius dictum eſt, alterum hoc Numiſma cuſum eſt. In ipſo Noſocomio Benedictus XIII. ſcabie, & porrigine laborantes curari juſſit.

XVIII.

BENEDICTVS XIII. P. M.

S. ELENA IMPER.

Imaginem poſtica exhibet piæ hujus Imperatricis ſtantis, dexteraque manu Crucem tenentis.

XIX.

BENEDICTVS XIII. P. M.

EGO SVM PASTOR BONVS = inferius = TRAVANVS =.

Chriſtus ovem bajulans in poſtica aſpicitur ad exprimendam Paternam Pontificis curam, quâ lapſos, vel aberrantes ad viam reducere ſatagebat.

XX.

BENEDICTVS XIII. PONT. MAX.

SVOS PROPRIO SANGVINE PASCIT

A Solitum Pellicani ſymbolum refert poſtica, qui roſtro pectus lacerat, filiiſque ſuis ſanguinem bibendum præbet, atque ad eamdem Pontificiam charitatem alludit.

XXI.

BENEDICTVS XIII. P. M. AN. IV.

TV DOMINVS, ET MAGISTER = in exergo = EXEMPL. DEDI VOBIS.

In aliis etiam Pontificibus hoc numiſma eſt explicatum. B

XXII.

BENEDICTVS XIII. P. M.

CORPORE S. FLAVII CLEMENTIS EXCONSULIS, ET MARTYRIS ELEVATO MDCCXXVII = inferius = HEDLINGER.

Cardinalis Annibalis Albani ſtemma cernitur in poſtica. Hic enim ampliſſimus Cardinalis Clementis XI. Fratris filius, titulum obtinens hujus Eccleſiæ S. Clementis, effoſſo ad Aram Principem pavimento, ejuſdem *S. T. Flavii Clementis* oſſa reperit; eadem vero Benedictus XIII. piè condidit nova urna marmorea, quam ipſe Cardinalis Albanus nitidè extruxerat. C

XXIII.

BENEDICTVS XIII. PONT. MAX.

Idem Cardinalis Albanus veſtigiis inhærens Patrui ſui Clementis XI. bonarum artium fautoris eximii, hoc numiſma cudi impetravit, ut earumdem artium cultoribus ab Academicis S. Lucæ diſtribueretur. Propterea S. Lucam pingentem poſtica refert. D

XXIV.

BENEDICTVS XIII. P. M.

S. PATER BENED.

S. Benedictus Abbas aſſurgit in poſtica ſtans, cum baculo paſtorali, ut nomini hujus Pontificis alludat, eximioque cultui, quo hunc Sanctum Abbatem idem Pontifex proſequebatur. E

XXV.

BENEDICTVS XIII. P. M. A. V.

ERGASTVLVM CENTVMCELLENSE MDCCXXVIII.

Ne Clerici, aliique Sacerdotes graviorum ſcelerum noxii ad triremes una cum laicis damnarentur, ut hactenus fieri conſueverat, Ergaſtulum Corneti Benedictus XIII. inſtauravit, quo Eccleſiaſtici viri detruderentur; cavitque ne graviori pæna Sacerdotes afficerentur; ut dixi ſuperius Tom. 2. pag. 424. litt. C. F

XXVI.

BENEDICTVS XIII. P. M. A. VI.

APOTHEOSIS IN LATERAN. S. IOANN. NEPOM. MDCCXXIX.

Et-

Etnico hoc vocabulo ἀποθεώσεως numiſma utitur ad exprimendam ſolemnitatem, qua Benedictus XIII. Sanctorum Canoni adecit *B. Joannem Nepomocenum* Canonicum Pragenſem, ut dictum eſt in vita hujus Pontificis Tom. 2. pag. 416. litt. C. Verè tamen hoc vocabulum *inter Divos relationem* ſignificat, nec ritè a Chriſtianis uſurpatur ad denotandam *inter Sanctos relationem*, quæ fit ab iiſdem ex irrefragabili Eccleſiæ, nempè Summi Pontificis judicio. Hujuſce nominis eſſentiam, uſumque apud Chriſtianos ſervandum recte explicat SS. D. N. Benedictus XIV. in ſuo docto opere de Canonizatione Sanctorum (a).

A

B

XXVII.

OSTENDE QVEM ELEGERIS

SEDE VACANTE - inferius MDCCXXX.

Piiſſimi hujus Pontificis mors ſuperius relata eſt Tom. 2. pag. 425. Hoc vero numiſma tempore Sedis vacantis eſt percuſſum, ut pridie Feſti S. Petri Cameræ Apoſtolicæ Clericis, aliiſque diſtribueretur, ut veteri more eſt inſtitutum.



(a) Lib. 1.



Laurentius Philippus de Rubeis Calcographus Vaticanus Filius q. Dominici Hæredis Io. Iacobi form. Romæ ad T. S. M. de Pace cum Priv. S. P.



CLEMENS XII.

PONTIFEX CCL.

ANNO DOMINI 1730. CAROLO VI. ROMANORUM IMPERATORE



OVENDIALES exequiæ Benedicti XIII. die 24. Aprilis celebrari sunt cœptæ. Iisdem vero absolutis, die 6. Martii Res Sacra acta est per Cardinalem *Franciscum Barberinum* Episcopum Portuensem ad invocandum Spiritus Sancti præsidium; & pro novo eligendo Pontifice nitida recitata est Oratio per *Jacobum Lanfredinium* egregium Præsulem, quem postea novus in Apostolatu Successor inter Cardinales recensuit. Veteri indè Ecclesiæ ritu, Cardinales supplicum more, ac bini procedendo Conclave ingressi sunt.

Cardinales Conclave ingrediuntur.

Convenerant ad Vaticana Comitia quatuor supra quinquaginta Cardinales; hi vero, ut ferè semper solet evenire, discordes erant Patria, studiis, & voluntate. Eadem idcircò Comitia incerta, ac diuturna apparebant. Nec aliter profectò obtigit. Inutili quippè experimento plurium, qui aderant, Cardinalium disquisita sunt merita, atque alea tentata. De eligendo Cardinale Renato *Josepho Imperiali* diu actum est; diu etiam cunctatum est pro Cardinale *Thoma Ruffo*. Nec parum pro Cardinale *Devia*, & pro Cardinale *Corradinio* hæserunt Comitia. Leviora tamen impedimenta pro Cardinali *Laurentio Corsinio* inventa sunt. Unanimi ergo Purpuratorum Patrum assensu renunciatus est Summus Pontifex die 12. Julii Sacrâ Divo Joanni Gualberto Florentino, quem sibi jamdiu præcipuum Patronum assumpserat.

Eligitur Cardinalis Laurentius Corsini.

Vita eius privata.

Privatam Cardinalis *Laurentii Corsinii* vitam suo loco fusiùs exposuimus. Eam breviter perstringendo, repetere fas est, Patrem habuisse *Bartholomæum* Marchionem de *Tresana*, aliisque clarum titulis, opibus, & dignitatibus, quibus in Aula præsertim Magnorum Etruriæ Ducum maximè fulsit. *Laurentii* Mater fuit *Elisabeth Strozzia* Soror Ducis de Bagnolo. Ex quibus clarissimis Parentibus natalem aspexit lucem die 7. Aprilis anni 1652. Vetustam Corsiniæ Gentis originem Authores referunt (a), qui de Etruriæ Familiis scripserunt, aut qui illustrium virorum, qui ex illa prodierunt, gesta commemorant. Primus hujus Familiæ inter heroas assurgit Nerius quidam, forsan *Raynerius*, qui anno 1295. signifer fuit, & caput Reipublicæ Florentinæ. Hunc excipit *Andreas* Episcopus Fesulanus, & ritè Cœlitum honoribus consecratus. Duo indè celebres Cardinales; *Petrus* nempè ab *Urbano V.*, & *Nerius* Senior ab *Alexandro VII.* promoti, aliique virtute militari, & pacis artibus præstantes viri. His editus majoribus, ut iisdem inhæreret vestigiis, Laurentius Romam

(a) Gamurrini de Etruriæ Familiis. Ciaccon. Tom. 2. pag. 572., & Tom. 4. pag. 757.

mam primo traductus est, & in Seminario Romano institutus; indè Pisas proficiscitur, ut in illa Universitate altiores disciplinas, & Jurisprudentiam addisceret. Post adepta in eodem Licæo Doctoratus insignia, Romam redux sub cura Cardinalis *Nerii* practicæ Jurisprudentiæ impensius incubuit. At Patruo e vivis erepto, Florentiam revocatur à Patre. Ille vero (quasi præscius esset venturi, atque animus sibi magna portenderet) nihil habebat antiquius, quam ut Romam remigraret. Ibi Ecclesiasticam vitam arripere, & Dei servitio vacare exoptabat. Mortuo tandem Patre anno 1685. voti compos factus est.

Dives Paterna hæreditate, & magnis opibus præditus, statim ad Urbem remeat. Sub Innocentio XI. insigni coempto officio, *Regentis Cancellariæ* nuncupato, inter Præsules Romanæ Curiæ recensetur. Sub *Alexandro VIII.* aliud, (quod tunc Venale erat) officium comparavit, Clericatum nempè Cameræ Apostolicæ. Ab eodem Pontifice Ædilis dictus est, qui Romæ usitato nomine *Grasciæ Præses* nuncupatur. Ad Cæsarem etiam Nuncius Apostolicus dictus fuerat, & Archiepiscopus renunciatus Nicomediæ. At contendente Cæsare Candidatorum scire nomina antequam Nuncium reciperet; huic vero prætensioni quum maximè Pontifex obsisteret; hinc factum est, quod in hac contentione ejusdem Pontificis mors supervenerit; *Corsinius* vero vacuus hoc Magistratu remanserit. Suis tamen intentus muneribus, justitiæ undequaque prospiciebat. *Pomponium de Vecchis* celeberrimum in Urbe Advocatum sibi Assessorem assumpserat. Plures alios eruditione præstantes viros in famulatu habebat. Splendide vivebat, nulla auri cupiditate captus, nullimodè suis commodis inserviebat, sed cognita integritate, & spectata fide amplissimus erat.

Innocentius XII., qui restituto emptoribus pretio, venalitatem officiorum suppresserat, *Corsinium* tamen ad magna promovere non destitit. Anno 1696. eximium munus illi contulit Ærarii, seu Thesaurarii Generalis Cameræ Apostolicæ. Solitâ Laurentius usus est justitiâ, animique constantia in amplissimi muneris exercitio usque ad annum 1706, quo *Clemens XI.* novus in Apostolatu Successor eum inter Presbyteros Cardinales adscivit. Hac sublimi auctus dignitate, officium tamen aliquandiu retinuit cum titulo Pro-Thesaurarii.

Congregationibus, quas nactus fuerat frequens aderat. Maximas verò Congregationes variis vicibus obtinuerat; nempè S. Officii, Episcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Signaturæ Gratiæ, Boni Regiminis, Propagandæ Fidei, Sac. Consultationis &c., & sub *Benedicto XIII.* Præfecturâ etiam ornatus fuerat Signaturæ Justitiæ. Visitator etiam dictus fuit S. Joannis Florentinorum; præterea Protector erat totius Ordinis Minorum Observantium, & Reformatorum S. Francisci, ac totius Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, Hospitii Sanctissimæ Trinitatis Peregrinorum, S. Jacobi Incurabilium, Sanctissimæ Annunciationis, aliorumque in Urbe Piorum Locorum. Tot distentus curis, nulli deerat officio, ut Justitiæ prodesset, & pietatem propagaret. Facilis aditu, multam diei partem trahebat, ut obvenientia negocia, & singulorum querelas indiscriminatim audiret. Eruditos homines fovebat, egenis subsidio erat, adeout pauperum, præsertim verò calamitatibus obrutorum Patronus videretur, & Mæcenas. Perampla Domus ejus quotidiè patebat omnibus. Sub Vesperum Præsules ferè omnes Romanæ Curiæ, aliosque Viros nobiles excipiebat comitate, & liberalitate incredibili. Pluries Titulum Cardinalitium immutavit, donec in Ordine Episcopali Tusculanus evasit Episcopus. Ex hac spectabili dignitate ad maximum Sacerdotium ascendit, & dicta die 12. Julii hujus anni 1730. post diutinam Comitiorum fluctuationem, illi omnium consensu Ecclesiæ universæ delatum est imperium.

Clementis nomen assumpsit, memor Cardinalitiæ dignitatis à Clemen. XI. adeptæ. Die Dominico 16. ejusdem mensis solemni ritu coronatus est in templo Vaticano. Optimos deindè sibi administros delegit *Antonium* scilicet Cardinalem *Banchierium* summæ rei præposuit, & à Secretis Status renunciavit. Datariæ Præfecturam contulit *Antonio Francisco de Valentibus* Archiepiscopo Theodosiæ, qui ab Antecessore *XII. Vir* Rotæ Romanæ assumptus fuerat. Assessorem (quem Papæ Auditorem dicunt) esse jussit *Marcellum Passeri* longo sibi famulatu cognitum, & familiaritate. Ab Epistolis arcanis conscriptis notis *Josephum Livizzani*; Præfectum Familiæ, & Domui Pontificiæ *Trojanum de Aquaviva*; Cubiculo vero Pontificio *Sinibaldum ab Auria* Archiepiscopum Patracensem; aliaque munera, & Pontificiæ Domus Ministeria prudenter impertiit. Fratris vero filios Marchionem nempè *Bartholomæum Corsinium*, Centurionem dixit, seu Equitum levis armaturæ Magistrum. *Nerium* vero, quem jam ad Statum Ecclesiasticum allexerat, à Secretis supplicum Libellorum, deindè Cardinalem creavit. Nulla alia in suos (cæterum paternis divitiis affluentes) beneficia congessit.

Coronatur

Ministros eligit.

Initia felicis Imperii à Deo, ut opus erat, exorsus est. Jubilæum universale indixit, Thesauros Ecclesiæ jam ejus distributioni creditos, erogavit, precesque publicas instituit, ut Populus ipse, cui tanta impendenda erat sollicitudo, Sedium suarum assistricem sapientiam auspicaretur. Publicam supplicationem decrevit, illique Clemens adfuit; & pedibus iter ingressus, ab Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum usque ad Basilicam Liberianam multa Deum orans incessit.

Supplicationem decernit, atque in ea pedes incedit.

Mos illi fuerat, ut innuimus, etiam in vita ejus privata aditu facilem se exhibere, & quotidie, & indiscriminatim singulorum au-

dire

dire querelas. Hanc sibi proposuit consuetudinem etiam in Apostolico Ministerio; & noscens quantum ad rectum Populorum regimen conferret, ipsorum audire preces, & quibus singuli premebantur incommoda, secundâ feriâ cujuslibet Hebdomadæ, omnibus ad se accedentibus fandi copiam præbebat; nemo illa die inauditus recedebat. Præterea quotidie post majora expedita negocia, omnes omnium ordinum homines excipiebat. Die 19. Novembris è Vaticano in Lateranum procedens Romani Episcopatus ritè possessionem adivit.

Possessionem adit Summi Apostolatus.

Christianissimo Galliarum Regi paternæ voluntatis specimen exhibuit, quum *Fridericum Lanti* Petrensem Archiepiscopum, & Anconæ Præsidem ad eum allegavit, ut Regio Filio nuper nato Fascias, & Apostolicam Benedictionem offerret.

Galliarum Regis filio nato Fascias, & Benedictionem mittit.

Immunitatem Ecclesiæ apud Pagos Helvetiæ multipliciter læsam, & res Apostolici Ministerii perturbatas, paternâ, quâ potuit, sollicitudine composuit, atque ad concordiam reduxit. Lucernæ Laicum Magistratum, qui in personas Ecclesiasticas animadvertere, & Dominici *Passionei Archiepiscopi* Ephesini, & apud eosdem Helvetios Nuncii Apostolici, Decretis obsistere præsumpserat, pacis potius, quàm Justitiæ, & rigoris sectator, ad æquitatis semitam flexit, & limites utriusque Jurisdictionis circumscripsit. Ipsum Nuncium Apostolicum, qui *Altorfium Uriorum* propè Lepontios secesserat, ibique aliquot per annos consederat, *Lucernam* redire jussit.

Concordiam init cum Legis Helvetiorum.

Plures indixit Præsulum, & Cardinalium Congregationes, ut publicorum Vectigalium locationes, aliasque concessiones sub Antecessore factas sine solitis solemnitatibus, quandoque etiam inscio eodem Pontifice, rigidè expenderent, easque, quatenus opus esset, irritas haberent. Revera quamplurimæ ex illis rescissæ, & abrogatæ fuerunt.

Plures cœtus Cardinalium cogit, ut concessiones Antecessoris immoderatas revocent.

Parmæ, & Placentiæ Dux ultimus superstes, qui *Carolo* Borbonio Regio Hispaniarum Principi adhærebat, eumque sibi Successorem excipiebat, eum tamen armatum nolebat, Sacrum Collegium Sede Vacante rogaverat, atque electo *Clemente XII.* impensius urgebat, ut Pontificio præsidio Urbes ejus munirentur. Commissarium etiam Apostolicum petebat, ut nomine Ecclesiæ Principatum teneret. Quinimo vexillum S. Petri attollere spondebat, ne exterus miles suas Urbes invaderet, neve ejus Imperii dignitas detrimentum pateretur. Ducem nimis sero ad Ecclesiam ditionis suæ supremam Dominam confugientem, Pontifex redarguit, maximèque doluit, quod tamdiu distulisset Oratorem allegare ad exhibendam obedientiam S. Sedi. In tanta quippè temporis angustia dum Cæsareus miles finitima tenebat loca, nequibat *Clemens* decenti præsidio Parmæ, & Placentiæ Urbes munire: palamque agnoscebat, quod, si quas habebat Ferrariæ copias eduxisset, Germanus miles, qui duobus itineribus propior erat, & qui *Casale majus* propè Eridanum majori multitudine ingressus fuerat, consilia prorsus antevertisset. Operam tamen suam sequestram apud Catholicos Principes exhibuit Pontifex, ne Regius Hispaniarum Infans armatus accederet. Datam fidem *Clemens* exoneravit. Cæsarem rogare non destitit, Galliarumque, & Hispaniarum Reges hortatus est, ut *Carolus* Regius Infans in Etruria moraretur cum decenti militum Hispanorum custodia. Regius Infans Anglica deductus Classe in Etruriam appulit; magna Hispani militis facta est è navibus descensio; & novæ Belli calamitates in Italia emerserunt.

Dux Parmæ, & Placentiæ implorat auxilium Papæ.

Pro eo Clemens apud Catholicos Principes intercedit.

Die 20. Januarii anni 1731. naturæ concessit idem Antonius Parmæ Dux, scripto sibi hærede Uxoris ventre prægnante. Falsus incesserat rumor relictam defuncti Ducis Viduam fætum gerere. *Clemens* datis ad Administratores à defuncto Duce designatos gravibus literis, eos admonuit, ut debitam S. Sedi, debitam prægnanti Uxori obedientiam exhiberent. At Comes *Stampa* consilia Pontificis præripuerat. A *Casale Majori*, ut dictum est, Germanis eductis copiis Principatum invaserat, atque Urbes tenebat nomine, ut ajebat, Borbonii Principis. Clemens tamen ab incœpto non destitit. *Georgium* Cardinalem *Spinola* Parmæ, & Placentiæ de Latere Legatum dixit, & Præsulem *Jacobum Oddi* Commissarium Apostolicum designavit, ut eidem Viduæ Principi auxilio essent. Cardinalis Spinula, qui in eodem munere de Latere Legati Bononiæ morabatur, Comitem *Ringhiera* Metropolitanæ Bononiensis Ecclesiæ Canonicum allegaverat, ut instrumentariam possessionem caperet. Mandatum exsolvit Comes *Ringhiera*, & Præsul *Oddi*, qui jam Parmam pervenerat: Comiti de *Stampa* protestationem anathematis denunciavit adversus eum, & milites irruentes. Possessionem etiam publicè adeptus fuerat, & Pontificium Diploma ubique evulgaverat, illudque etiam ad fores ædium Cæsarei Administri affixerat, quo Parmæ, & Placentiæ Ducatus vacans, & ad Ecclesiam Romanam devolutus indicabatur (*a*). Incassum cessere Pontificiæ sollicitudines. *Carolus* Hispaniarum Infans in possessionem deductus est, hac lege contra fas adjecta, ne clientelam, vel Ecclesiæ reverentiam ullo unquam tempore pro eo Ducatu exhiberet. Graviter conquestus est Summus Pontifex, easdemque conquestiones, & concordiæ saltem amicabilis consilia præsertim apud Cæsarem persequutus est toto ejus Pontificatu, & quoties Ducatus ille modo uni, modo alteri possessori ob variam Belli fortunam accrevit.

Moritur Antonius Parmæ Dux 1731.

Germanus Miles Parmam, & Placentiam invadit.

Clemens Cardinalem de Latere Legatum eligit, & Commissarium Apostolicum.

Variæ hinc inde protestationes, & contentiones.

Carolus Borbonius in possessionem ducitur Parmæ & Placentiæ.

Habitatores Corsici Regni, qui crebris defectionibus à fide Reipublicæ Genuensis desci-

Corsici ad Pontificem confugiunt.

(*a*) Extat hoc Diploma in Bullario Romano edit. anno 1738. Constitut. 39.

sciverant, ad Pontificem hoc anno confugerant. Supremum in illa Insula Ecclesiæ dominium agnoscentes, in ejus potestatem se redigebant; sed nulla *Clementem* cupido incesserat dilatandi ultra modum Imperii. Paci dumtaxat inserviens cum assensu Cardinalis *Renati Imperiali*, qui negotiis in Urbe præerat illius Reipublicę, quasdam cum Brevi Apostolico ad Genuæ Archiepiscopum propositiones exhibuerat, ut optata in illo Regno concordia firmaretur; sed Breve Pontificium (quod credi vix potest) non sine contemptu remissum est, & rejecta Pontificis intercessio.

Genuenses Papam mediatorem recusant.

Abusum ademit in Germania jamdiu invectum; plures Episcopatus uni, eidemque Personæ conferendi. Providaque ejus Constitutione decrevit, ne Episcopatum possidenti Breve, ut dicunt, eligibilitatis pro altero obtinendo Episcopatu concedatur, nisi circumspectè, & Causa cognita. Binos vero habenti Episcopatus, cavit, ut in Brevi eligibilitatis conditio adjiciatur alterutrum ex prioribus Episcopatibus omnino dimittendi; Tres demum possidenti Episcopatus memoratum eligibilitatis Breve prorsus denegatur.

Ejus Constitutio circa Episcopatus Germaniæ

Talibus *Clementem* Europæ utilitati incumbentem studiis, non parum turbarunt novæ cum Sardiniæ Rege dissensiones. Edixerat *Clemens* pactiones, & concordiæ conditiones cum eodem Rege initas à *Benedicto XIII.* tamquam immodicas, & sine debitis solemnitatibus sancitas novo subjacendas esse examini. Spondebat tamen se ultro ea omnia daturum fore, quæ salva conscientia dari possent. Utque omnia ritè agerentur, & sincera Pontificis voluntas pateret de stabili habenda concordia, *Petrum Guglielmi* Præsulem Romanæ Curiæ ad Regem allegavit. At Rex offensus initam semel pacem tam facile diremptam, aut turbatam videre; *Guglielmum* ad se accedentem ab ingressu suorum finium prohibuit, & Comitem *de Gros* Oratorem in Urbe suum statim à Provincia revocavit.

Dissidia S. Sedis cum Rege Sardiniæ.

Clemens spe sibi pręcisa novæ pacificationis, rem ad Sacrum Senatum in Consistorio refert. Quid Cardinales in maximo negocio sentirent, explorat. Eorum sententiam scripto traditam singuli Cardinales dederunt. Paucis exceptis ferè omnes existimabant initas cum Sardiniæ Rege circa Ecclesiasticam Immunitatem pactiones, solitis carere solemnitatibus, & nova Apostolica concessione ad æquitatis metam reduci posse. Tunc Pontifex rursus habita ad Sacrum Senatum concione, abrogavit quidquid in materia Immunitatis Ecclesiasticæ ab Antecessore actum fuerat in tribus ejus conventionibus, quarum altera die 24. Martii anni 1727. obsignata fuerat ab Archiepiscopo Damasceno, & à Marchione *Ferrerio de Ormea* Sardiniæ Regis Administro; altera die 21. Februarii 1728. à Cardinali *Antonio Finio*, & eodem Marchione *de Ormea*. Tertia demum obsignata fuerat à Cardinali *Lercario* à Secretis Status *Benedicti XIII.*, & à memorato Marchione *de Ormea*.

Clemens Consilium exquirit S. Collegii

Pactiones initas cum Sardiniæ Rege irritas habet.

Quo vero ad Res Beneficiales transactas, & decisas à *Benedicto XIII.*, in ejus peculiari Constitutione, quæ incipit = *Dudum* sub datum die 29. Maii 1727., edixit *suæ intentionis non esse, quod illius exequutio retardetur. Voluitque, quod nominationes ex eodem Indulto factæ, & faciendæ non aliter admittantur, quam absque Patronatus Jure, & sine aliarum Pensionum reservatione, quam quæ à Sanctitate sua, suisque Successoribus fuerint impositæ* =, ut patet ex eodem Papæ Decreto edito die 6. Augusti anni 1731.

Pactiones, circa res Beneficiales cum aliqua modificatione admittit.

Quo vero ad res Feudales, & supremum S. Sedis dominium in Abbatia *S. Benigni*, & in Oppidis *Cortantiæ*, *Cortantionis*, *Montafiæ*, & *Cisternæ*, super quibus nihil ab Antecessore sancitum fuerat, nil ultra addendum putavit, quam quasdam declarationes, & Pontificia Decreta (*a*) ex quibus, idem S. Sedis dominium in illis Oppidis præservabatur, & quæ à Laicali potestate illata essent, præjudicia pro infectis, & irritis habebantur.

Hisce peractis, graves istæ controversiæ exasperatæ, & ad ultimum penè discrimen adductæ videbantur. Et tamen *Clemens* nulli deerat officio, quo Paterna sollicitudine invictum Sardiniæ Regem, cæterum S. Sedis cultorem eximium, ad stabilem, nulloque œvo revocandam concordiam adduceret. Quinimo adeo ejusdem Regis flexerat animum, ut ad ineunda pacis consilia novum ad se allegatum mitti impetraverit. Rex etiam Pontificiis inhærens studiis Comitem de *Riviera* Romam miserat; Virum cognita prudentia, & spectatà Nobilitate gravem. Is vero cum Papæ Administris diligentissimam habuit emergentium quæstionum excussionem, pluribusque Cardinalium, & clarorum Urbis Caussidicorum institutis consessibus, rem adeo provexerat, ut certa spes esset, propositam concordię methodum propèdiem absolvi posse. Nec spes felicis eventus nisi morte Pontificis ab scissa est. Quare novus in Apostolatu Successor BENEDICTUS XIV. talibus insistens vestigiis pacem postea omnium votis expetitam, eamque firmiorem restituit; & provida pactione obortas omnes in Pontificatu Clementis XII difficultates penitus ademit.

De ineunda tamen pace Clemens cogitat.

Quamplures jam *Clemens* egregios viros Sacræ Purpuræ honore cumulaverat. Quos inter eadem Cardinalitia Dignitate decoravit *Vincentium Bichium* ad Lusitanos Nuncium Apostolicum. Diluerat penitus ille objectas sibi criminationes; fidemque suam, & anteactam in Ministeriis S. Sedis integritatem com-

Promovet ad S. Purpuram Vincentium Bichium

pro-

(*a*) Extat super hoc Chirographum Clemen. XII. sub datum die 30. Decembris 1730., & Præceptum Card. Camerarii vigore ejusdem Chirographi datum die 23. Decembris ejusdem anni, necnon Concio Papæ in Consistorio habita die 8. Januar. 1731.

A probaverat. Nil ultra cunctandum *Clemens*, nec amplius *Bichio* differendum censuit debitum laboribus præmium. Pro certo etiam affirmabant Regis in Urbe *Joannis V.* Ministri, quod ex hac Promotione conticuisset ejusdem Regis querela, qui diu, & incassum hanc ab Antecessore gratiam postulaverat. Promoto Cardinali *Bichio*, pax quidem inter S. Sedem, & Lusitanum Regem reddita visa est; & restitutum mutuæ benevolentiæ commercium. Sed hujus concordiæ finis nonnisi quàm multo interjecto tempore affulsit. Et novo Ulyssipone Nuncio *Cajetano de Cavaleriis* Archiepiscopo Tharsensi non parum adlaborandum fuit, antequam vetitam Jurisdictionem reassumeret, atque in suo Nunciaturæ Tribunali restitueretur. Quod tandem aliquando effectum fuit, & concordia utrinque gratissima est consequuta.

Unde concordia affulget cum Rege Lusitaniæ.

Provida Clementis Parsimonia.

Longo Clemens didicerat usu, quum maximè Thesaurarii munere functus esset, prudentem, atque œconomicam Pontificii ærarii administrationem. Brevi hinc proventuum Cameralium locationes excreverant. Ludum etiam admiserat *Genuensem* nuncupatum ex primitiva ejus in illa Urbe origine. Populus enim ludendi flagrans cupidine, nec satis pœnarum terrore cohibitus, magnam pecuniæ vim profundebat, forisque educebat. In eo, quos numeros urna versata dedit, magno cum lucro lusores sortiuntur. Majus tamen lucrum Cameræ Apostolicæ accedebat, quæ pluribus hinc pepercit sumptibus. Hinc etiam Communitates Ecclesiasticæ ditionis ære alieno laborantes, maximis Papæ largitionibus adjutæ sunt. Multiplicato itaque ærario, ut pecuniam Populo restitueret, plura uno tempore, & maxima ædificia molitus est; Illaque, vel absolvit intra sui Regni curriculum, vel ad maximum complementum perduxit. Siquidem Palatium ab imo erexit, quod incolendum dedit Secretario Diplomatum Apostolicorum, & Secretario Consultationum, quæ habentur pro recta Status Ecclesiastici administratione, quod vulgari nomine *Palatium Sacræ Consultæ* nuncupatur. Equilia è conspectu Quirinalis Palatii jam inchoata ab *Innocentio XIII.* perfecit. Ædes Familiæ Pontificiæ propè idem Quirinale Palatium itidem ampliavit, absolvit. Ecclesiam *sub invocatione infantis Jesu* ad Esquilini Montis radices ferè à fundamentis extruxit. Frontem Ecclesiæ S. Joannis Florentinæ Nationis, item & magnificam Frontem, maximamque Porticum Basilicæ S. Joannis in Laterano ex integro ædificavit. Sacellum *Divo Andreæ Corsinio* Sacrum in eadem Basilica prædiviti, atque eleganti opere erexit. Fontem Aquæ Virginis ornavit, ejusque ductus jam pene eversos instauravit. Et quoniam rudi labro copiosissima aqua excipiebatur, corrivatis ad caput aquis, quæ per agros diffluebant, ornatissimam Concham, seu lacum paravit. Hoc tamen opus absolutum non vidit. Arcum Constantini Magni Imperatoris antiquitate labefactatum, in hanc, quæ visitur spectabilem formam, restituit. Magnanima etiam, & digna Principis sollicitudine veteres statuas, aliaque venerandæ vetustatis monumenta undequaque conquisivit, atque in ædes Capitolinas invexit. Vaticanam Bibliothecam comparatis undique libris, Codicibusque, aut vetustate, aut eruditione, B & doctrina conspicuis exornavit, & auxit. Antiqua Numismata maximi moduli, quæ Cardinalis *Alexander Albanus* distraxerat, & quamplurima Etrusca vasa in eam transtulit. Præterea viros eximios eidem Bibliothecæ præfecit: Cardinalem nempè *Angelum Mariam Quirinum*, magnum in Literaria Republica nomen, Bibliothecarium Romanæ Ecclesiæ renunciavit; illique subjectum, atque ejusdem Bibliothecæ Custodem dixit *Josephum Assemanium* Maronitam universa Orientali C doctrina pollentem: Huic demum Socium adjunxit *Joannem Bottarium* omnigena & ipsum eruditione præstantem. Sed quum grandia, & ultra fidem sint, quæ Clemens ædificia congesserit, qui ea sigillatim velit inquirere, adeat scriptores hac de re fusius agentes (*a*).

Hinc publica Liberalitas.

Magnifica ædificia ab eo extructa.

Prætereunda tamen non sunt alia, quæ ad amplifandum commercium, augendamque Ditionis Pontificiæ felicitatem monumenta exegit. Postquam enim Anconæ Portum vectiga-D libus levavit, & novis jactis molibus illum tutiorem reddidit; Læmocomium extruxit amplissimum ad excipiendas naves, & merces Pestis suspicione infectas. Præterea duo Flumina *Vitis*, *&* *Bedesis*, nunc *Ronchus*, & *Montho*, quæ Ravennam duabus ex partibus subluebant, pluviisque excrescentibus inundabant, in unum adegit alveum, & bino ab Urbe lapide fluere jussit; & pontem magno sumptu erexit. Vias omnes instauravit Urbanas, & externas; novas etiam stravit. E Frumenti commercium restituit; atque ut illud e Provincia Picæni foris libere adveheretur, gratis indulsit. *Annonæ* etiam promercalem negociationem prohibuit.

Læmocomium Anconæ.

Non his tamen dumtaxat limitibus *Clementis* sollicitudo continebatur, sed alibi etiam distenta, & propagata Religionis incremento prospexit. Nonnulli in Saxoniæ Ducatu Augusti Poloniæ Regis exemplum sequuti, ex hæresis erroribus ad Catholicam fidem revertebantur. Alii vero eamdem veritatis viam F iniissent, sed ægrè adducebantur ad bona dimittenda, quæ ad Ecclesiam in origine pertinuerant, quæque præteritorum temporum injuria, ac confusione, dum hæresis omnia misceret, occupata ab illis detinebantur. *Clemens*, ne illius Ducatus reductio ad universa-

In Saxonia Bona Ecclesiastica ab hæreticis occupata iisdem remittit, si ad Catholicam fidem revertantur.

(*a*) Gaddius ex proposito agit de ædificiis Clementis XII. *Roma antiqua* edition. anni 1741. pag. 9., & pag. 157. *Venuti* Numismata Pontificum Romanorum pag. 355., & seqq.

lis Eccleſiæ unionem impediretur, neve animarum ſalus terrenarum rerum reſpectibus, aut incurrendæ egeſtatis metu retraheretur, omnia Eccleſiæ bona jam pridem ſic occupata remiſit, ac condonavit: Eorumque poſſeſſoribus, qui ad Orthodoxam fidem reverterentur, facultatem attribuit de hujuſmodi bonis tam inter vivos, quam cauſa mortis libere diſponendi (*a*).

Alteram pro directione Conclavis ſalubrem edidit Conſtitutionem; ſuorumque Prædeceſſorum confirmatis Decretis, ut Cardinales in B electione Pontificis ſolum Deum, ſuæque Eccleſiæ utilitatem reſpicerent, præſcriptam iis frugalitatem, atque in victu temperantiam præcepit. Numerum Conclavi inſervientium conſtituit. Eorumdem Cardinalium, & præcipue Quæſtoris, ſeu S.R.E. Camerarii facultates certis limitibus circumſcripſit. Ipſius vero Camerarii emolumenta, Theſaurarii, & Cameræ Apoſtolicæ Clericorum tempore Sedis vacantis penitus ademit: Pluraque alia, ut facilius, celeriuſque Romani Pontificis electio habeatur, prudenter ſancivit (*b*).

Conſtitutionem evulgat pro recta Conclavis directione

Aliaque agenda decernit tempore Sedis vacantis.

Cardinalis *Coſcia*, qui in anteacto Pontificatu fere omnino arbitrio ſuo moderatus fuerat, publico nunc Judicio inquiſitus fuit. Datis illi Judicibus reus habitus eſt uſurpatæ dominationis, & neglectæ Pontificiæ authoritatis. Suo itaque Decreto Clemens demandavit, ut Eccleſiæ Beneventanæ Archiepiſcopatum dimitteret; ut ſummam quadraginta millium Ducatorum exſolveret in pios uſus erogandam juxta *Gregorii XIII.*, *Alexandri VII.*, *& Innocentii XII.* Conſtitutiones. Ad Carcerem decennalem in Arce S. Angeli damnatus fuit. Mulcta illi præterea centum millium Ducatorum monetæ Neapolitanæ irrogata eſt. Jus illi demum utriuſque ſuffragii, activi nempè & paſſivi, in electione Romani Pontificis, durante pœna decennali, ademptum eſt. Papæ tamen indulgentia ſuffragium dumtaxat activum illi redditum eſt, mediante ejus Chirographo, cujus evulgatio, & exequutio ad tempus Romanæ Sedis vacantis dilata erat; quandoque etiam ratione infirmæ valetudinis, eadem Pontificis indulgentia, ad tempus dimiſſus eſt ex Arcis cuſtodia.

Cardinalis Coſcia publice Inquiſitus, & damnatus.

Exordia ineuntis anni 1733. turbaverat mors *Auguſti II.* Poloniæ Regis. Electio novi Regis Europæ fere univerſæ tranquillitatem eripuit. Ad augendas quippe internas diſſenſiones, quibus Sarmatæ in diverſa partium ſtudia diſtrahebantur, externæ vires accreverant. *Ludovicus XV. Staniſlao Lenczinſkio* inter Regni optimates ſpectatiſſimo, & Patri Galliarum Reginæ, quam maxime favebat. Cæſar vero *Friderici Auguſti* Saxonum Ducis, & defuncti Regis filii fortunam provehebat. Huic Moſchoviæ Imperium valido exercitu opitulabatur. In Comitiis Regni generalibus ſub dio, & in campis habitis, ut ſolet populus ille Martialis, omnium fere vocibus, ac parvo obſiſtente oppoſitorum numero, idem *Staniſlaus* Rex fuerat inauguratus. Parum hęſit *Clemens*, eumque univerſis quaſi ſuffragiis electum recognovit in Regem. Datis præterea ad ipſum *Staniſlaum* humaniſſimis literis, Nuncio etiam Apoſtolico edixit, ut eum Pontificio nomine omni officiorum genere percoleret. Prodierat Romæ eo tempore quædam Conſultatio quatuor Theologorum, qui Sarmatas ſolutos dictitabant à Sacramento Religionis, quo ſe jurejurando obſtrinxerant, neminem ad Polonici Regni faſtigium admiſſuros, niſi Indigenam, & Patricium. Huic vero Conſultationi, quorumdam temeritate, titulus falſo adjectus fuerat = *Deciſio Romana* =, ut hoc artificio Sarmatæ deciperentur, & quaſi Papę ſententię acquieſcerent. *Clemens* vero, qui nullo partium ſtudio detinebatur, rem maximè abhorruit, eamdemque Conſultationem jam Typis datam, atque in vulgus prolatam, publicè damnavit, atque abolevit.

Moritur Auguſtus II. Poloniæ Rex.

Interea tamen Saxonum Dux ſua fretus potentia, fretus auxilio fęderatorum Principum, ſuperatiſque, quę ab ęmulo adſtruebantur, difficultatibus, dum Sarmatici Imperii ſub nomine *Auguſti III.* habenas ſuſcepit; alia ex parte *Ludovicus XV.* Hiſpano junctus Regi, Cęſarem alibi imparatum totis viribus aggrediebatur. Ut in Italiam Gallorum exercitus inopinatus accederet, Avenionis, & Status Venaiſſini inſimulata obſidio eſt. Pretextus quęſitus eſt ex multiplici Tabaci commercio, quo Avenionenſes affluebant. Fraudata in Galliis vectigalia, imminutamque ipſius Tabaci venditionem Galli exclamabant. Et tamen ex falſo iſto terrore verę calamitates Pontifici obvenerunt. Ad emolliendas enim injectas minitationes, & ad avertenda tanta rerum molimina, quaſdam urgente neceſſitate conventiones inierunt Avenionenſes, nedum ſibi ipſis, eorumque commercio, verum etiam authoritati S. Sedis averſantes.

Auguſtus III. novus Poloniæ Rex.

Nova in Europa bella.

Sic ingens à Gallis relatum eſt compendium, dum bellum parant, ac ferè in itinere. Statim propterea Alpes pervadunt, fęderatumque Regem Sardinię cum ſuis copiis in Inſubriam inducunt. Ingenti militum numero cuncta propemodum Italia, non tam repleta, quam obruta repente eſt. Menſe etiam Octobri ad Portum Ligurni Hiſpana Claſſis appulerat, magnamque Peditum, Equitumque deſcenſionem fecerat. Fines Eccleſiaſticæ ditionis multitudine militum penè incredibili utrobique tenebantur; ſed non externæ dumtaxat ſollicitudines *Clementem* urgebant; internæ, ac domeſticæ propius emerſerunt. *Comes quippe de Montemar* Hiſpani Ductor Exercitus ineunte vere, ut in Neapolitanum Regnum

Sardiniæ Rex cum Gallis, & Hiſpanis fœderatus.

Belli exitus in Italia.

(*a*) Ut ex ejus Conſtitutione, quæ incipit - Sedes Apoſtolica.
(*b*) Ejus Conſtitutio la 76., quæ incipit - Apoſtolatus officium.

gnum expeditionem intenderet, Apostolicæ Sedis Provincias permeavit. Aderat cum Exercitu *Carolus* Princeps Borbonius, & Regius Hispaniarum Infans, qui incępto insistens itineri, parvo obstaculo Neapolitanum Regnum suo adjecit imperio, & Rex in ipsa Metropoli est conclamatus. Nec absimili felicitate Galli, & Allobroges in Insubria pugnarunt, & Cæsarem undique impetitum, relatis sæpe victoriis divexarunt. Gravia tamen intulit incommoda ditioni Ecclesiasticæ modo Hispanus, modo Germanus miles, vel remeans, vel accedens.

Catharina de Ricciis inter Beatas refert.

Fusis ad Deum precibus, privatis quidem, ac publicis instabat *Clemens*, ut tantam Europæ calamitatem averteret. Jubilæum etiam universale indixerat (*a*). Præterea *Catharinam de Ricciis* eximiam Florentiæ Virginem inter Beatas retulit, ut multiplicatis Intercessoribus optata pax in Terris assurgeret.

Bulla de Homicidiis.

Tot uno tempore in Italiæ Populos, ac in Provincias Ecclesię congesta mala, *Clementem* non retrahebant, ut omni ope internę etiam Romanæ Plebis felicitati consuleret. Ut crebra, quæ patrabantur homicidia, ac in dies succrescentem Virorum sanguinum immanitatem cohiberet, severam quidem, saluberrimam tamen Constitutionem evulgavit. In ea cavit præ cæteris, ut homicida morte puniatur, etiamsi homicidium in rixa patratum fuerit, quoties occisor ejusdem rixæ author extiterit. Cavit ulterius, ne calor iracundię, aut improvidi consilii prætextus delinquentem à pœna mortis eximeret, si sex horarum spatium post sequutam rixam intercesserit. Quod tempus sufficere voluit, ut reus ad actus extraneos diverterit, vel divertisse debuerit. Reum etiam sive confessum, sive convictum eidem pœnæ ordinariæ subjecit. Aliaque prudenter constituit, ut delinquentes nedum Dei timore, sed etiam pœnarum temporalium formidine deterriti, à tam immani scelere abstinerent (*b*).

Princeps de Sancta Cruce Cæsareo nomine Chineam offert.

At vero licet Hispani Neapolitanum Regnum in suam redegissent ditionem; Cæsar tamen, qui parva quædam Oppida in illis Provinciis, Urbesque tenebat, totumque Siciliæ Regnum usque adhuc à Belli incendio intactum servaverat; Censum Romanæ Sedi pendi solitum cum Asturcone (Chineam nostri dicunt), ut illi mos erat, obtulit hoc anno. *Scipio Poblicola* Princeps *de Sancta Cruce* Cæsareo nomine, magnificoque apparatu, injuncto sibi munere functus est. Hispani è contra, qui idem Tributum Apostolicæ Sedi certatim offerebant, de petita, diuque dilata Neapolitani Regni Investitura, dominiique traditione conquerebantur. Scripta eorum reclamatio Pontifici est denunciata. Vicissim Pontifex de usurpato Parmæ, & Placentiæ Ducatu publicè inclamavit.

Novæ Hispanorum querelæ pro Archiepiscopatu Toletano.

A Non uno tamen dumtaxat nomine *Clementis* prudentiam Hispani insimulabant. Istiusmodi enim querimoniis alias adjungebant, & negatam Toletani Archiepiscopatus concessionem favore *Aloysii* Regii Infantis Hispani publicè lamentabantur. Ardua, Sacrisque Canonibus reluctans eorum petitio videbatur, quod octenni adolescenti, & ad statum eligendum nondum idoneo, tam vastæ Jurisdictionis Archiepiscopatus traderetur. Et tamen mutata petitionis forma *Clementis* indulgentia B instantiæ *Philippi* Regis arrisit. Regius nempè Infans dictus fuit Administrator in temporalibus, & Commendatarius ad tempus, usquedum legitimam assequeretur ætatem Tituli Archiepiscopalis. Usus vero spiritualis Jurisdictionis creditus fuit viro egregio *Bernardo Froilano de Saavedra*, qui nuper Archiepiscopus Larisseus fuerat renunciatus. Præterea ad ornamentum Apostolici Senatus ipse Regius Infans inter Cardinales relatus est.

Aloysius Rex Infans Cardinalis efficitur.

Lusitaniæ Rex novas obtinet concessiones.

Nec minori *Clemens* sollicitudine angebatur C ex parte Lusitani Regis. Postquam enim ad vetera amovenda diffidia, quæ anteactum Pontificatum exagitaverant, *Vincentium Bichium* Sacræ Purpuræ honore decoraverat; Indultumque pensionum, quo jampridem fruebatur super quarta parte quorumcumque beneficiorum, ad placitum Regis imponendarum; ad tertiam partem extenderat; novas tamen preces, arduas quidem, aleæque plenas periculosæ idem Lusitaniæ Rex minitabundus nectebat. Ut Patriarcham Ulyssiponensem D majori dignitate, titulisque insolitis amplificaret, nedum illum Cardinalitia veste ornatum volebat, sed etiam ejus in perpetuum Successores, statim Cardinales dici, ac renunciari petebat. Ardens Regis desiderium prudentia, & liberalitate Pontificis temperatum est. Cautum quippe fuit, ut omnes impotterum Patriarchę, Cardinales futuri sint, loco illorum, qui in proximiori promotione de more forent à Rege nominandi, dummodo Patriarchæ obitus promotionem ipsam anteire contingat (*c*).

Diffidia cum Veneta Republica exorta.

E Tantis distractum curis *Clementis* animum, nuper etiam exorta diffidia cum Veneta Republica exagitarunt. Romæ enim in pervigilio S. Antonii Patavini sublustri nocte obambulantibus Urbis apparitoribus in viciniis Palatii Veneti Oratoris, obvii illis fuere quidam ejus stipatores natione Dalmatæ. Statim inter eos rixa suborta est, unus ex Papæ Satellitibus, tres vero ex Venetis, seu Dalmatis occisi sunt. Ut vero transactum negocium Veneto Senatui F nunciatum est, statim *Zacchariam Canale* Oratorem ex Urbe suum revocat, & Nuncium Sedis Apostolicæ Venetiis abire jubet, donec de illata Reipublicæ injuriâ satisfiat. Ut res utrinque perturbatæ ad concordiam reducerentur, Galliarum Regis Orator operam suam

(*a*) Ut ex Bulla, quæ incipit - Ecclesiæ Militantis. (*b*) Videnda est Constitutio, quæ incipit - In supremo Iustitiæ solio.
(*c*) Ut ex ejus Constitutione, quæ incipit - Inter præcipuas - la 275.

sequestram interposuit. At vero *Clemens*, A qui ad evulgandam veritatem, factum, & facti originem publicè inquisiverat, atque in acta redigi solemniter demandaverat; ut novit pro se pugnare rationem, quascumque oblatas propositiones rejecit; voluitque quod Nuncius Apostolicus Venetias rediret, ut postea factum est, adnitente præsertim Cardinali *Angelo Maria Quirino*; nec amplius de hac molesta querela utrinque est disceptatum.

Moritur Maria Clementina Magnæ Britanniæ Regina.

Initia sequentis anni 1735. immatura mors funestaverat *Mariæ Clementinæ Sobienski* Magnæ Brittanniæ Reginæ, B & Uxoris *Jacobi III.* Romæ agentis. Regiam hanc & spectatissimis virtutibus ornatam fæminam, solemni funebri pompa, & ut Reginam decebat, sumptibus Cameræ Apostolicæ Clemens cumulavit. Corpus ejus lugubri, & splendido apparatu elatum fuit in Basilica SS. XII. Apostolorum Urbis, indè eadem solemni pompa ad Templum Vaticanum illatum est, stipante nedum Pontificiæ Cohortis, & militum Cataphractorum turba, sed etiam Præsulum Romanæ C Curiæ, Episcoporum, Archiepiscoporum, aliaque Ecclesiasticæ Hierarchiæ multitudine.

Europæ tamen, atque Italiæ calamitates ex diuturno Bello inter Christianos Principes susceptæ, imminutæ, ac depulsæ visæ sunt hoc anno propter initam pacem inter Cæsarem, Galliarumque Regem, cui Sardiniæ Rex itidem subscripserat. Ut vero inscio Hispano Rege constituta concordia fuerat; sic in secretas aliorum Principum pactiones *Philippus V.* non venerat. Cæsareis hinc Hispani suspiciosi D erant, & more Belli utrinque vivebatur. Quare *Clemens*, qui nullo defuerat officio, ut optatam inter Principes Christianos pacem institueret, incertam, & nondum benè tutam tranquillitatem dolebat. At majori exagitatus est mœrore, quum omnem Belli exitum in Provincias Ditionis Ecclesiasticæ conversum animadvertit. Germani quippe ex Insubriæ finibus depulsi, ex quibus Galli, & Allobroges nondum recesserant, ad oras Pontificias, veluti ad asylum confugerunt. Æmiliam, at- E que alias Ferrariæ, Bononiæ, atque Urbini Provincias obruerunt, & diurnum miseris Populis tributum imposuerunt, ut hybernantes milites alerent. Supra quindecim centena millium aureorum brevi tempore soluta sunt. Sic iis contingere solet, qui communi bono concordiam parant, atque inermes paci student.

Germani Provincias Ecclesiæ ingrediuntur.

Hinc exhaustis, atque imminutis privatorum viribus, ipsum quoque Principis ærarium imminui cœpit. Huc etiam superaccessit, & F Tritici infœcunda messis ex agris hoc anno collecta, & olei summa caritas, ad quod emendum magna auri vis profusa est, ne Populo Annona deesset. Idcirco numerata pecunia, atque ipsa auri, & argenti species deficiebat ad perficiendos contractus idonea. Argentarii, & duæ Urbis ædes publicæ, mensa nempè nummularia *Sancti Spiritus*, & altera *Montis pietatis*, ultimam penè decoctionem minitabantur. *Clemens* nil intactum reliquit, ne quid Respublica in tanta egestate detrimenti caperet. Tria nummorum centena millia ex ejus parsimonia congesta, atque in ærario publico existentia, Communitatibus Status Ecclesiastici gratis distribuit. Eidem nummulariæ mensę Sancti Spiritus novos Ministros præposuit, veteribusque remotis severas cum iis accepti, & expensi rationes iniit, & novam invexit methodum, ut publicæ egestati satius consuleretur.

Novæ hinc calamitates.

Majora tamen fuere, quæ belli eventus intulit mala etiam Urbi Romæ. Constans percrebuerat rumor, quod aliqui ex Hispanis occultè auderent variis in locis Urbis milites conscribere; parvoque pretio Romanam plebem in Castra abducerent. Populus hinc excitatus gravem minitabatur perniciem non clamoribus modo apertis, sed etiam secessione, occultisque colloquiis. Furere, tumultuari, turmatim in Hispanos sævire, atque ipsi Cohorti Pontificiæ, quæ impetum tenere tentaverat, obsistere ausus est. Eâdem prorsus licentiâ in Oppidis Urbi finitimis Populus ferebatur. Apud Velitras non semel Hispanæ Cohortes, quæ milites hoc pacto conscriptos Neapolim adducebant, circumventæ sunt, gregariusque miles suæ redditus est libertati. Ostiæ Gens illa abjecti generis ad Salinas conducta, Cymbam quamdam Neapolitanam obsederat, Romanamque plebem quâ erat onusta, in libertatem vindicaverat. Cardinalis *Acquaviva* Catholici Regis Administer partem Hispani Exercitus Insubriam petentis apud Velitras subsistere jussit. Eadem Veliterna Civitas more prorsus hostili depopulata est. Similique fato vastatæ, ac direptæ sunt Ostia, & Præneste. Et quasi parva hæc essent, quæ gesta fuerant in Populum Romanum Jure commotum, naturalemque libertatem sub suo Principe reclamantem; petebat ulterius Cardinalis *Acquaviva* de illata sibi injuria satisfieri, læsamque ajebat à Romana Plebe Catholici Regis Majestatem. Poscebat igitur, quod Senatus Romanus, tamquam Plebis caput, veniam petiturus ipsum adiret. Aspera nimis visa est Pontifici postulatio, idcircò rejecta est. Quare aperta dissensio utrimque emersit. *Cardinalis Acquaviva* ex Urbe discessit. Hispani secum, & Neapolitani quotquot in Urbe erant, abierunt. Apostolica in Hispaniis Nunciatura, quæ morte Præsulis *Vincentii Alamanni* vacabat, clausa remansit, & Magistratu destituta; & *Sylvius Valenti* novus Matriti Nuncius designatus, Bayonæ subsistere jussus est. At vero tantus contentionis vigor brevi restinctus est, & fermè mole sua tanta rerum quievere molimina. Siquidem *Philippus V.* ingenitâ animi magnitudine, ab aliqua ulterius petenda satisfactione abhorruit, & Neapolitanos, Hispanosque Romam redire jussit, & Nuncium Hispanicæ Monarchię ad suum revocavit Tribunal. Quod vero disce-

Hispani Romæ milites conscribunt.

Populi Romani tumultuatio.

Funesti hinc effectus.

Hispani ex Urbe excedant.

ptationis reliquum erat, & quæ adversus Datariam Apostolicam, & Nunciaturam Matriti, & Neapoli subsistentem excitatæ fuerant controversiæ, Cardinali *Ludovico Belluga*, tribusque aliis prudentia, & doctrina præditis Cardinalibus datæ sunt absolvendæ. Optata votis omnium pax est consequuta. Pluribusque initis pactionibus scripto etiam firmatis, atque in Tractatus, & Concordiæ formam redactis cuncta prorsus dissidia restincta sunt.

Investitura Regni Neapolitani favore Caroli Hispaniarum Infantis.

Pax enim etiam inita fuerat Cæsarem inter, & Hispanos. Unde potuerat Pontifex *Carolo Borbonio* pacifico Neapolitani Regni possessori, diuque legitimi Dominii traditionem petenti, ultro assentiri. Distulerat *Clemens* inter belli clamores hunc suæ supremæ authoritatis actum exercere, idque libenti animo præstitit, ubi primum optata pax stabiliter affulsit. Investituram, ut dicunt, concessit perpetuam, & ad quoscumque *Caroli Borbonii* descendentes, & successores, & ad fæminas etiam collaterales transitoriam.

Fructus istiusmodi optatæ pacis etiam fuit libera *Augusti III.* in Regem Poloniæ recognitio, cui nimium adversatus fuerat *Dux de Saint Aignan* Christianissimi Regis Orator, ut pote quia etiam ante quam utrimque Bellum indiceretur, in Regem, ut dictum est, Clemens agnoverat *StanislaumLentfiski* in Comitiis Sarmatici Regni à majori parte, & parvo obsistente numero electum. Vanas Belli exitus probavit multiplices Gallici Oratoris contestationes. Regium quippe nomen utrique æmulo competere, inita pacis pacta cum Principibus belligerantibus probavere. Ut invectam in Europam tranquillitatem servaret Deus, afflictisque Ecclesiæ rebus opitularetur; novos Pontifex Ecclesiæ Fastis adscripsit Heroes. Quatuor enim virtutibus miraculisque præstantes Sanctorum Canoni adjecti sunt: Nempè *Franciscus Regis* Gallus, & Societatis Jesu Sacerdos. *Vincentius de Paulis* item Gallus, & Congregationis Missionariorum Fundator, *Catharina Flisca Adorni* Genuensis; & *Juliana de Falconeriis Florentina*. Præterea *Joseph à Leonissa* Sacerdos Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum cultu Beatis debito cumulatus fuit.

Franciscus Regis Vincentius de Paulis, Catharina Flisca, & Juliana Falconeira inter Sanctos relati.

Vacaverat hoc anno amplissima Dignitas Senatoris Urbis. Hanc Comiti *Nicolao de Bielk* ultro attribuit. Æmulisque postpositis Romæ Magnatibus, qui hanc Dignitatem ambiebant, hunc nobilem, & inter Optimates Svecici Regni præstantem, cæteris prætulit; quod ejuratis Hæresis erroribus extorris, & vagus ad veritatem Catholicæ Fidei, & ad asylum Romanæ Ecclesiæ confugerat.

Comes de Bielk Senator Urbis.

Cum *Maria Amalia* memorati *Augusti III.* filia *Carolus* Neapolitanus Rex Matrimonium anno 1738. contraxerat. *Clemens* igitur honoribus, & Paternæ charitatis argumentis utrumque Principem prosequuturus, obvium Reginæ misit *Flavium Chisium*, quem Nuncium extraordinarium dixit, ut Reginam

Rex Neapolis Uxorem ducit Amaliam Augusti III filiam

Officia a Pontifice exhibita Reginæ pertranseunti.

A in itinere comitaretur; & Legatus etiam de Latere Apostolicus dictus est Cardinalis *Agapitus Mosca*, qui Ferrariæ, ubi jam Provinciæ Legatus considebat, illam excepit, ac Pontificio nomine Apostolicam Benedictionem & diversi generis munera impertivit. Præterea *Nerium* Cardinalem *Corsinium* Nepotem suum Velitras misit, qui simili officii genere Reginam percoluit, atque ipsi ea negocia Neapolitani Regni commendavit, quæ diutino perturbata malo, in Religionis & Pontificiæ
B authoritatis incrementum, facillime tantæ conjugis ope componi poterant.

At Cæsar vix bello solutus, quo à Gallis, & Hispanis in Italia & ad Rhænum petitus fuerat; statim Germanas copias, & validum Belli robur in Hungariam verterat, Moschis sibi fædere junctis suppetias laturus, Turcas aggressus est. Infelici tamen exitu. Inito enim propè *Crotzkam* prælio, Cæsarei ab hostibus circumventi, magna ex parte profligati sunt, cæteri in fugam versi, *Orsova* à Barbaris ca-
C pta, & *Taurunum* [a] immani obsidione pressum, ad ineunda pacis consilia Cæsarem adigebant. Iniquis conditionibus pax est restituta. *Taurunum*, & cuncta *Serviæ* Provincia Barbarorum adjecta est Imperio. Et tamen nulli *Clemens* defuerat officio, quo Cæsari auxilio esset. Octingenta Florenorum millia ab Ecclesiasticis Austriacæ Domui subjectis exolvenda hoc anno concesserat. Alia insequenti anno quadringenta Florenorum millia similiter indulsit. Et ut rescivit quamplures in Hun-
D garia ægrotantes milites omni pæne auxilio etiam in spiritualibus destitutos; duodecim Ducatorum millia ex Marsupio ejus privato, & ab aliis Romanæ Urbis Ecclesiasticis ejus exemplo excitatis, triginta in totum Ducatorum millia collegit, & Nuncio Apostolico Viennam immisit. Sic nonnulli verbi Dei præcones, aliique Evangelici administri acciti sunt; Medici præterea, & pharmacopolæ assumpti, qui morbo laborantibus, atque in agone positis opportuna remedia adhibuerunt. Princi-
E pem *Ragozski* rebellem, & Cæsari infensissimum anathemate perculit. Ita Cæsar exoptaverat juxta famigeratam Constitutionem = *In Cæna Domini* = jamdiu à sæcularibus viris impetitam, & oppugnatam, nunc efflagitatam, atque invocatam. Idem Princeps *Ragozski* communione Fidelium solutus, brevi vitam miserrime emisit.

Cæsar in Turcas bellum init.

[a] Belgrado

Subsidia a Pontifice collata.

Principem Ragotski anathemate percalit

Inter tantas, quibus Cæsar obruebatur, calamitates, occasionem *Clemens* invenisse ratus recuperandi Parmæ, & Placentiæ Ducatus;
F vicies centena millia Florenorum obtulit, extrahenda ex Arce S. Angeli, si S. Sedi Ducatus ille restitueretur. Rejecta tamen conditio est, & etiam in maximo Christiani nominis periculo, nihil æqui impetratum fuit.

De restitutione Parmæ, & Placentiæ incassum Pontifex agit.

Nonnulla in Galliis in Religionis perniciem gliscentia mala paterna caritate, quandoque etiam aperta constantia eripuit. Libellum quemdam damnaverat Episcopi Montis pessu-

lani

a de Mont pellier.

lani[a], quo Clero, & Populo suæ Diæcesis significabat, & tamquam vera asserebat, aliqua à quodam *Francisco Paris* falsò patrata miracula ad decipiendum incautos, & ad aures offendendum Christifidelium dumtaxat idonea (*a*). Alium Historiæ Jansenianæ, & Quesnellianæ, qui nuper prodierat, librum damnavit, prohibuitque, utpotè quia sublinitis offuciis, manifestisque mendaciis, famigeratæ Constitutioni *Unigenitus* adversabatur, noxiumque *Quesnellii* Librum tamquam pium, & saluberrimum exhibebat (*b*). Similes in dies prodeuntes opellas, erroribus compactas, quibus Hæreticorum solent allaborare prela, omnino improbavit (*c*). Atque ad consulendum in Galliæ Regno Ecclesiæ tranquillitati, *Petrum Guerin de Tencin* Archiepiscopum Ebredunensem, promovente *Jacobo III.* Magnæ Brittaniæ Rege ad S. Purpuræ honorem evexit.

Libros in Galliis evulgatos damnat.

Grave etiam *Clementi* negotium facessebat suborta nuper cum Etruriæ administris difficultas de Feudo *de la Carpegna*, quod ad fines Ducatus Urbinatis Magno Etruriæ Ducatui subjungitur. Contendebatur enim de directo utrimque dominio super hoc Castro, ac præsertim super Oppido *Scavolini*, quod morte Principis de Carpineo ultimi illius possessoris Marchioni *Æmilio de Cavaleriis* Sororis filio non ita pridem obvenisse credebatur. Et quoniam protracta diu contentio est; quinimo in Pontificatu Benedicti XIV. morte Comitis *Francisci de Carpineo* rursus est instaurata; eo tandem res devenit, ut amicabili disceptatione litigium ex æquo, & bono dirimatur.

Nec silentio prætereundæ sunt novitates illæ, quæ hoc atque sequenti anno 1740. Rempublicam *Sancti Marini* exagitarunt. Parva hæc Italiæ Civitas sub protectione Sanctæ Sedis, atque intra fines ejus ditionis existens, ad ultimum penè discrimen adducta est. Odio inter se pertinaci diffidebant Plebei, & Magnates. Aliqui vero eorum nimis asperè in plebem exæstuabant. Abrogati hinc atque interdicti Magistratus, leges ipsæ silebant, & in maxima rerum perturbatione, authoritatem Pontificis, supremi Urbis Domini, populus invocabat. Cardinalis *Alberoni*, qui finitimam Æmiliæ Provinciam administrabat, tamquam Sanctæ Sedis de Latere Legatus, idoneam ratus occasionem invenisse recuperandæ Civitatis, eamque Imperio Sanctæ Sedis adjiciendi, non ita pridem Pontificem extimulaverat, ut aliquem admoveret militum numerum. Parata esse omnia, & juramentum fidelitatis sine mora dicturos esse omnes palam ajebat. *Clemens*, qui nulla tenebatur dilatandi Imperii cupidine, nec iis adimere libertatem volebat, quibus à suis Prædecessoribus data fuerat cum novo privilegiorum incremento (*d*) *Alberonio* edixerat, quod si concorditer omnia processissent, Urbi interesset, & juramentum reciperet fidelitatis. At contra Alberonius, de statu rei non bene certior factus, eductis Satellitibus, equitibusque biscentum Urbem ingressus est, atque in Templo majori populum, & Cives evocavit, qui Principi formidolosum Sacramentum dederunt.

Controversia de Republica S. Marini.

Ut vero transactum negotium *Clementi* nunciatum est, gravissimè indoluit inversa ejus mandata, & sibi illusum fuisse. Et ut veram suæ moderationis mentem patefaceret, *Henricum Henriquez* Præsulem integerrimum illuc admovit, ut remoto militari apparatu, quid major, saniorque pars Populi *San-Marinensis* sentiret, sedulo introspiceret, ejusque indemnitati consuleret. Rem scitè perfecit Præsul *Henriquez*, & populo, ut palam inclamabat, libertatem restituit, eumque de receptis injuriis vindicavit, discordiam vero, & perturbatam Reipublicæ dominationem ita composuit, publicisque aptavit edictis, ut sancito, atque obfirmato Papæ dominio, optimarumque legum usu instaurato, ut olim Clemens VIII. similiter effecerat, integra, ut antea fuit, vigeret libertas. Obsoletos restituit Magistratus, & hac semel vice Præsidem, seu Urbis Gubernatorem arbitratu suo creavit (*e*).

Hoc per *Clementem* exhibito tantæ moderationis exemplo, acrius in habitatores *Turris Camerinensis* animadvertit. Oppidum hoc *Turris* nuncupatum, Urbinati in Agro situm est, & ad nobilem Familiam de *Bonarellis* attinebat. Incolæ vero Oppidi prævaricatores, & vectigalium fraudatores perditissimè vivébant; finitimos populos pravis moribus inficiebant, atque omnia per vim, per licentiam perpetrabant. *Clemens* admoto apparitorum, militumque competenti numero, Præsuli *Ignatio Crivellio* Provinciam delegavit, ut sordidum hoc genus hominum rebelle, atque indocile subigeret, meritisque plecteret pœnis. Capto itaque Oppido, sumptoque de duobus factiosis supplicio, cæteri in fugam versi, omnes denique armis exuti sunt. Feudum vero Cameræ Apostolicæ redditum est, & Comiti *de Bonarellis* legitimo illius possessori tantumdem in Agro Romano datum est.

Assiduis interea curis, atque ætate longæva attritus *Clemens*, graviter cœpit ægrotare. Sæpe, & jamdiu podagra laboraverat, qua tamen depulsa, ut solebat, pristinæ reddebatur valetudini, illique adeo robustæ, ac validæ, ut statim patiens laboris, & ad expedienda negotia quasi promptior efficeretur.

Pontifex ægrotat.

At

(*a*) Damnatio hujus Libri extat in Constitutione 143. hujus Papæ, quæ incipit - Cum sicut.

(*b*) Liber Titulum præferebat - Histoire du Livre des Reflexions morales sur le nouveau Testament, & de la Constitution Unigenitus - A Amsterdam - Clemens XII. Librum damnavit in Constitutione 274., quæ incipit - Inter cæteras -

(*c*) Constitutione 276., quæ incipit - Cum sicut Nobis.

(*d*) Pius II. anno 1643. Oppidum *Seravallis*, *Fætani*, aliaque San-Marinensibus dono dedit, reservato Supremo Sanctæ Sedis dominio: Præterea *Leo X. Martinus V. Eugenius IV.*, & *Clemens VIII.* eorum Privilegia confirmarunt, & nova addiderunt.

(*e*) Epistolis publicis juris factis, Vindiciisque evulgatis.

At ineunte Octobri mense præcedentis anni adeo morbus vires suas exeruerat, ut in febrim inciderit, & in evidenti periculo versatus fuerit. Paulisper quidem refici visus est, numquam tamen penitus emersit.

Vix recreatus, & ad meliorem spem excitatus, Apostolicas resumpsit sollicitudines, atque extremis etiam, quibus supervixit, diebus Christianæ Reipublicæ utilitati non defuit. Vicies centena millia aureorum ex Ecclesiasticis Hispaniæ redditibus exigi indulsit *Philippo V.* Regi Catholico, ut bellum aleret, quod in Anglos fovebat. Regi etiam Christianissimo, ejusque Successoribus præcipuum concessit Indultum nominandi ad quæcumque beneficia Ecclesiastica in ditionibus Lotharingiæ, & Bari; excepto tamen Mediano Monasterio *de Moyen* nuncupato & capite Congregationis SS. Vidoni, & Hidulphi in Provincia Trevirensi, aliisque exceptis, si quę alia sint Congregationum capita, Monasteriis, ut plenius in ejus videnda Constitutione (*a*) recensetur.

Sed exeunte Januario mense hujus anni 1740., eodem prorsus morbo corripitur. Pręcordia, & præsertim intestina podagra invaserat. Fessa, ac languens natura impar erat ingravescenti infirmitati. Hinc urinæ difficultas, hinc febris, & insomnia, hinc demum ventris, & stomachi inflatio superaccessit. Die 27. Januarii conclamata salus est. Et tamen aliquibus advenientibus fandi copiam suppeditavit. Admonitus de instanti periculo, non expavit ad nuncium mortis, & sacris meditationibus totus incubuit. Postridiè Sacrum Christi Corpus avidissimè expetitum summâ Religione pro Viatico sumpsit. Die 29. Januarii Sancto Oleo delibutus, aliorum lacrymas spectavit immotus. Qui ægrotantem sæpiebant viri graves, & Generales Religiosorum Ordinum Præsides pietatem, & decumbentis constantiam mirabantur. Piæ sanctæque oppetendę morti unice studebat, & quas ipsi piarum precationum formulas pronuntiandas ingerebant, ipse submissa voce repetebat.

Ejus mors. Adstabat præ cęteris Sanctitate, & doctrina celebris, Frater *Bonaventura Barberinius* ex Ordine Minorum Cappuccinorum, eo tempore Concionator Apostolicus, & qui deindè Ferrariensi Archiepiscopatui admotus fuit. Is ut extremis decumbentem juvaret officiis, vehementer extimulabat, ut Apostolatus forsan non bene gesti pœniteret, Deumque ad sibi ignoscendum rogaret; *Clemens* respondit = *minimè sibi hac occasione dolendum esse, qui quantum nosse poterat, benè gerendo Apostolatui summa ope studuerat* = Eidemque *Barberinio* respondenti = nequaquam hoc satis esse, quum Romanus Pontifex etiam de iis, quæ neglexerit, aut prætermiserit, reus esse possit = *Clemens* respondit = *quod neque hac in re ullo Conscientiæ stimulo agitabatur* =.

Sic *Clemens* actæ vitæ innocentiâ optimam in spem adducebatur, nec ulla angebatur animi renitentis formidine. Sic sui simillimus obiit die 6. Februarii hujus anni 1740., ætatis ejus octogesimi octavi, Regni vero ejus decimi. Ut mortis illius increbuit rumor; statim luctus ferè omnium Urbem invasit. Populus enim Pontificem sui amantissimum quam maximè dilexit. Animi quippè Dotes etiam in privata fortuna illi fuerunt, pietas sine ostentatione, magnificentia, & liberalitas sine fastu; Justitiæ ardens sollicitudo, propositi tenax constantia. Aditu facilis omnibus, non austerus, sed obvius, & jucundus. Hominum ærumnosorum, aliorumque odio, aut adversa vicissitudine exagitatorum, ultra modum protector. Hinc plurimorum illi conflata est invidia. Cæterum eruditos homines coluit, ingenuas artes tutatus est, antiquitatis peritos dilexit, ac juvit. Ejus animi Dotes.

Habitu vero corporis fuit *Clemens* supra mediocritatem; vigenti tamen, ac robusta temperatione, eleganti vultu, ac decoro, facie liberali, & ingenua, colore albo, & roseo, capillis flavis, albicantibus oculis. Nasus illi erat rectus, & oblongus, labrum superius paulisper prominens.

Ingruente nocte diei sequentis è Quirinali Palatio ad Vaticanam Basilicam corpus ejus maxima funebri pompa translatum fuit. Tertio novendialium exequiarum die, laudes ejus recensuit luculenta Oratione eximius Præsul *Æneas Sylvius Piccolomineus*; & die 17. ejusdem mensis in eadem Vaticana Basilica humatum fuit loco Depositi; donec ut ipse edixerat, ad Lateranensem Basilicam translatum est in magnifico Sacello ab ipso erecto, conditumque est in insigni Mausolæo, quod suæ memor mortalitatis, sibi vivens extruxerat.

Quatuor supra quinquaginta Cardinales nomine recensentur, qui Vaticanis Comitiis interfuerunt pro electione Clementis XII., cæteri vel absentes, vel tempore Comitiorum demortui in eumdem numerum rediguntur.

CARDINALES EPISCOPI

1 Franciscus Pignattellius, Decanus Sacri Collegii Archiepiscopus Neapolis, creat. à Clemente XI. die 17. Decembris anni 1703. Neapolitanus.

2 Franciscus Barberinus Episcopus Ostiensis, creatus ab Alexandro VIII. die 13. Novembris 1690. Romanus.

3 Jacobus Boncompagnius Episcopus Albani,

(*a*) Quæ incipit - Alias quidem.

ni, & Archiepiſcopus Bononiæ, creatus ab Innocentio XII. die 12. Decembris anni 1695. Bononienſis. A

4 Petrus Otthobonus Epiſcopus Sabinæ, & S. R. E. Vice-Cancellarius, creatus ab Alexandro VIII. die 7. Novemb. 1689. Venetus.

5 Laurentius Corſinius Epiſcopus Tuſculanus, creat. à Clemen. XI. die 17. Maii 1706. Florentinus Pontifex.

6 Thomas Ruffus Epiſcopus Præneſtinus, creat. à Clemente XI. die 17. Maii 1706. Neapolitanus. B

PRESBYTERI CARDINALES.

7 Joſeph Renatus Imperiali Tituli Sancti Laurentii in Lucina, creatus ab Alexandro VIII. die 13. Novembris 1690. Genuenſis.

8 Annibal Albanus Tituli Sancti Clementis S. R. E. Camerarius, creatus à Clemente XI. die 23. Decembris 1711. Urbinas. C

9 Ludovicus Pico Tituli S. Praxedis, creatus à Clemente XI. die 18. Maii 1710. Mirandulanus.

10 Joannes Antonius de Via Tituli S. Petri ad Vincula, creatus à Clemente XI. die 18. Maii 1712. Bononienſis.

11 Antonius Felix Zonzadarius Tituli Sanctæ Balbinæ, creat. à Clemente XI. die 18. Maii 1712. Senenſis.

12 Petrus Marcellinus Corradinius Tit. Sanctæ Mariæ in Tranſtyberim, creatus à Clemente XI. die 18. Maii 1712. Setinus. D

13 Armandus Gaſto de Rohan Tituli Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pincio, creat. à Clemente XI. die 18. Maii 1712. Gallus.

14 Curtius Origo Tituli S. Euſtachii, creat. à Clemente XI. die 18. Maii 1712. Romanus.

15 Melchior de Polignac Tituli S. Mariæ Angelorum, creatus à Clemente XI. die 18. Maii 1712. Gallus. E

16 Benedictus Odeſcalcus Tituli SS. Duodecim Apoſtolorum Archiepiſcopus Mediolani, creat. à Clemente XI. die 30. Januarii 1713. Mediolanenſis.

17 Damianus Hugo de Schoemborn Buchaim Tituli Sanctæ Mariæ de Pace Epiſc. Spiræ, creatus à Clem. XI. die 18. Maii 1712. Germanus.

18 Henricus de Thiard de Biſsì Tituli Sanctorum Quirici, & Julitæ, Epiſcopus Meldenſis, creatus à Clemente XI. die 30. Januarii 1713. Gallus. F

19 Innicus Caracciolus Tituli S. Thomæ in Parione Epiſcopus Averſæ, creatus à Clemente XI. die 29. Maii 1715.

20 Nicolaus Spinula Tituli SS. Nerei, & Achillei, creatus à Clemente XI. die 16. Decembris 1715. Januenſis.

21 Gibertus Borromæus Tituli S. Alexii Epiſcopus Novariæ, creat. à Clemente XI. die 16. Decembris anni 1715. Mediolanenſis.

22 Julius Alberonius Tituli S. Chryſogoni, creatus à Clem. XI. die 12. Julii 1717. Placentinus.

23 Georgius Spinula Tituli S. Agnetis, Legatus Bononiæ, creat. à Clemente XI. die 39. Novembris 1719. Januenſis.

24 Cornelius Bentivolus de Aragonia Tituli S. Cœciliæ, creatus à Clemente XI. die 29. Novembris 1719. Ferrarienſis.

25 Ludovicus Belluga, & Moncada Tituli S. Priſcæ, creatus à Clemente XI. die 29. Novembris 1719. Hiſpanus.

26 Michael Fridericus de Althan Tituli Sanctæ Sabinæ, creatus à Clemente XI. die 29. Novembris 1719. Germanus.

27 Alvarus Cienfuegos Tituli S. Bartholomæi in Inſula, Archiepiſcopus Montis Regalis, creat. à Clemente XI. die 30. Septembris 1720.

28 Joannes Baptiſta Altierius Tituli S. Matthæi in Merulana, creatus à Benedicto XIII. die 11. Septembris 1724. Romanus.

29 Vincentius Petra Tit. S. Honuphrii, creatus à Benedicto XIII. die 20. Novembris 1724. Neapolitanus.

30 Proſper Mareſuſchius Tit. S. Sylveſtri in Capite, Papæ Vicarius, creatus a Benedicto XIII. die 10. Decembris 1724. Maceratenſis.

31 Nicolaus Coſcia Tituli S. Mariæ in Domnica, creatus à Benedicto XIII. die 11. Junii 1725. Beneventanus.

32 Angelus Maria Quirinus Congregationis Caſſinenſis Sancti Benedicti Tituli Sancti Marci Epiſcopus Brixiæ, creat. à Benedicto XIII. die 9. Decembris 1726. Venetus.

33 Nicolaus Maria Lercarius Tituli SS. Joannis, & Pauli, creat. à Benedicto XIII. die 9. Decembris 1726. Januenſis.

34 Proſper Lambertinius Tituli S. Crucis in Hieruſalem Epiſcopus Anconæ, creatus à Benedicto XIII. die 9. Decembris 1726. Bononienſis.

35 Franciſcus Antonius Finius Tituli S. Sixti, creatus à Benedicto XIII. die 9. Decembris 1726. Minervienſis.

36 Sigiſmundus Kollonitz Archiepiſcopus Viennæ in Auſtria, creatus à Benedicto XIII. die 26. Novembris 1727. Germanus.

37 Philippus Ludovicus de Sinzendorf Epiſcopus Jaurinenſis, creatus à Benedicto XIII. die 26. Novembris 1727. Germanus.

38 Fr. Vincentius Ludovicus Gotti Tituli S. Pancratii, creatus à Benedicto XIII. die 30. Aprilis 1728. Bononienſis.

39 Domnus Leander Porzia Ordinis Benedi-

cto

ctinorum Congregationis Caſſinenſis Tituli S. Caliſti, creatus à Benedicto XIII. die 30. Aprilis 1728. Forojulienſis. A

40 Petrus Aloyſius Caraffa Tituli S. Laurentii in Pane, & Perna, creatus à Benedicto XIII. die 20. Septembris 1729. Neapolitanus.

41 Joſeph Accorambonus Tituli S. Mariæ Tranſpontinæ Epiſcopus Imolæ, creatus à Benedicto XIII. die 20. Septembris 1728. Spoletinus.

42 Camillus Cybo Tit. S. Stephani in Monte Cœlio, creatus à Benedicto XIII. die 23. Martii 1729. Carrarienſis. B

43 Franciſcus Burgheſius Tituli S. Petri in Monte Aureo, creatus à Benedicto XIII. die 6. Julii 1729. Romanus.

44 Frater Vincentius Ferrerius Ordinis Prædicatorum Tituli S. Mariæ in Via Epiſcopus Vercellenſis, creat. à Benedicto XIII. die 6. Julii 1729. Nicienſis.

45 Alamannus Salviati Tituli S. Mariæ in Ara-Cœli, creatus à Benedicto XIII. die 8. Februar. 1730. Florentinus. C

CARDINALES DIACONI.

46 Laurentius Altierius Diac. S. Agathæ ad Suburram, creatus ab Alexandro VIII. die 13. Novembris anni 1690. Romanus.

47 Carolus Columna Diac. S. Angeli in Foro Piſcium, creatus à Clemente XI. die 17. Maii 1706. Romanus.

48 Fabius de Abbatibus Oliverius Diac. Sanctorum Viti, & Modeſti, creat. à Clemente XI. die 6. Maii 1715. Piſaurenſis. D

49 Carolus Marini Diac. S. Mariæ in Aquiro creat. à Clemente XI. die 29. Maii 1715. Januenſis.

50 Alexander Albani Diac. S. Mariæ in Coſmedin, creat. ab Innocentio XIII. die 16. Iulii 1721. Urbinas.

51 Alexander Falconerius Diac. S. Mariæ de Scala, creatus à Benedicto XIII. die 11. Septembris 1724. Romanus.

52 Nicolaus Judice Diac. S. Mariæ ad Martyres, creat. à Benedicto XIII. die 11. Junii 1725. Neapolitanus. E

53 Antonius Banchierius Diac. S. Nicolai in Carcere, creatus à Benedicto XIII. die 9. Decembris 1726. Piſtorienſis.

54 Carolus Colligola Tit. S. Mariæ in Porticu, creatus à Benedicto XIII. die 9. Decembris 1726. Spoletinus.

Cardinales abſentes, vel mortui tempore Comitiorum.

55 Auguſtinus Cuſanus Tituli Sanctæ Mariæ de Populo, creat. à Clemente XI. die 18. Maii 1712. Mediolanenſis.

56 Nonius à Cunha de Attayde Tituli Sanctæ Anaſtaſiæ, creatus à Clemente XI. die 18. Maii 1712. Luſitanus.

57 Wolphangus Annibal de Schrattembach Tituli S. Marcelli, creat. à Clemente XI. die 18. Maii 1712. Germanus.

58 Emericus Cſakius Tituli S. Euſebii, Archiepiſcopus Colocenſis, creatus à Clemente XI. die 12. Julii 1717. Hungarus.

59 Leo Potiers de Geſvres, creatus à Clemente XI. die 29. Novembris 1719. Gallus.

60 Philippus Thomas de Alſatia de Bouſsù Tituli S. Cæſarei Archiepiſcopus Mechlinienſis, creatus à Clemente XI. die 29. Novembris 1719. Belga.

61 Joſeph Pereyra de la Cerda Tituli S. Suſannæ Epiſcopus Faraonienſis, creatus à Clemente XI. die 29. Novembris 1719. Luſitanus.

62 Carolus Borgia Tituli S. Pudentianæ Patriarcha Indiarum, creat. à Clemente XI. die 29. Novembris 1719. Hiſpanus.

63 Domnus Bernardus Maria de Comitibus Congregationis Caſſinenſis S. Benedicti Tituli S. Bernardi, creatus ab Innocentio XIII. die 16. Junii 1721. Romanus, obiit tempore Comitiorum die 23. Aprilis 1730.

64 Andreas Hercules de Fleury, creatus à Benedicto XIII. die 11. Septembris 1727. Gallus.

65 Didacus de Aſtorga y Ceſpides Archiepiſcopus Toletanus, creatus à Benedicto XIII. die 26. Novembris 1727. Hiſpanus.

66 Joannes de Motha y Sylva, creatus à Benedicto XIII. die 26. Novembris 1727. Luſitanus.

67 Benedictus Pamphilius Tituli S. Mariæ in Via-Lata, creatus ab Innocentio XI. die prima Septembris 1681. Romanus, ob. tempore Comitiorum die 22. Martii 1730.

Tres, quæ deſunt ſedes ad implendum numerum Sacri Collegii, vacuas reliquerat Benedictus XIII.

præsertim vero *Francisco Mariæ* Cardinali Mediceo, qui ejus familiaritate nil jucundius putare videbatur.

Anno 1716. *Cosimus III.* Magnus Etruriæ Dux eum in Galliam allegavit suarum rerum Administrum. Graviora illi profecto negocia, & abdita illius Principatus arcana credita sunt. De eligendo etiam in ea Provincia, Successore ob infelicem illorum Principum sterilitatem, prudenter egit. Iisdem de Causis in Angliam trajecit. Indè ad Conventum Cameracensem accessit, ubi Europæ Principum Oratores pro sancienda pace convenerant. His probè functus muneribus, Dux, seu Chiliarca renunciatur Equitum stipatorum Magni Ducis, & revocatur ad suos. Sæpè etiam de maximis, quæ obversabantur, rebus in consilium accitus est.

Ast è vivis erepto anno 1723. *Cosimo III.* Magno Etruriæ Duce, ratus suam exonerasse fidem ob tamdiu vigilem Etruriæ Principibus præstitam operam, regnante *Joanne Gastone* Cosmi III. filio, Romam se contulit. Huc jampridem, ac sæpe eum vocaverat Patruus ejus Cardinalis *Laurentius Corsinius*, qui avitis inhærens exemplis Nerium inter Aulæ Præsules, & ad maximas Ecclesiæ dignitates allicere exoptaverat. Ipse verò occulta quadam animi renitentis formidine detinebatur, ne Statum Ecclesiasticum arriperet. Et quam moribus intaminatis servabat, severam vitæ rationem, habitu exprimere, atque exterius promere recusabat; quandoque etiam urgere eum non destitit, ut Romæ saltem Uxorem duceret, & semen suscitaret alterius Corsiniæ Sobolis, quæ per obitum sine filiis Marchionis *Francisci Mariæ* nuper Romæ defecerat. At nec minus ille à nuptiis dissentiebat.

Sic veste sæculari indutus incessit, donec divino consilio idem Patruus ejus in Apostolica Sede locatus est. Ast eo ad Summi Pontificatus apicem evecto, Nerius propositi tenax ab ineundo Ecclesiastico instituto abhorrebat, nec ad id adduci potuit, nisi amicorum impulsu, præsertim vero Cardinalis *de Via*, qui illi in animum induxit, ne Patruum derelinqueret, cui opitulari, ut decebat, quammaximè poterat; præcipuè quia multa pollebat exterarum gentium, magnorumque Europæ Principum notitia. Præsul tandem effectus Romanæ Curiæ, statim à supplicibus Libellis, & Prothonotarius Apostolicus renunciatur. Brevi inde temporis intervallo, scilicet hac die 14. Augusti anni 1730. Cardinalis efficitur, nonnisi tamen quàm die 11. Decembris ejusdem anni evulgatus est. Diaconia illi confertur Sancti Adriani, & omnibus Urbis Congregationibus adscribitur.

Nec inutile, nec segne fuit ejus Ministerium in gravibus illis, quibus Clemens regnavit, temporibus. Longo quippè usu edoctus, & Populi, & Principum ferre mores, quotquot cum iisdem Christianis Principibus obortæ sunt controversiæ, prudenti velificandi arte composuit. Quotquot in Patrui Pontificatu pro recto Urbium, & Populorum Regimine molestiæ, vel difficultates emerserunt sustinuit, evertit.

Ex Diaconia *Sancti Adriani* ad alteram ascendit *Sancti Eustachii*, nec ultra progressus est. Et nisi Sacerdotalem dignitatem tamdiu formidasset, jam in Ordine Episcopali inter seniores maneret. Mortuo Cardinale *Imperiali* Protector Hiberniæ dictus fuit, atque in Pontificatu BENEDICTI XIV. Protector etiam est renunciatus Lusitaniæ Regni; quod munus usque ab assumptione *Innocentii XIII* ad Apostolatum jamdiu vacabat. Comitiis adfuit Vaticanis pro electione BENEDICTI XIV., illique ad Pontificatum suffragatus est. Vivit adhuc vegeta in ætate pauperum solator, & proborum hominum Cultor.

Secunda Cardinalium enunciatio facta


A

CLEMENTE XII.

Die 2. Octobris anni 1730.

Quatuor exhibet Cardinales, qui sunt.

Alexander Aldobrandinus ad Hispaniarum Regem Nuncius Apostolicus. Florentinus.
Hieronymus Grimaldus apud Cæsarem Sanctæ Sedis Nuncius. Genuensis.
Bartholomæus Masseus ad Gallorum Regem Nuncius Apostolicus. Montis Politiani.
Bartholomęus Ruspolus Congregationis de Propaganda Fide Secretarius. Romanus.



Alexander Aldobrandinus, Archiepiscopus Rhodiensis, apud Hispaniarum Regem Apostolicæ Sedis Nuntius, Florentinus, S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmō. D. N. CLEMENTE PAPA XII. in Consistorio secreto die 2. Octobris 1730. Obyt die 14. Augusti 1734

Roccus Pozzi sculp.

Laurentius Philippus de Rubeis Calcographus Vaticaii Filius q. Dominici Hæredis Io. Iacobi form. Rōad T. S. M. de Pace cum Priv. S. P.

I I.

A ALEXANDER ALDOBRANDINUS Florentinus, avito natalium ſplendore clarus in lucem prodiit die prima Maii anni 1667. Patrem habuit *Joannem Franciſcum*, olim Senatoris *Sylveſtri* filium, Matrem vero *Camillam Paſquali*. Ex Fratre Nepos fuit *Baccii Aldobrandini* ab Innocentio X. inter Cardinales relati, ut alios prætereamus præſtantes viros, qui vetuſtiori tempore ex hac præclara Gente prodierunt.

Alexander majorum ſuorum inhærens exemplis, ſedulam à pueritia pietati, ſtudioque literarum navavit operam. Ut vero ad altiores indè facultates progrederetur, Romam venit in Seminario Romano, & ſub diſciplina Patrum Societatis Jeſu Philoſophiæ, & Theologiæ naviter incubuit. Mox ex eodem Seminario eductus ab *Innocentio XII.* inter ejus Cubicularios honoris relatus fuit. Quinimò tantam Pontificis gratiam ſibi conciliavit, ut Canonicus Liberianæ Baſilicæ renunciari, & aliis Papæ beneficiis cumulari promeruerit.

Sedulus interea exactor temporis, Juriſprudentiæ una ſimul, atque omnigenæ eruditioni navabat operam. Literatorum hominum B amicus & fautor evaſerat. Valdè ab iis commemoratus fuit, & laudibus exornatus. Eum præ cæteris amicum ſuum vocat, & Mœcena-

tem

tem celebris *Vincentius Viviani* immortalis Galilæi discipulus (*a*).

Exeunte demum *Innocentii XII.* Pontificatu, die scilicet 14. Maii anni 1699. Præsulum Romanæ Curiæ amplexus est institutum. Primum inter Præsules Papæ domesticos cooptatur; Ferrariæ indè Prolegatus præficitur.

Clemens XI. anno 1702. quum Italia ferè universa Austriacis, Gallicisque copiis obrueretur, Urbes Parmam, & Placentiam adversus concursantes acies Pontificio munierat Præsidio; nec illud ante removit, quàm tutior Regioni facta est conditio. Dum itaque *Aldobrandinus* Ferrariæ Prolegatus esset, Parmam allegatur Commissarius Apostolicus. Hujus rei procurationem habuit, aliaque illi cum Duce *Farnesio* curanda negocia credita sunt. Mandata ille nedum accuratè confecit, sed etiam maximam sibi gratiam conciliavit Parmensium Principum. Præsertim vero *Elisabeth* Farnesiæ futuræ Hispaniarum Reginæ.


His fretus auxiliis, atque his strenuè functus muneribus inter Cameræ Apostolicæ Clericos primum refertur, deindè Neapolim mittitur Nuncius Apostolicus, & titulo Archiepiscopi Rhodiensis decoratur. Venetæ indè Reipublicæ Nuncius item Apostolicus renunciatur. Ibi Jurium Sanctæ Sedis assertor & fidus Catholicæ Religionis Administer, quo tempore Turcarum Imperium Europæ immani bello minitabatur, subsidia, quæ paterna sol-

A licitudine *Clemens XI.* adstruebat, properavit, & Venetæ suppeditavit Reipublicę. Tandem exeunte *Clementis XI.* Pontificatu, tertia ornatur Legatione, & in eodem Nuncii munere ad Hispanos allegatur. Ibi *Elisabeth Farnesia* Hispaniarum Regina, veteris non immemor benevolentiæ, præsidio illi fuit, adeout Apostolicus Administer Spartam, quam nactus fuerat, cumulatè absolverit, atque ornaverit.

In hoc amplissimo Magistratu toto mansit

B tempore Pontificatus *Innocentii XIII.*, & *Benedicti XIII.* Demum assumpto ad Apostolatum *Clemente XII.* optatum laboribus præmium illi attribuit hac die 2. Octobris anni 1730., eumque in Sacrum Cardinalium cœtum invexit. Quum vero Romam advenit, titulo decoravit Presbyterali *SS. Quatuor Coronatorum*. Eum præterea Congregationibus adjecit Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Immunitatis Ecclesiasticæ, & Propagandæ Fidei. Ferrariensi demum Pro-

C vinciæ de Latere Legatus eodem anno 1730. admotus est; sed vir justissimus, & æquitatis maximè cultor brevi è vivis ereptus est. Podagræ doloribus attritus, naturæ concessit die 14. Augusti anni 1734., atque in eadem Ferrariæ Civitate sepultus est in Ecclesia S. Hieronymi Patrum Carmelitarum Excalceatorum.



HIE-

(*a*) Vincentius Viviani de locis solidis secunda divinatione in Aristæum in Epistola nuncupatoria ad Lectorem.



Hieronymus Grimaldus, Archiepiscopus Edessenus, apud Cæsaream Majestatem Apostolicæ Sedis Nuntius, Ianuensis, S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo. D.N. CLEMENTE PAPA XII. in Consistorio secreto die 2. Octobris 1730.
Obiit die 18 Novembris 1733.

Daniel Bertoli delin *Gaspar Massi sculp*

Laurentius Philippus de Rubeis Calcographus Vaticanus Filius q. Dominici Hæredis Io. Iacobi form. R.ª ad T. S. M. de Pace cum Priv. S. P.

III.

Hieronymus Grimaldus Genuensis die natus est 15. Novembris anni 1674. Patrem habuit Raynerium, clarissimisque natalibus parem nactus est institutionem. Naviter emenso studiorum curriculo, atque exacta pubertate Romam venit. Ut erat eximiâ nobilitate clarus, eloquio comis, moribus integerrimus; hinc ineunte Clementis XI. Pontificatu, arrepto Ecclesiastico Instituto, statim eximiis dignitatibus clarere cœpit.

Bruxellas primo Internuncius allegatur; indè Edessæ Archiepiscopus renunciatus, Nuncius Apostolicus dicitur ad tractum Rhæni. Mox ad Sarmatas mittitur; & quum mirifica

A ubique sollicitudine Apostolico Ministerio incubuerit; studio tamen potissimo res Ecclesiæ in Sarmatia maximè perturbatas provexit.

Græci Rhuteni, qui Schismate jampridem ejurato ad Sinum Romanæ Sedis confugerant, eique firmissimè adhærebant, anno 1719. Concilium Provinciale indixerant. Convenerant ad illud Episcopi ex universa Regione, & de corrigendis diffluentibus Clericorum, Plebisque moribus agebatur. Consilium laudavit *Clemens XI.*, juvitque propositum, & *Grimaldum* Nuncium Apostolicum consessui præesse jussit. Missisque Literis *Leoni Kiskae* Metropolitæ totius Russiæ, ac universis Ru- B

thenis Episcopis, qui Concilium inibant, admonuit, in id potissimum incumberent, ut lapsam Ecclesiæ disciplinam restituerent, & eos, qui Sacrorum Ministrorum electiones impediebant, exilio ab eorum Diœcesibus, aliisque pœnis multarent. Felici prorsus exitu res est absoluta, & sub authoritate Nuncii Apostolici Concilium peractum est. Illius vero acta in Pontificatu *Innocentii XIII.* Romam transmissa, tamquam ritè, ac sapienter gesta à S. Sede probata sunt.

Anno 1720. quarta ornatus fuit legatione, & Præsuli egregio *Georgio Spinula*, nuper Sacra Purpura decorato, suffectus fuit in Cæsarea Nunciatura. Viennam in Austria se contulit, atque hunc etiam amplissimum Magistratum decennio gessit probitate, ac prudentia singulari. Quippe inter externas pompas Personæ, quam gerebat, necessarias, modestia semper, & mansuetudine præstitit. Orationi vacavit assiduè; Undè sanctimoniæ fama non exigua illi oborta est. Ineunte demum *Clementis XII.* Pontificatu; optatum laboribus præmium est assequutus, atque hac die 2. Octobris anni 1730. inter Purpuratos Patres relatus est. Pileolum illi Cardinalatus insigne perlatum fuit ab *Ænea* Sylvio *Piccolomineo* tunc Papæ Cubiculario, nunc Præsule eximio, & Cameræ Apostolicæ Clerico. Ut Romam pervenit, Titulum obtinuit Sanctæ Balbinæ, & Congregationibus adjectus fuit Episcoporum, & Regularium, Sacri Concilii Tridentini, Propagandæ Fidei, & Sac. Rituum.

Bononiæ de Latere Legatus dictus est, eumdemque *Georgium* Cardinalem Spinulam, hac dictatura functum, in hoc pariter amplissimo Magistratu excepit. Justitiam unicuique reddens, solita tamen usus est mansuetudine in Provincia administranda; sed in criminibus coercendis opportuna severitate usus est. Perditum quoddam genus hominum, qui nefaria societate conjuncti, ac turmatim incedentes viatoribus, totæque Urbi infesti erant, sumpto de quibusdam supplicio penitus delevit. Adversa tamen pressus valetudine, ut viribus reficeretur, Genuam primo se contulit, indè Neapolim pergere instituit, sed in Anglica, qua erat navi, quasi è conspectu Neapolitanæ Urbis redundante pituita suffocatus interiit die 18. Novembris anni 1733. Virum prudentia, & pietate gravem, & subitum mortis genus boni omnes ingemuerunt. Ejus Cadaver Genuam translatum, in sepulcro majorum conditum est in Ecclesia S. Philippi Nerii.



BAR-



Bartholomæus Masseus, Archiepiscopus Athenarum, apud Galliarum Regem Apostolicæ Sedis Nuntius, Montis Politiani, S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmō. D.N. CLEMENTE PAPA XII. in Consistorio secreto die 2. Octobris 1730.
Obijt die 20 Novembris 1745.

Le Cocq Pinx. — *Gaspar Massi del et sculp*

Laurentius Philippus de Rubeis Calcographus Vaticanus Filius q. Dominici Hæredis Io Iacobi form Rª ad T S M de Pace cum Priv S.P.

IV.

BARTHOLOMÆUS MASSEUS Montis Politiani optimis Parentibus *Laurentio*, & *Agatha Berlingini* die natus est 2. Junii anni 1663. Prima Christianæ pietatis, & liberalium facultatum rudimenta posuit in Patria. Plena indè pubertate, ut ad graviores disciplinas gradum faceret, Pisas se contulit, atque in illa Universitate Doctoratus insignibus ornatus est. Mox Senas etiam se transtulit, atque ibi studio practicæ Jurisprudentiæ naviter incubuit. Demum Romam profectus est, & sub disciplina *Pomponii de Vecchis* celebris Caussarum actoris eidem Legali facultati impensam navavit operam.

Ejusdem Advocati *de Vecchis* officiis, & te- A stimonio commendatus, adjutor studiorum evasit Presulis præstantissimi *Joannis Francisci Albani*, qui postea sub nomine *Clementis XI.* in Solio Petri locatus fuit. Parvo interjecto tempore idem Præsul *Albanus* Sacra Purpura auctus fuit; atque illius fretus auxilio, unus ex Assessoribus Legationis Urbini *Bartholomæus* dici promeruit. Spartam, quam nactus fuerat ornare cœpit, sed anno vix elapso quum parum sibi arrideret hujusmodi genus officii, enixè ab eodem *Albano* impetravit, ut apud B ipsum in pristinam servitutem reciperetur. Pincerna primum, indè Cubiculo Præfectus ejusdem Cardinalis est renunciatus.

Anno 1700. mortuo *Innocentio XII.* Cardi-

A nalis Albanus Vaticana celebraturus Comitia, secum in Conclave *Masseum* perduxit. Et quum Divino Consilio ipse sub nomine *Clementis XI.* Summus Pontifex emerserit, statim *Masseus* Papæ Pincerna dictus est. Prioratum indè obtinuit Sanctæ Mariæ in Via Lata, quo dimisso, Canonicatum primo Basilicæ Liberianæ est assequutus, mox hoc quoque dimisso, Canonicus dictus est Vaticanæ Basilicæ. *Augustino Cusano* Episcopo Tycinensi, & Sacra Purpura à *Clemente XI.* anno 1712. decorato, Pileolum detulit Cardinalatus insigne. Celebri B ritu in Civitate Mediolanensi solemnitatem absolvit. Anno 1714. *Violantem Beatricem* è Ducibus Bavariæ, & *Ferdinandi* Etruriæ Magni Principis Uxorem viduam, Pontificis nomine salutavit; & præclaram genere, & pietate Principem, Ecclesiasticæ ditionis fines attingentem, ut Lauretanam Beatæ Virginis ædem inviseret, jubente eodem Pontifice, omni percoluit officio. Aditus hinc illi patefactus est ad ineundam *Cosmi III.* Etruriæ Magni C Ducis benevolentiam, qua postmodum feliciter est usus, & splendidis largitionibus quum ad Gallos Nuncius esset Apostolicus, adjutus est; mutua tamen eximio Principi suo naturali ipse rependit officia.

In altera Cardinalium enunciatione, quam habuit *Clemens XI.* anno 1715. Pileolum detulit Cardinali *Henrico de Bisly*. Tunc illi varia in Galliis arcana à Pontifice credita sunt, præsertim verò procurationem habuit pro molesto famigeratæ Constitutionis *Unigenitus* ne- D gocio pertractando. A Rege, Regiisque administris comiter exceptus est; sed dum rem prosperè provehebat, mors contigit *Ludovici XIV.* Regis Christianissimi, & gravissimæ controversiæ magis exasperatæ sunt.

Propterea *Masseus* in Italiam revertitur, non modicum tamen apud Gallos sui desiderium relinquens. Postmodum vero admoto ad Sacræ Purpuræ honorem Cornelio de Bentivolis jam apud Regem Christianissimum Nuncio Apostolico, ipse iterum ad Gallos al- E legatur, nulla tamen publica dignitate insignitus. Res ejusdem Constitutionis *Unigenitus* in dies magis perturbatas, ipsi curandas Papa commiserat. At quia privatim ipse agebat, censuit Pontifex, quod idoneum, ac perutile futurum esset rei gravitati, si illum publico aliquo Ministerio decoraret. Ineunte idcircò anno 1721., in uno eodemque Consistorio Archiepiscopus Athænarum, Nuncius ad Gallos extraordinarius, & Præfectus Cubiculo Pontificio dictus est.

F Vix novæ acceptæ dignitatis *Masseo* Literæ perlatæ fuerant, dumque ipse in Civitate Meldensi à Cardinali de Bisly consecrabatur Archiepiscopus; ex novis literis tristissimum nuncium illi significatur, *Clementem XI.* nuper è vivis ereptum. Susceptas tamen lenivit ægritudines, quum paullo post certior factus fuit, quod electo in Summum Pontificem *Innocentio XIII.*, ipse in accepta dignitate nedum confirmatus fuerat, sed Nuncius etiam Ordinarius fuerat renunciatus.

Amplissimum Magistratum maxima gessit integritate, ac fide, toto *Innocentii XIII.*, & *Benedicti XIII.* Pontificatu. Zelum, quo fervebat, restinguendi dissidia tamdiu in Galliis enutrita, & restituendi Ecclesiæ tranquillitatem, suo Deus favore tandem est prosequutus. Cardinalis de *Noailles* dissidentium Patronus, & quasi Antesignanus ad maternum confugiens Romanæ Ecclesiæ Sinum, suos ejuravit errores, quos tanta tenacitate aluerat, & Constitutionem *Unigenitus* sincero corde admisit.

In immani sumptu, quem Masseus ferre debuit, non semel illi à Regiis administris, & dona, & Sacerdotia ditissima oblata sunt. Ea tamen invicta constantia, ac modestia semper rejecit, à Pontifice solum, cui inserviebat, mercedem expectans. Sanè *Clemens XII.* vix ad Apostolatum assumptus, statim ad Nuncios Apostolicos oculos convertens, *Masseum* Romam revocavit. Obtemperans ille ubi Massiliam pervenit, nuncium illi perlatum est, quod jam inter Cardinales relatus fuerat. Rectà Montem Politianum perrexit; atque ibi Pileolum accepit, quem sibi pertulerat Marchio *Joannes Chisius Montorio Patritius*.

Indè Romam accessit, & Paterna exceptus *Clementis XII.* benevolentia, Rubro Galero, & Titulo Presbyterali *S. Augustini* fuit insignitus; nec non Æmiliæ de Latere Legatus evulgatur. Quadriennio, quo Provinciam administravit, maxima illi facta est laudis accessio. Justitiæ undequaque prospexit, & publicæ utilitati consuluit. Duo illa flumina *Vitis*, & *Bedesis*, nunc *Roncus*, & *Montho*, quæ Ravennam duabus ex partibus subluebant, pluviisque excrescentibus inundabant, in unum adigere alveum aggressus est. Magnum opus incœpit, quod postea ab ejus Successoribus est absolutum.

Anno 1731. Cardinalis Prosper *Lambertinius*, nunc sub magno Benedicti XIV. nomine Summus Pontifex, ex Episcopatu Anconitano ad Patrium Bononiæ Archiepiscopatum translatus fuerat. Hinc ad vacantem Anconæ Episcopatum *Masseus* fuerat admotus. Absoluta igitur Legatione ad suam transiit Ecclesiam. Eam vero maximis cumulavit beneficiis. Ædes Episcopales tam Urbanas, quam Rusticas instauravit. In agris ejusdem Mensæ aquas stagnantes, ac resides arefecit; & non solum aeris salubritatem restituit, verum etiam eorumdem agrorum fertilitati consuluit. Ecclesiam Cathedralem multipliciter ornavit. Pluries Diœcesim lustravit, & legibus saluberrimis emendavit. Cœtum optimarum quarumdam mulierum, vulgo *Maestre Pie* nuncupatarum in Urbem invexit. Sub earumdem disciplina puellæ Lanificio incumbunt, & prima Christianæ Fidei rudimenta perdiscunt. Alia ex parte mulieres inhonestas, vel cum maximo pudicitiæ periculo per Urbem vagantes,

tes, in alias detrusit ædes, quas idoneis instruxit redditibus, optimisque legibus, ut in dies augerentur, cavit. Plura alia extant ejus pietatis, & vigilantiæ Pastoralis monumenta.

Nec minus Civitatis decori, atque ornamento prospiciens Plateam Urbis majorem novis lapidibus stravit; novam viam aperuit, & ingressum ad eamdem Urbem faciliorem effecit. Postremis vitæ suæ annis, dum ferè Italia cuncta bello premebatur, in iterato transitu militum Hispanorum, sæpe cum Ductoribus Exercituum prudenter egit. Atque alia ex parte Anglicam Classem Cæsari fœderatam, ejusdemque Classis Duces continuit, ne quid adversus Urbem, atque oras finitimas perpetrarent.

Sed dum tanta molitur animo, exequiturque curâ, ac labore assiduo; morbus, quo jamdiu detinebatur, spirandi nempè difficultas, vires exercuit suas. Die 20. Novembris anni 1745. eodem morbo gravius conflictari cœpit. Medicorum impulsu, dum lectum petit, & brevi convaluisse videtur, extemplo conticuit, & fari nescius, omnem abstulit spem recuperandæ valetudinis. Mente tamen nondum lapsus, & gestus agens, enixè culparum suarum absolutionem petiit, & obtinuit à quodam Sacerdote sibi Ministerio addicto.

Sic placidissimè occubuit, humatusque est in Cathedrali illius Civitatis, tumuloque lapis adjectus est cum hac Epigraphe, quam sibi vivens exaraverat.

HIC EXPECTAT
DONEC VENIAT COMVTATIO EIVS
BARTHOLOMÆVS CARD. MASSEVS
POLITIANVS
EPISC. ANCONITANVS
ORATE PRO EO
VIX. AN. LXXXII. MENS. X. DIES XVII
CARDINALATVS XV. EPISC. XIII.
OB. XX. NOVEMB. MDCCXLV.

Mortem ejus publico luctu ingemuit ipsa Anconitana Civitas. Atque in illa Cathedrali novâ funebri pompâ Pastori optimo parentavit. Luculentâ inde Oratione laudes ejus recensuit *Abbas Badia* Orator hoc œvo eximius.

Sanè Cardinalem *Masseum* non solum defunctum, sed vivum etiam speciali amore, & studio prosequuti fuerant Anconitani Cives; æternum extat hac in re monumentum in Aula illius publici Palatii, in qua marmorea effigies hujus Cardinalis exculpta est cum hoc Elogio.

BARTHOLOMÆO MASSEO
S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO
SAC. ANTISTITI ANCONITANO
PATRONO AC PARENTI
PVBLICÆ SECVRITATIS CVSTODI MAXIMO
MIRA SVAVITATE MORVM
SINGVLARIQVE ANIMI COMITATE
OMNIBVS CIVIVM ORDINIBVS
ACCEPTISSIMO
QVOD CIVITATI QVA TERRA QVA MARI
AB HOSTILIBVS COPIIS
EXTREMA MINITANTIBVS
NEC ÆTATI NEC LABORI PARCENS
INGENTI CVM CLARITATE
PARTA INCOLVMITATE PROSPEXERIT
S. P. Q. A. OB CIVES SERVATOS
GRATI ANIMI ERGO M. P. D.
CVRANTIBVS
EQVITE CO. CORRADO FERRETTI
MARCHIONE IO. FRANCISCO
MEMBRINI GONZAGA
CO. IOSEPHO REPPI
CAPITANEO ANGELO PICHI
CO. IO. ANT. NAPPI
DEPVTATIS AD NEGOCIA PVBLICA
ANN. CHRIST. SAL. MDCCXLV.





V.

BARTHOLOMÆUS RUSPOLUS Romanus ex præclariſſima Familia die natus eſt 25. Auguſti anni 1697. Patrem habuit *Franciſcum Mariam* Principem *Cervetri*, Matrem vero *Iſabellam Cæſiam* lectiſſimam Matronam. Præceptoribus in literis, & in Chriſtiana pietate præſtantibus datus eſt à pueritia inſtituendus. Ut vero ad juvenilem ætatem adolevit, Senas traductus eſt ad Collegium Nobilium Ptolomæorum. Ibi ſub diſciplina Patrum Societatis Jeſu gravioribus incubuit diſciplinis. E Collegio indè eductus Romam rediit, atque exeunte *Clementis XI.* Pontificatu, die nempè 19. Januarii anni 1719. Cœtui Præſulum A Romanæ Curiæ meruit adſcribi. Prothonotarius etiam de numero Participantium dictus eſt.

Ut è vivis exceſſit *Clemens XI.*, ſtatim à Sacro Cardinalium Senatu Gubernator Conclavis eligitur. Munus ampliſſimum obivit ſplendida liberalitate, fide vero, atque integritate eximia. Aſſumpto ad Apoſtolatus faſtigium *Innocentio XIII.*, cui idem *Bartholomæus* affinitate propinquus erat, ſtatim à ſupplicibus Libellis renunciatur. Maximum hunc Magi- B ſtratum toto geſſit tempore Pontificatus *Innocentii XIII.* Eo vero è vivis erepto, atque aſſumpto ad Petri Solium *Benedicto XIII.*, diu

va-

vacuus perstitit honoribus, & dignitatibus. Tandem ab eodem Pontifice à Secretis assumptus est Congregationis de Propaganda Fide.

Anno 1730., ut ad Apostolatus apicem ascendit Clemens XII., statim de eo ad Sacram Purpuram promovendo cogitavit. Idque præstitit hac celebri die 2. Octobris ejusdem anni 1730., eumque inter Diaconos Cardinales recensuit. Diaconiam *SS. Cosmæ, & Damiani* illi attribuit; præterea eum Congregationibus adjecit Episcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Rituum, Propagandæ Fidei, Sacræ Consultationis, Fabricæ Divi Petri, Boni Regiminis, Indicis Librorum prohibitorum, Aquarum, Confinium, & Rerum Consistorialium.

Protector etiam fuit Ordinis Minorum Cappuccinorum, Monachorum Montis Libani, Collegii Germanici Hungarici, Hospitii Apostolici Sancti Michaelis ad Ripam Fluminis, aliorumque in Urbe Locorum Piorum. Ditissimum in Urbe Prioratum obtinuerat Religioni Hierosolymitanæ pertinentem.

Comitiis adstitit Vaticanis pro electione Benedicti XIV.

In muneribus suis perficiendis tardus aliquando visus est, ac minus promptus. Quod corporis potius vitio tribuendum est, quam voluntatis. Pectoris namque hydrope jam tum serpente, sensimque animi officia prægravante, quo tamen morbo semel, iterumque correptus, postquam cum illo diu varioque eventu colluctatus fuerat, illi tandem succubuit. Obiit in Oppido *Vianelli* Domus suæ Feudo die 21. Maii anni 1741. Corpus ejus, ut ipse Testamento caverat, Romam translatum, humatum fuit in Ecclesia Sanctissimæ Conceptionis Minorum Cappuccinorum ad lævam Portæ Majoris cum hoc Elogio.

OSSA BARTHOLOMÆI
S. R. E.
TITVLI SS. COSMÆ ET DAMIANI
CARDINALIS DIACONI RVSPOLI
HIC EXPECTANT
RESVRRECTIONEM ÆTERNAM
ORATE PRO EO
OBIIT DIE XXI. MAII. MDCCXLI.
VIXIT ANN. XLIII. MENS. VIII. DIES XXVI.

Tertia Cardinalium evulgatio
QUAM HABUIT
CLEMENS XII.
Die 24. *Septembris anni* 1731.

Quinque promit Cardinales, quorum nomina hæc sunt.

Vincentius Bichi olim ad Lusitaniæ Regem Nuncius Apostolicus. Senensis.
Joseph Firrao ad eumdem Lusitaniæ Regem Nuncius Apostolicus. Neapolitanus.
Sinibaldus ab Auria Archiepiscopus Beneventanus. Januensis.
Frater Jo. Antonius Guadagni Episcopus Aretinus. Florentinus.
Antonius Xaverius Gentili Papæ Datarius. Romanus.



VIN-



Vincentius Bichi Archiepiscopus Laodicenus, apud Portugalliæ Regem olim Apostolicæ Sedis Nuntius, Senensis, S.R.E Episcopus Cardinalis creatus à SSmō. D.N. CLEMENTE PAPA XII. in Consistorio secreto die 24. Septembris 1731. Obyt die 11. Februarij 1750.

Dominicus Duprà pinx. *Roccus Pozzi del, et scul.*

Laurentius Philippus de Rubeis Calcographus Vatic.s Filius q. Dominici Hæredis Io. Iacobi form Rᵃ ad T. S M de Pace cũ. Priv S.P.

VI.

VINCENTIUS BICHI Senensis Patriciis Genitoribus *Metello* Marchione *de Rocca Albenga*, & *Victoria* Piccolominea, in lucem editus est die 2. Februarii anni 1668. *Antonio* Cardinali Bichio, quem Alexander VII. Sacra Purpura decoraverat, *Vincentius* Agnatus fuit, *Carolo* vero ab *Alexandro VIII.* promoto ex Fratre Nepos; item *Alexandro ab Urbano VIII.* creato Pronepos, & *Metello* à Paulo V. similiter inter Cardinales relato Abnepos fuit. Hinc ut clarissimis suorum majorum inhæreret vestigiis, idem Cardinalis *Carolus* ejus Patruus Romam eum vix novennem accivit, atque in Seminario Romano Patribus Societatis Jesu in studio Literarum imbuendum tradidit. Ille ibi Grammaticæ, & Rethoricæ disciplinas quæsivit, mox in aliud Collegium translatus, Clementinum scilicet, sub cura Clericorum Regularium Congregationis de Somasca Philosophiæ, & Theologiæ incubuit. Plena demum pubertate è Seminario eductus, ut magis in Theologica facultate proficeret, Fratre *Laurentio* postea Cardinali *Cozza* usus est Institutore. Nec minus Jurisprudentia excultus est sub optimis Romani Archigymnasii præceptoribus. Atque in ipso demum Romano Licæo doctoratus insignibus ornatus est.

Hisce jactis fundamentis statim ad publica mu-

muniae apessenda idoneus est habitus. In Pontificatu *Alexandri VIII.* Mense Februario anni 1691. inter Præsules Romanæ Curiæ cooptatus, statim Cameræ Apostolicæ Clericus renunciatur. Alios tamquam ejusdem Cameræ Apostolicæ Clericus magistratus obtinuit, & in Camera computorum, & in Congregatione Baronum suffragium tulit.

Assumpto in Petri Cathedra *Clemente XI.*, Archiepiscopus Laodiceæ anno 1703., & Nuncius Apostolicus ad Helvetios dictus est. Mox mense Novembri anni 1709. secunda ornatur Legatione, & ad Lusitanos Nuncius admovetur. Decennio incubuit Apostolico Ministerio gratissimus *Petro II.* Lusitanorum Regi, & Fidelissimo *Joanni* ejus filio.

Sed hæc, quam sibi conciliaverat, Lusitanorum Regum benevolentia, non leve ipsi peperit infortunium. Etenim in Pontificatu *Innocentii XIII.*, & maxime in altero *Benedicti XIII.*, idem Lusitanorum Rex medio Cardinalis Pereira, & Comitis de Mello Oratoris in Urbe sui, assidue Pontificem extimulabat, ut inter Purpuratos Patres *Vincentium Bichium*, quam citissime referret. Præterea querebatur maxime Rex Apostolicum ad Lusitanos Nuncium posthabitum fuisse, quum anno 1719. Clemens XI. Sacræ Purpuræ honore decorasset *Georgium Spinulam* ad Cæsarem Nuncium, & *Cornelium Bentivolum* simili apud Gallos functum Magistratu. Sed res Papæ molesta erat, & debita uti maturitate, & petita Cardinalium approbatione agere se velle respondebat. Rex vero impatiens moræ Oratorem ex Urbe suum revocavit, & Cardinalem *Pereiram* aliosque sibi subjectos Roma itidem jussit excedere; & *Josephum Firrao* novum ad Lusitanos Nuncium pari præcipitantia è suis finibus expulit. Bichius vero eo in Regno remansit, Nuncii tamen dignitate exutus, & vacuus.

Ut vero ad Apostolatum ascendit *Clem. XII.*, graviter indoluit gravia plurium annorum dissidia ad ultimum pene discrimen adducta esse. Quare novum *Bichio* meritum ex temporis diuturnitate accrevisse ratus, ut eum cum dignitate S. Sedis Sacra Purpura decoraret, Præsulem etiam *Firrao* illi jamdiu suffectum in eadem Nunciatura, una simul promovit. Hac die ergo 24. Septembris anni 1731. Cardinalis est renunciatus. Ut Romam advenit Pileum obtinuit, & Titulum *S. Petri in Monte Aureo*; Congregationibus etiam adjectus fuit Concilii, Propagandæ Fidei, Disciplinæ Regularium, Sacræ Consultationis, Fabricæ Divi Petri, & Episcoporum, & Regularium.

Die 16. Septembris 1737. dimisso priori Titulo, alium obtinuit *S. Laurentii in Pane, & Perna*. Demum in ordine Episcopali emersit Tusculanus Episcopus. Anno 1740. Comitiis adfuit Vaticanis pro electione BENEDICTI XIV. Quum tranquillam, ac validam egerit senectutem usque ad annum ætatis suæ octogesimum secundum; apoplexis ictu correptus statim occubuit die 11. Februarii anni 1750. Ejus Cadaver elatum fuit in Ecclesia S. Marcelli, ac postquam Summus Pontifex, & Sacer Cardinalium cœtus illi parentaverat, ad aliam Ecclesiam translatum fuit Sancti Venantii Camertium, ibique in sepulcro suæ Familiæ gentilitio conditum fuit.



Ioseph Archiepiscopus Firrao Episcopus Aversanus, apud Portugalliæ Regem olim Apostolicæ Sedis Nuntius, Neapolitanus, S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo. D.N. CLEMENTE PAPA XII. in Consistorio secreto die 24. Septembris 1731.

Obyt die 24. Octobris 1744.

Petrus Nelli delin *Roccus Pozzi sculp*

VII.

JOSEPH FIRRAO Neapolitanus in Oppido *de Luzzi*, quod est Feudum suæ præclaræ Familiæ natus est die 12. Julii anni 1670. Patrem habuit *Petrum Principem de Luzzi*, aliisque in Regno Neapolitano clarum Feudis, & Dignitatibus; Matrem vero *Isabellam Caracciolam* eximiæ nobilitatis fœminam. Paterna in Domo sub optimis institutoribus Christianæ pietatis, & literarum tyrocinium posuit. Inde pueritiam egressus Romam traductus est, atque in Seminario Romano sub cura Patrum Societatis Jesu altiores didicit disciplinas. Ex eodem Seminario eductus Jurisprudentiæ in- A cubuit, & in Romana Universitate Laurea Doctorali insignitus fuit.

Die 3. Martii anni 1695. in Pontificatu *Innocentii XII.* Præsulum Romanæ Curiæ amplexus est institutum. Brevi Pro-Legatus mittitur in Civitatem Urbini, quo tempore Cardinalis *Fulvius Astallus* Provinciam gerebat. Indè pluribus Ecclesiasticæ Ditionis Civitatibus datus est Preses. Lauretanæ scilicet Civitati, cujus Gubernium, sedente eodem Pontifice, ritè administravit; mox in Pontificatu B *Clementis XI.* Anconæ admotus est Prætor; inde Centumcellis, paucisque post Mensibus

Vi-

Viterbio, & demum triennio Perusinę Provinciæ. His strenue magistratibus, multosque per annos gestis Romam revocatur; & ad ferendum suffragium in Congregatione *Sac.Consultationis*, atque in altera Signaturæ Gratiæ assumptus est. *Clemens* vero, qui Præsulis integritatem, atque prudentiam mirabatur, suspiciebatque, parvo interjecto tempore, Visitatorem Apostolicum eum dixit in Picęno, & in Umbria. Patrimonia illarum Civitatum, & Oppidorum, vel ære alieno imminuta, vel parum recta administratione perturbata, & confusa disposuit, erexit. Triennio huic molesto oneri adlaboravit non sine maximo illarum Provinciarum compendio.


Demum ad majora excitatus anno 1714. ad *Joannem V.* Lusitaniæ Regem Nuncius extra ordinem mittitur, ut filio ejus natu majori, scilicet Brasiliæ Principi, Fascias offerret cum sacris munusculis, & bene precaretur. Nicęnus etiam Archiepiscopus dictus est; & postquam biennio splendide in Aula Lusitani Regis substiterat, ad Helvetios Nuncius Apostolicus renunciatur. Quadriennio ad Pagos Helvetiæ Apostolico ministerio naviter incubuit. Collapsam apud Monachos, aliosque Religiosos viros Ecclesiæ disciplinam integravit. Perniciosa etiam inter Abbatem, Canonicos, & Monachos Campidonæ exorta dissidia, paterna caritate sustulit, pacemque Præsidi, atque subjectis restituit, quam prava paucorum indoles profligaverat. Demum ad eosdem Lusitanos Nuncius Ordinarius est advocatus; sed molestæ eo tempore inter S. Sedem, & Lusitaniæ Regem discordiæ intercesserant, quæ exeunte *Innocentii XIII.* Pontificatu, præsertim vero sub *Benedicto XIII.* recruduerunt. Petebat Rex, ut *Vincentius Bichius* olim ad eosdem Lusitanos Nuncius Apostolicus, & qui adhuc Ulyssipone morabatur, nulla interposita mora Cardinalis renunciaretur. Diutinæ interim pertæsus dilationis, Comitem *de Mello* Oratorem ex Urbe suum revocavit, & *Josephum Firrao* è suis finibus expulit. *Joseph* interea inter fines Lusitaniæ, & Hispaniarum jussus subsistere, reliquo ibi mansit tempore Pontificatus *Benedicti XIII.*

Ast evecto ad Apostolatum *Clemente XII.*, Romam extemplo accitus est, & vacanti Aversanæ Ecclesiæ datus est Episcopus; atque in hac Promotione diei 24. Septembris an. 1731. inter Cardinales relatus est. Anno 1732. ne suo deesset muneri, ad suam Aversæ se contulit Ecclesiam, & Pastorali ministerio impensam navavit operam. Sed aerem expertus insalubrem, anno 1733. Romam redire cogitur. Obierat eo tempore Cardinalis *Antonius Banchieri*. Hunc ille excepit in arduo Secretarii status ministerio.

Sacris Cardinalium cœtibus ferè omnibus adscriptus fuit, nempè S. Officii, Episcoporum, & Regularium, Rituum, Immunitatis, Propagandæ Fidei, Concilii Tridentini, Aquarum, Indulgentiarum, Boni Regiminis, Visitationis Apostolicæ, Commercii Anconæ, Indicis Librorum prohibitorum, Disciplinæ Regularium, Cæremonialium, & Rerum Consistorialium. Præterea Præfectus fuit Congregationi Episcoporum, & Regularium, Signaturæ Gratiæ, Sacræ Consultæ, Congregationi Lauretanæ, & Avenionensi, ac Congregationi Firmanæ. Protector etiam fuit Religionis Hierosolymitanæ, totius Ordinis Eremitarum S. Augustini, Collegii & nationis Maronitarum, & Academiæ nobilium Ecclesiasticorum.

Titulum Presbyteralem, quem ab initio obtinuerat *S. Thomæ in Parione*, in alterum *S. Crucis in Hierusalem* anno 1740. immutaverat. Adfuit Vaticanis Comitiis pro electione BENEDICTI XIV. Tandem ætate, ac laboribus confectus obiit die 24. Octobris anni 1744. Annos ipse agebat 74. mens. 3. & dies 12. Corpus ejus elatum fuit in Ecclesiam S. Augustini, justisque exequialibus adstitit Romanus Pontifex BENEDICTUS XIV., & Sacer Cardinalium cœtus. Demum ejus Cadaver ad Ecclesiam ejus Titularem S. Crucis in Hierusalem translatum fuit, ibique tumulatum cum hac modesta Epigraphe.

D. O. M.
IOSEPH
TITVLI S. CRVCIS IN HIERVSALEM
S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS FIRRAO
ORATE PRO EO
OBIIT DIE XXIV. OCTOB. MDCCXXXXIV.



VIII.

SINIBALDUS AB AURIA Genuenſis die natus eſt 21. Octobris anni 1665. clariſſimos, ac Patricios habuit Genitores, nempè Marchionem *Joannem Baptiſtam*, & *Benedictam* filiam unicam *Joannis Baptiſtæ Spinulæ*. Plena pubertate Romam venit, atque in Collegio Romano apud Patres Societatis Jeſu emenſo ſcientiarum curriculo, ad agendum in Romana Curia ſe præbuit idoneum.

In Pontificatu *Alexandri VIII.* die 13. Julii anni 1690. referendis in Signatura Gratiæ, & Juſtitiæ Libellis addictus fuit. Regendis indè Pontificiæ Ditionis Civitatibus admotus fuit. Aſculanæ, Maceratenſi, aliiſque Im-
A perii Eccleſiaſtici Urbibus præfuit Gubernator.


Anno 1706. Pro-Legatus dictus eſt Ditionis Avenionenſis, & Status Venaiſſini. Hoc etiam Magiſtratu laudabiliter geſto, Romam revocatur, & Præceptor dicitur, ſeu magnus Commendatarius Noſocomii S. Spiritus in Saxia. Titulo etiam ornatus fuit Archiepiſcopi Patracenſis. Hoc ampliſſimo Magiſtratu functus eſt reliquo *Clementis XI.* Pontificatu. At vero anno 1721. admoto ad Supremi Apo-
B ſtolatus apicem *Innocentio XIII.*, ſtatim Pontificio cubiculo Præfectus renunciatur. Sed brevi, ac triennio nondum exacto è vivis ere-

pto *Innocentio XIII.*, illique suffecto *Benedicto XIII.*, vacans propterea *Sinibaldus* remansit honoribus, & dignitatibus. Consultor tamen S. Officii, & Datarius S. Pænitentiariæ renunciatus est.

Ille patienter tulit hanc fortunæ vicem, quâ nullâ sui noxâ tenebatur. Sed iterum è vivis erepto *Benedicto XIII.*, *Clemens XII.* vix ad Apostolatum assumptus rursus eum Cubiculo Pontificio præfecit. Anno inde 1731. Archiepiscopum eum dixit Beneventanum; demum hac celebri die 24. Septembris ejusdem anni 1731. eum in Sacrum Senatum invexit. Pileolum illi detulit Cardinalatus insigne *Franciscus Pacca* tunc Apostolici cubiculi auctus honore, nunc vero Præsul eximius, & inter Clericos Cameræ Apostolicæ connumeratus. Titulum illi Pontifex, postquam Romam ipse pervenit, attribuit *S. Hieronymi Illyricorum*, eumque Congregationibus adjecit Sacri Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, & Fabricæ S. Petri.

Ut Beneventum se contulit, atque in Cathedræ suæ possessionem advenit, statim Pastoralibus officiis, & Gregis sibi commissi utilitatibus naviter incubuit. Sed licet tanta flagraret sollicitudine, quum tamen adversa valetudine premeretur, Ecclesiæ propterea Dei parum, nec satis diu prodesse potuit. Obiit die 4. Decembris anni 1733., atque in illa Ecclesia Metropolitana sepultus est.





Fr. Ioannes Antonius Guadagni Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Episcopus Aretinus, Florentinus, S.R.E. Episcopus Cardinalis SS.mi D.N.P. Vicarius Generalis creatus in Consistorio secreto die 24 Septembris 1731

Petrus Nelli delin — *Roccus Pozzi sculp*

Laurentius Philippus de Rubeis Calcographus Vatic Filius q. Dominici Hæredis Io Iacobi form R.ª ad T. S. M. de Pace ũ Priv. ST

IX.

FRATER JOANNES ANTONIUS GUADAGNI Florentinus die natus est 14. Septembris anni 1674. Parentes habuit præstantes, ac Patricios; scilicet *Marchionem Donatum Mariam* Præfectum Cubiculo *Victoriæ Roboreæ* Magnæ Ducissæ Etruriæ, aliisque in Aula Magnorum Etruriæ Ducum clarum Titulis, & dignitatibus; & *Magdalenam Corsiniam*, quæ fuit *Clementis XII.* germana Soror. Postquam Paterna in Domo pietatis, & Literarum prima jecerat fundamenta; sexdecim annos natus Romam traducitur, atque in Seminario Romano Patribus Societatis Jesu instituendus traditur. Vix biennium exegerat, Philosophicæ facultati

A naviter incumbens, quum Beneficio *Cosmi III.* Etruriæ Magni Ducis Canonicus dicitur Metropolitanæ Ecclesiæ Florentinæ.

In Patriam redux gravioribus incubuit disciplinis; ut vero ex Ephebis excessit, Pisas se contulit. Ibi Jurisprudentiæ addiscendæ intentum adjecit animum, ibique Doctoratus insignia retulit.

Ut vero ad majora progrederetur, Romam reversus est, & sub disciplina Avunculi sui *Clementis XII.*, qui tunc magnæ spei Præsul in

B RomanaCuria affulgebat, optimis usus est Caussidicis, ut in legali studio alacrius proficeret.

Sed quoniam rerum eventus in Deo positus

est,

est, aliâ prorsus viâ dignitates, quas respuebat, assequi promeruit. Vir erat Religioni maximè addictus: Ejusdem Religionis instinctu vitam aggredi claustralem decrevit. Hæc secum animo reputans Florentiam revertitur, alioque biennio exacto, ut in gravi re serius decerneret, demum Arretium pergit, atque invitis Gentilibus suis Ordini Carmelitarum Excalceatorum nomen dedit. Expleto probationis anno illius instituti votis se obstrinxit.

Morum integritate, pioque, ac severo vivendi genere adeò cæteris anteivit, ut dignus habitus sit, qui Tyronibus præficeretur. Mox in Florentino Cœnobio superior, seu vulgari nomine *Prior* assumitur. Indè in Comitiis Provincialibus *Definitor*, seu ferendi suffragii idoneus renunciatur; atque in iisdem Comitiis Præses ipse universæ Provinciç deligitur. Omnia hæc munera tanta explevit mansuetudine, ac diligentia, ut sodalibus suis gratissimus extiterit. Instituti sui studuit incremento, curavitque, ut Pisis novum aperiretur Cœnobium, quod denique erectum, idoneisque fidelium largitionibus dotatum, ipse instruxit; pios attulit viros ejusdem sodalitatis, & secum rigidam observantiæ regularis methodum invexit.

Sed qui tanta humilitatis præbuerat specimina, iterum à Deo vocatur, ut clariori in loco positus aliis præluceret exemplo. Anno 1725. rogante Magno Duce Etruriæ Ecclesiæ Arretinæ à *Benedicto XIII.* admovetur Episcopus. Munus sese insperato oblatum, omni ope refugere curavit; sed frustra; imò libentissimè exceptus in illa Civitate, ubi olim Religiosæ incumbens vitæ humili se abdiderat loco, corrigendis Populi, & Cleri moribus, Cultuique Divino amplificando maximoperè studuit. Quinquennio impensam Pastoralibus officiis navavit operam.

Donec ad Apostolatum evecto *Clemente XII.*, hunc Sororis filium, nedum sibi affinitate propinquum, sed merito magis acceptum, & commendatione virtutum, inter Cardinales retulit hac celebri die 24. Septemb. anni 1731. Præsul *Aloysius Altovitus* tunc Papæ Cubicularius, in Civitate Arretina Pileolum illi dedit, & Cardinalatus insignia. Romam quum pervenisset, paterna *Clementis XII.* exceptus est benevolentia, & Titulo decoratus est Presbyterali S. Martini *ad Montes*, quem dimisit mense Februario 1750., & ad Episcopatum Tusculanum gradum fecit. Congregationes præterea nactus fuit S. Officii, Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium Sacrorum Rituum, Immunitatis Ecclesiasticæ, Indulgentiarum, Signaturæ Gratiæ, Visitationis Apostolicæ, & Indicis Librorum prohibitorum. Præfectus etiam fuit Congregationi Disciplinæ Regularium, & Residentiæ Episcoporum.

Anno 1732. è vivis erepto Cardinali *Prospero Marefuschio* Papæ Vicario, illi in hoc amplissimo Magistratu Cardinalis Guadagni suffectus est. In eo vivit adhuc Pauperum solator, & diffluentes Cleri, Plebisque mores exemplo, ac legibus emendat, & veterem instaurat Ecclesiç disciplinam.





X.

ANTONIUS XAVERIUS GENTILI Romanus nobilibus Parentibus, nempè *Nicolao*, qui fuit secretus Cubicularius è numero Participantium *Clementis X.*, & *Theresia Durso* natalem aspexit lucem die 9. Februarii anni 1681. Vetusta ejus familia oriunda ex Civitate Camerini in Picæno, Sæculo XIV. *Lucam Gentili* emisit, anno 1378. ab Urbano VI. in-

A ter Cardinales relatum (*a*). Ipse vero Christianæ pietatis officiis, & studio literarum intentum à pueritia animum adjecit. Ut primum per ætatem licuit, Clericale Institutum amplexus est. Die 11. Aprilis anni 1689. prima Tonsura initiari obtinuit.

Emensis Rethoricæ, Philosophicæ, & Theologicæ disciplinæ præceptis, plena demum pu-

(*a*) Cardinalis *Luca* Camers, qui à Ciacconio Domus Gentiliæ tribuitur, ut constat ex prima ejus editione, malè exindè in ultima additione ad eumdem Ciacconium in dubium revocatur, an vere ex hac Familia prodierit. Contendente *Rodulphucciorum* Gente eum sibi adsciscere, & inter suos referre. Nititur hæc opinio Testimonio cujusdam marmorei Lapidis initio sæculi XVI. in Cathedrali illius Civitatis incisi, in quo Cardinalis *Luca* exprimitur cum cognomento *Rodulphucci*. Sed orta lite inter istas Familias, & controversia ad Forum Episcopi Camerinensis delata patuit anno 1704. ex coævis, & successivis authoribus, nemine discrepante usque ad dicti Lapidis inscriptionem, eumdem *Lucam* Cardinalem in Familia esse *Gentilia*. Lite idcirco eodem anno per sententiam Episcopi dirempta, Lapis inde suspectæ fidei, & recens appositus sublatus est.

pubertate legali facultati impensius incubuit, & die 6. Aprilis anni 1699. in Romano Lycæo Doctoratus insignibus ornatus est. Ut magis in studio Jurisprudentiæ, & in Christiana eruditione proficeret, varios Domui suæ literarios cœtus instituerat, atque in iis de utroque Jure, & de Sacris Ritibus disserebatur. Ad eum pietate, & doctrina præditi adolescentes certatim conveniebant. De laudibus etiam Beatæ Mariæ Virginis Academiam indixerat, & in solemnioribus Deiparæ festivitatibus, carmine, & soluta Oratione laudes ejus recitabantur. Piam hanc consuetudinem ad hunc usque diem protraxit magna eruditorum, proborumque hominum frequentiâ; illâque non pauci Cardinales, Præsulesque Romanæ Curiæ cupidè perfruuntur.

Die 5. Martii anni 1705. referendis in Signatura Gratiæ, & Justitiæ libellis Antonius addicitur, & inter Abbreviatores, quos vocant majoris Residentiæ, refertur. Ut erat patiens laboris, studiisque literarum, præsertim vero Jurisprudentiæ maxime deditus; citò hinc publicis clarescere cœpit muneribus. Mense Januario anni 1708. Cardinalis *Franciscus Nerlius* Præfectus Fabricæ Divi Petri, Assessorem, quem Judicem dicunt, illius Congregationis eum renunciavit. Quadriennio perstitit in hoc Magistratu, atque etiam sub *Annibale* Cardinale Albano, qui anno 1712. eamdem Præfecturam inierat, optimè hoc munere functus est.

Eodem anno 1712. Prosecretarius dictus est Sacræ Congregationis Visitationis Apostolicæ, & Mense Martio hujusmet anni Assessor, nostri Auditorem dicunt, Signaturæ Justitiæ renunciatur. Triennio, quo officium laudabiliter impleverat, exacto, Auditoris Cameræ Locumtenens admovetur. In hoc amplissimo Forensium controversiarum campo integerrimi, & præstantissimi Judicis publicam sibi existimationem conciliavit.

Die prima Januarii anni 1727., Sacerdos fieri satagit, & die 8. Februarii *Benedictus XIII.* titulo eum decoravit Archiepiscopi Petrensis. Die vero 25. Martii hujusmet anni fuit ab eodem Pontifice consecratus. Demum Aprili mense anni 1728. Secretarius primo Congregationis Concilii, mox vero die 20. Septembris ipsius anni 1728. Secretarius item Congregationis Episcoporum, & Regularium effectus est. Canonicatum etiam obtinuit in Basilica Liberiana.

Evecto ad Apostolatum *Clemente XII.* mense Majo anni 1731. ad gravissimam Datarii dignitatem assumptus est, quæ per obitum *Francisci Antonii de Valentibus* Archiepiscopi Theodosiensis nuper vacaverat. Hac in amplissima dignitate toto mansit *Clementis XII.* Pontificatu. Ab eodem vero Pontifice die 24. Septembris in hac tertia Cardinalium enunciatione in Sacrum Senatum invectus est, Titulum nactus est S. Stephani *in Monte Cælio*. Pius Christianæ antiquitatis investigator, in hac ejus Titulari Ecclesia, corpora SS. Martyrum *Primi, & Feliciani*, quæ per tot Sæcula delituerant, feliciter è Terræ visceribus effodit. Sacra hæc monimenta in Aram ære suo magnificè extructam, suâque manu consecratam, locanda curavit. Eadem Sacra corpora solemni indictâ supplicatione, in qua duodeviginti aderant Cardinales, plurimique Præsules Romanæ Curiæ ad eamdem transtulit Ecclesiam, non sine maxima Populi frequentia, & Religione.

Ab eodem *Clemente XII.* die 20. Septembris anni 1738. Præfectus datus est Congregationi Concilii, cui usque adhuc sedulo præest, nec minus sub Benedicto XIV. gravia illi Sedis Apostolicæ munia credita sunt. Anno 1741. Visitator Apostolicus datus est Xenodochio, & mensæ nummulariæ S. Spiritus. Spartam, quam nactus fuerat, laudabiliter implevit usque ad annum 1749., & pio illi instituto pluribus profuit nominibus. Immane, quo premebatur, æs alienum, splendida *Clementis XII.*, & Benedicti XIV. munificentia, ejus tamen assidua cura, & diligentia valdè est imminutum, & supra decies centena millia nummorum soluta sunt. Officia tamen caritatis amplificavit, & magnus ægrotantium numerus exceptus est. Eorumdem animæ simul, & corporis saluti consulens, diu noctuque Nosocomium lustravit, iisdemque manu sua Sacramenta ministravit ægrotantibus.

Comitiis adfuit Vaticanis pro electione Benedicti XIV. Titulum *S. Stephani in Monte Cælio* Aprili mense anni 1747. dimisit, & ad ordinem Episcopalem gradum faciens Episcopus Prænestinus emersit. Congregationibus adest Sancti Officii, Episcoporum, & Regularium, Propagandæ Fidei, Immunitatis, Signaturæ Gratiæ, Rituum, Disciplinæ Regularium, Sacræ Consultationis, Examinis Episcoporum, Visitationis Apostolicæ, Confinium, Indicis Librorum prohibitorum, Fabricæ Divi Petri, Boni Regiminis, Avenionis, & Laureti, & Rerum Consistorialium.

Protector est etiam totius Ordinis Monachorum Congregationis Olivetanæ, totius Ordinis Trinitarii, Ordinisque Bethlemitici in Indiis Occidentalibus, Congregationis Charitatis S. Hippoliti in Mexicana Provincia, Academiæ Theologicæ, Collegii Græcorum in Urbe, Ecclesiæ, & Nationis Camertium, Hospitii S. Gallicani, aliorumque in Urbe locorum piorum.

Sic omnibus Summis Pontificibus probatissimus, atque in gravioribus semper Sanctæ Sedis negociis adhibitus, actuosam usque adhuc degit vitam Justitiæ incremento, & Ecclesiæ utilitati maximè idoneam.

Quarta Cardinalium Creatio gesta fuit

A

CLEMENTE XII.

Die prima Octobris anni 1732.

Et in ea duos evulgavit Cardinales, qui sequuntur.

Trojanus Aquaviva. Neapolitanus.
Agapitus Mosca. Pisaurensis.



Tro-



X I.

TROIANUS AQUAVIVA DE ARAGONIA Neapolitanus filius fuit *Joannis Hieronymi* Ducis Atriȩ, qui post discessum Catholici Regis Philippi V. è Civitate Neapolis anno 1702. fuit ductor Exercitus Hispani *(a)*, & *Eleonoræ Spinelliæ* filiæ Marchionis *de Vico*, & Ducis *de Aquaro*. Ab his amplissimis Genitoribus in lucem editus est die 15. Januarii anni 1695. Avitȩ *Trojani Aquaviva* nobilitati, Titulisque vetustis hujus præclaræ Gentis, hoc etiam superaccessit, ut sex Cardinales de Patruo in Nepotem, usque ad *Trojanum* nostrum unus alteri successerint; nempè *Joannes Vincentius* à Paulo III. promotus. *Julius* à Pio V., & ejus germanus Frater *Octavius* à Gregorio XIV. Item *Octavius* junior ab Innocentio X. *(b)* nec non *Franciscus* à Clemente XI., & *Trojanus* noster à *Clemente XII.* in Sacrum Purpuratorum Patrum Senatum invecti sunt.

Idem *Joannes Hieronymus Trojani* Pater in diuturno bello pro successione Hispanicæ Mo-

(a) Storace in Historia Domus de Aquaviva pag. 86., & seqq.
(b) Ciacconius in vita horum Cardinalium.

narchiæ adeo fortunæ adhæsit *Philippi V.* Catholici Regis, ut quum in vario Martis discrimine Neapolitanum Regnum armis Austriacis subactum fuerit; ipse ditissimo orbatus Patrimonio cum parvulis filiis suis profugus, extorris Romam apud *Franciscum* Cardinalem, Fratremque suum amantissimum se receperit. Sic magnanimi Patrui pietate enutriti nobiles isti adolescentes, *Trojanus* ad vitam Ecclesiasticam adlectus est; cæteri, ut per ætatem licuit, Hispaniam petierunt, & maximis in re militari muneribus claruerunt.

A

Anno 1712. evecto ad Sacram Purpuram *Emanuele* Cardinali *de Arias*, Trojanus eligitur, ut illi Biretum, atque insignia deferat Cardinalatus. Ut Matritum pervenit, clementia amantissimi Regis libentissimè exceptus est. Ecclesiasticis item illius Regni ditatus est beneficiis, & Romam redux in Præsulum ordinem à *Clemente XI.* cooptatur. Nec multo interjecto tempore Bononiam Prolegatus mittitur. Ibi diu perstitit, deguitque etiam anno 1721., quo Petri Sedes vacabat, & Cardinalis de Latere Legatus Romam petierat, ut Vaticanis interesset Comitiis. Ab *Innocentio XIII.* ad Gubernium Anconitanæ Civitatis admotus est; demum à *Benedicto XIII.* Cubiculo Apostolico Præfectus dicitur, & deindè ipsius Palatii Apostolici Præfecturam obtinuit. Assumpto demum ad Summi Pontificatus apicem *Clemente XII.*, eum in hac promotione diei primæ Octobris anni 1732. inter Presbyteros Cardinales recensuit sub Titulo *S. Cæciliæ*. Præterea Congregationibus adjecit Sacri Concilii Tridentini, Rerum Consistorialium, Sacræ Consultationis, & Fabricæ Divi Petri.

B

C

D

Anno 1734. quum *Carolus Borbonius* Regius Hispaniarum Infans, ut Neapolitano Regno potiretur, Exercitum Hispanum per oras ditionis Ecclesiasticæ traduxisset, Cardinalis Trojanus impolluta fide illi, ejusque exercitui maxima exhibuit adjumenta. Quumque omnia eidem Borbonio Principi feliciter evenissent, & utriusque Siciliæ Rex salutatus esset, eum Neapolim convenit, ut Sacramentum diceret fidelitatis pro Feudis ab ejus familia in illo Regno possessis. Diu tamen in ea Civitate non perstitit, etenim insperato Hispaniam proficiscitur, ut ipsum Catholicum Regem lætis gratulationis officiis percoleret. Adeo sibi Regiam voluntatem conciliavit, ut brevi Regius in Urbe Administer allegatus fuerit, nedum Hispanicæ Monarchiæ, sed etiam utriusque Siciliæ Regnorum.

E

Novis, eximiisque auctus muneribus Trojanus, Romam redit. Nec inutile, nec segne fuit ejus Ministerium Hispaniæ Regnis. Provisionem Toletani Archiepiscopatus favore Hispanici Infantis frustra antea petitam, ipse à *Clemente XII.* obtinuit, mutatis solum Instantiæ verbis. Regius nempè Infans dictus fuit Commendatarius ad tempus, usque dum ætatem assequeretur idoneam Tituli Archiepiscopalis. Spiritualis interea administratio data fuit viro eximio *Bernardo Froilano de Saavedra* nuper Titulo Archiepiscopi Laryssei decorato. Præterea eo promovente ipse Regius Infans inter Cardinales relatus est, undè Sacro Senatui honoris accessio facta est.

F

Interea tamen dum uberes prudentiæ suæ fructus fundebat, gravis inter Apostolicam Sedem, & Catholicum Regem exorta est occasio diffidii. Indignata Romana Plebs, quod nonnulli è Romano Populo per vim, ut ipsa ajebat, à militibus Hispanis conscriberentur, & coacti stipendia facere juberentur, publicam seditionem commovit in Hispanos. Cardinalis Aquaviva læsam inquiens Catholici Regis Majestatem, Neapolim concessit, ibique moram traxit usque dum mutua inter Pontificem, Hispaniæque Regem animorum sinceritate, mutuis etiam officiis excessus insanæ Plebis componerentur. Romam redire jussus Cardinalis *Trojanus*, nova in dies experiebatur Hispanicæ largitatis indicia. Anno 1739. Archiepiscopalem Ecclesiam Montis Regalis in Siciliæ Regno adeptus est. Atque in gravissimis sui Ministerii temporibus mirifica semper dexteritate usus est.

Sed anno 1746. adversa corripi valetudine incœperat. Plura adjecta sunt remedia, diuque consultum est, sed frustra. Mira patientia longum sustinuit morbum, pluriesque intimos pietatis sensus adstantibus aperiens, eorumdem lacrymas, & admirationem eliciebat. Ægrotantem invisere dignatus est BENEDICTUS XIV., eumque Apostolicis juvit officiis. Tandem die mortuus est 21. Martii 1747. viridi in ætate annorum 53. Corpus ejus solemni ritu translatum fuit in Ecclesiam Sanctæ Cœciliæ ejus Titularem, ibique sepultum fuit adstante Summo Pontifice, & Sacro Collegio, tumuloque hæc, quæ sequitur adjecta est Inscriptio.

D. O. M.
TROIANO
DE AQVAVIVA DE ARAGONIA
S. R. E. TITVLI S. COECILIÆ
PRESBYTERO CARDINALI
MONTIS REGALIS ARCHIEPISCOPO
HISPANIARVM
ET VTRIVSQVE SICILIÆ REGNORVM
APVD S. SEDEM LEGATO
EORVMVE REGNORVM PROTECTORI
MVNIFICENTIA CONSILIO
MAGNITVDINE ANIMI EXIMIO PRINCIPI
POST DIVTVRNI MORBI CRVCIATVS
MIRA ÆQVITATE ANIMI
ET ERGA DEVM PIETATE TOLERATOS
XIII. KAL. APRILIS MDCCXLVII.
ÆTAT. SVÆ LIII.
VITA FVNCTO
RODVLPHVS ADRIÆ DVX XVIII.
ET ISABELLA STROZZIA
ILLATIS IN EVMDEM TVMVLVM
HIERONYMI ADRIÆ DVCIS XVI.
ET ELEONORÆ SPINELLI
COMMVNIVM PARENTVM CINERIBVS

FRA-

FRATRI AMANTISSIMO P. P.

Comitiis adfuit Vaticanis, in quibus Benedictus XIV. electus fuit, suoque calculo electionem promovit.



XII.

AGAPITUS MOSCA Pisaurensis Patriciis illius Civitatis Genitoribus Marchione *Carolo*, & *Ippolita Greppi* natus est die 29. Aprilis anni 1678. Prima pietatis, & Literarum rudimenta paternâ in Domo perdidicit. Mox anno 1692. Senas traductus est in Collegio nobilium Ptolomæorum, ibique emensis Rethoricę, Philosophiæ, & Theologiæ disciplinis, legali etiam facultati vacare cœpit. Ex illo tempore munus obtinuerat in Romana Curia correctoris Literarum Apostolicarum, quod contradictarum nuncupatur. Istud vero Præsulis dignitatem Romæ adnexam habebat. Papæ tamen indulgentià à capessendo Præsulis instituto abstinuit.

Anno 1697. in Universitate Urbini Doctoratus insigniis ornatus fuit. Indè Romam advenit, ubi impensam Jurisprudentiæ navavit operam, & in Academia de Propaganda Fide, aliisque Literariis cœtibus exceptus, Canonicis studiis, atque Ecclesiæ Controversiis naviter incubuit. Omnia hæc gerebat sub disciplina ejus Consobrini *Clementis XI.*, qui tunc in Romana Curia magnæ spei Præsul affulgebat.

Clemens enim Matrem habuit *Helenam Mosca* lectiſſimam Matronam, quæ *Agapiti* noſtri Amita fuit.

Evecto ad Apoſtolatus faſtigium eodem Clemente XI., ipſo impellente Comes datus eſt *Laurentio Fliſco* Archiepiſcopo Avenionenſi, qui extra Ordinem Nuncius anno 1702. ad Gallos miſſus fuerat, ut Regem Chriſtianiſſimum flecteret ad ineunda pacis conſilia.

Sequenti anno 1703. Romam reverſus eſt, atque anno 1706. Cardinali *Joanni Baduario*, & Cardinali *Chriſtiano Auguſto* è Ducibus Saxoniæ allegatus eſt, ut illis Pileolum afferret Cardinalatus inſigne. *Cardinali Baduario* Romam advenienti obvius fuit in Civitate Laureti, atque ibi ritè ſolemnitatem abſolvit. Cardinalem vero de Saxonia adivit, & Coloniæ Agrippinæ, ſimili, & majori ſolemnitate injuncto ſibi munere functus eſt. Hac capta occaſione, nedum cultiores Germaniæ Civitates, ſed maximam etiam Poloniæ partem peragravit; indè Viennam in Auſtria perrexit, ibique varia, quæ à Pontifice in commiſſis habuerat, negocia ſedulo curavit; anno demum 1707. Romam rediit, & in Baſilica Vaticana Canonicatum obtinuit. Tunc Eccleſiæ illius ſervitio mancipatus, promovendo Divino Cultui totus incubuit.

Exeunte anno 1713. Prolegatus renunciatus eſt Provinciæ Æmiliæ. Quare die 25. Januarii 1714. inter Præſules cooptatus Romanæ Curiæ, eodem anno Æmiliam petiit. Novum illi negocii genus adjectum fuit; præſidentia ſcilicet aquarum trium Provinciarum Ferrariæ, Bononiæ, atque ejuſdem Æmiliæ.

Spartam, quam nactus fuerat, ſedulo ornavit uſque ad annum 1717., quo Gubernio Æſinæ Civitatis admotus fuit, indè vero anno 1721. ab eodem *Clemente XI.* ad Civitatem Lauretanam in eadem Prætoris dignitate translatus eſt. Demum anno 1726. à *Benedicto XIII.* Præſes primum dicitur Cameræ Apoſtolicæ, indè inter ejuſdem Cameræ Clericos recenſetur.

Præmium tot laboribus debitum in hac ſolemni Cardinalium enunciatione eſt aſſequutus. Etenim *Clemens XII.*, ut memoriæ *Clementis XI.*, à quo Cardinalitiam dignitatem acceperat, grati animi teſtimonium exhiberet, *Agapitum* arcta illi affinitate propinquum in Sacrum Senatum invexit. Diaconiam illi attribuit *S. Georgii ad Velum Aureum*; & Congregationibus addixit Propagandę Fidei, Boni Regiminis, Sacræ Conſultationis, Indicis Librorum prohibitorum, & Avenionenſis, & Laureti. Demum anno 1734. eum Ferrariæ de Latere Legatum renunciavit. Graviſſimis, ac difficillimis temporibus optimè Provinciam adminiſtravit. Galli quippè Hiſpanis fœderati ex una, Auſtriaci vero ex alia parte Italiam ferè univerſam armis obruerant. Nec ſemel in Agro Ferrarienſi viciſſim conſederant. Tranſitum Hiſpano Exercitui Neapolim petenti, atque illinc redeunti iteratò dare neceſse fuit. Huic etiam ſuperacceſſerat maxima Annonæ caritas. Et tamen rei frumentariæ proſpexit, & publicæ tranquillitati conſuluit. Primo exacto triennio, *Clemens XII.*, qui viri officium, & diligentiam probaverat, ſponte ſua ad aliud triennium Provinciam illi prorogavit.

Anno 1738. *Mariam Amaliam* filiam Auguſti III. Saxonum Ducis, & Sarmatiæ Regis, quę Neapolim ad *Carolum Borbonium* Regem Sponſa deducebatur, in Civitate Ferrariæ ſplendidè, ac munificè excepit, ac Legatus de Latere Pontificis renunciatus, Apoſtolicam Benedictionem, & ſacra munera impertivit. Ipſi præterea nonnulla Neapolitani Regni negocia commendavit, quæ diutino perturbata malo facillimè tantæ Conjugis ope componi poterant in Religione, & Pontificiæ authoritatis incrementum.

Mortuo anno 1740. *Clemente XII*, Vaticana celebravit Comitia. Electo demum Benedicto XIV., ſæpè ab eo, atque enixè rogatus eſt, ut ad ſuum rediret Ferrariæ imperium, quod illi ad aliud triennium ultro exhibebat; ſed notæ pietatis vir oblatam dignitatem conſtantiſſimè recuſavit, nil amplius in votis habens, quam privatæ incumbens vitæ ſuis adeſſe Congregationibus, & infixam animo Religionem percolere. Hoc ille vivendi genere utitur, dum hæc ſcribimus, in cæterorum exemplum.

Quinta Cardinalium Enunciatio facta fuit

A

CLEMENTE XII.

Die 2. Martii anni 1733.

Hæc vero unum habet Cardinalem, qui ſequitur.

Do-



Dominicus Rivera Urbinas, Protonotarius Apostolicus, Sac. Consultæ Secretarius, S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo. Dño. Nro. CLEMENTE PAPA XII. in Consistorio secreto die 2. Martij 1733.

Petrus Nelli delin. *Hieronymus Rossi ſculp.*

Laurentius Philippus de Rubeis Calcographus Vatican. Filius q. Dominici Heredis Io. Iacobi form. Rª ad T. S. M. de Pace cũ Priv. S. P.

XIII.

DOMINICUS RIVERA Urbinas Patriciis Parentibus *Joanne Carolo*, & *Cinthia Fazzinia* lectiſſima Matrona, quæ celeriter Viro orbata Familiam providentiſſimè adminiſtravit, in lucem prodiit die 3. Decembris anni 1671. Vetuſtiſsima ejus Familia, opibus, & dignitatibus claruit in Aprutina Provincia, quo tempore Reges Andegavenſes Imperio Neapolitani Regni potiebantur. Avus ejus *Ludovicus Rivera* ex eadem Aprutina Provincia, & ex Aquilæ Civitate, in qua majores ſui tamdiu conſederant, in alteram Urbini domicilium invexit.

Dominicus Sororem habuit, quæ nupſerat

A Comiti *Laurentio Veteranio*, germano Fratri Comitis *Friderici*, Cæſareorum olim Exercituum ſupremi, atque invicti Moderatoris, cujus geſta, mortemque pulcherrimam in ſuperiori libro recenſuimus. Unicum etiam Fratrem habuit *Franciſcum*, virtute militari præſtantem, qui anno 1709. ſtrenuè pro Pontifice dimicans, & locum *Molendinorum* nuncupatum propè Ferrariam adverſus Cæſareos defendens, ab hoſtibus cæſus occubuit, atque omnem ſpem Avitæ ſobolis propagandæ ſimul

B eripuit.

Ipſe vero poſito in Patria pietatis, & Literarum tyrocinio, ut gravioribus diſciplinis

im-

imbueretur, Bononiam traductus est in Collegium nobilium S. Xaverii. Inde ad suos remeans, XVII. annos natus in Theologica, & Legali facultate Doctoratus insignibus in Patriæ suæ Lycæo ornatus est. Plena demum pubertate Romam venit, adeoque intentum studio liberalium disciplinarum adjecit animum, ut quidquid bonarum artium fuit, feliciter pervaserit. Nedum evolvendo Canonico, & Civili Juri apud *XII. Viros* Sacræ Rotæ, & Signaturæ Justitiæ naviter incubuit, sed Literarios cœtus frequentavit, atque in iis gravia specimina eruditionis exhibuit.

Vix pubertatem egressus, Orationem habuit nitidam, atque elegantem ad *Innocentium XII.* in S. Purpuratorum Senatu, ob quam potissimum idem Summus Pontifex, eum comitem dedit, & adjutorem cum spe futuræ successionis Præsuli eximio *Raphaeli Fabretto* Civi suo in munere Custodis secretioris Archivii, quod in Arce S. Angeli adservatur. Hoc munus, viris dumtaxat probatæ Fidei conferri solitum, mortuo anno 1700. eodem Præsule *Fabretto*, plenius absolvit, eatenusque obivit, quoad Sacra Purpura fuit insignitus.

Eodem anno 1700. evecto ad Apostolatum *Clemente XI.* Cive itidem, atque admiratore suo, rerum in eo Pontificatu abditarum statim factus est particeps, nec semel de Juribus S. Sedis scribere jussus, lucubrationes edidit accuratissimas.

Anno 1707. ad Principem *Eugenium* è Sabaudia supremum Cæsarei exercitus Moderatorem allegatur. Cum eo prudenter egit, aliquasque pactiones iniit, quibus cautum fuit, ut ex agro Ferrariensi, & Bononiensi hybernantes copiæ educerentur. Alios etiam Italiæ Principes adire jussus, *Victorium Amadeum* Sabaudiæ Ducem, Parmæ item, & Mutinæ Duces convenit, atque ubique Spartam, quam nactus fuerat, similiter ornavit.

His porro negociis probe, atque ex Papæ sententia confectis, Romam remeavit. Tunc Canonicus dictus est *S. Mariæ in Via Lata*. Parvoque interjecto temporis intervallo, ex eodem Canonicatu ad alterum transiit Vaticanæ Basilicæ, & Cubicularii Pontificii honore auctus est. Mox a Secretis est habitus Congregationis Consistorialis, & Sacri Cardinalium Collegii, necnon Latinarum Epistolarum, & Congregationis Aquarum. Demum die 23. Januarii anni 1716. referendis in Signatura Gratiæ, & Justitiæ libellis addictus est, & Præsul Papæ Domesticus est renunciatus.

Omnia hæc munera momento ferè temporis sibi attributa absolvit fide, ac diligentia incredibili.

Præsertim vero in Congregatione, cui Aquarum cura est, plura præstitit ad levandas regiones, immodica imbrium copia vexatas, saluberrima. In Æmiliam anno 1716. Visitator Apostolicus accessit, adscitis sibi sociis clarissimis matheseos Professoribus *Cælestino Galliano*, *& Guidone Grandio*. Bononiensibus, & Ferrariensibus immani Rhæni alluvione læsis, præsens succurrit; aggeres celeriter restituit, quos aquarum vis ferme disjecerat. Et suam edidit lucubrationem (*a*) quæ typis edita, & inter celebres authores de aquarum motu tractantes inserta, viris eruditione præstantibus maximè probatur. Anno inde 1718. ad Clanas cum plenaria potestate missus a Pontifice, egit cum *Josepho Ginorio* Senatore Florentino, qui ex parte Magni Etruriæ Ducis allegatus erat, perfecitque cum eo, ut remota utrimque partium contentione, pactis quibusdam certis conditionibus, per aquarum divortia Clanarum deinceps eruptiones, quibus interjacentes Agri vastabantur, coercerentur.

Mortuo *Clemente XI.*, Vaticanis adfuit Comitiis, & tamquam eorumdem Comitiorum à Secretis, tanta hunc Magistratum solertia, & liberalitate administravit, ut suos in officio Antecessores anteiverit, eorumque memoriam majori Dignitate, atque amplitudine prorsus obruerit.

Locato in Petri solio *Innocentio XIII.* statim ab Epistolis Arcanis notis conscriptis meruit renunciari. Magnanimus ille Pontifex duorum præsertim Administratorum consilio nitebatur, *Georgii* Cardinalis *Spinulæ* à Secretis Status assumpti, & *Dominici Rivera*. Hinc rerum omnium, quæ in hoc Pontificatu laudabiliter gesta sunt, vel author extitit, vel adjutor.

Duo potissimum grandia cœpta feliciter absolvit, legitimam nempe utriusque Siciliæ possessionem, quam *Investituram* vocant, & quæ *Carolo VI.* Cæsari data fuit, honestis quidem conditionibus; & liberam Romanæ Sedi Comacli Oppidi restitutionem, quæ constituta quidem à Cæsare, initisque utrimque sponsionibus promissa, immatura tamen morte Pontificis, ineunte Successoris Pontificatu perfecta fuit.

Sub *Benedicto XIII.*, cujus similiter electioni tamquam Conclavis Secretarius adstiterat, arcanorum tunc emergentium negociorum præcipuus Consultor est adhibitus. Et Cardinalis Lercarius tunc sanctioris Consilii à Secretis assumptus, & summæ rei præpositus, ut ipse palam fatetur, ejus potissimum dexteritate, ac consilio usus est.

Vita pariter functo *Benedicto XIII.*, iterumque, ac tertio celebratis sub ejus procuratione Comitiis, atque electo *Clemente XII.*, à Secretis dictus est Congregationis, quæ Consultationibus præest totius Status Ecclesiastici. Demum hac celebri die 2. Martii anni 1733. solus inter Purpuratos Patres relatus est. Titulum obtinuit Presbyteralem *SS. Quirici, & Julitæ*, quem postea immutavit in alterum *SS. XII. Apostolorum*; & Congregationibus adje-

(*a*) Videnda est hæc dissertatio in Tom 3. Collectionis authorum de motu aquarum edito Florentiæ anno 1733.

adjectus fuit Concilii Tridentini, Propagandæ Fidei, Episcoporum & Regularium, Sacræ Consultationis, Aquarum, Clanarum, Immunitatis Ecclesiasticæ, Rerum Consistorialium, & Commercii Anconæ. Protector etiam datus est Congregationi Monachorum Cœlestinorum, Protector Scotico Regno, ejusdem nationis in Urbe Collegio, & Picæni Provinciæ.

A

Clemens XII. eum de Latere Legatum dicere decreverat; & Æmiliæ Provinciam illi administrandam obtulerat. Ipse vero nulla captus Imperii, aut lucri cupiditate, oblatam ultro Dignitatem constantissime recusavit. Anno tamen 1737. mortuo Cardinali *Josepho Renato Imperiali*, libens illi suffectus est in amplissima Præfectura Boni Regiminis. In ea senex adhuc operosus, & semper agens invigilat; & Civitatum, & Oppidorum Ditionis Ecclesiasticæ utilitatibus maximo opere studet.

B

Apud BENEDICTUM XIV. Regnantem Pontificem eadem prorsus authoritate viguit, & Gratia.

Fortunæ adhærens Regiæ, atque infelicis *Stuardæ* Familiæ, *Jacobum III.* Magnæ Brittaniæ Regem omnibus percoluit amoris, & reverentiæ officiis. In ejus propterea familiaritatem accitus, ipsum crebra calamitatum, rerumque molestarum vicissitudine obrutum, consilio, & prudentia juvit.

C

Acri, & solerti ingenio, arcanus, & prudens homo; ad iram natura pronus, adeo indolem consilio, & perspicientia temperavit, ut in rebus agendis firmus, imperturbatus, atque oleo tranquillior videatur. Hoc ille utitur vivendi genere, ut imminentia negotia funditus possit internoscere, & pericula, & difficultates præcavere.

Eximia pollet eruditione, & maxima notitia antiquitatis. Omnia memoria tenet, non domestica solum, sed etiam vetera, atque externa. Abditos Historiæ fontes inquisivit, temporalis Ecclesiæ Ditionis Jura, illustrium Italiæ Familiarum origines introspexit; & jus publicum præsertim evolvit, quod inter populorum Rectores intercedit, eorumque vel fœderibus nititur, vel pactis. Plura latino, & vernaculo idiomate edidit nitide, atque eleganter. Vitam ab eo latinè conscriptam Civis sui *Raphaelis Fabretti*, quem supra memoravimus, in Italicum vertit *Crescimbenius*, illamque inter vitas Arcadicas inseruit (*a*). Plura etiam scripta apud eum extant, digna profecto, ut Typis cudantur.

Eruditorum hominum propterea etiam extra septa Italiæ nactus est amicitiam, & clientelam. Laudatur à claris viris *Henrico* Brenkmano (*b*), & Marchione *Scipione Maphejo* (*c*); qui ad adeunda Scientiarum penetralia (in quibus exemplar omnigenæ eruditionis emersit) *Dominicum Rivera* & ducem, & hortatorem, & auspicem itineris se habuisse fatetur.

Annum agit 79., vivatque ad extremam senectutem, ut ad Ecclesiæ, & bonarum artium utilitatem studia, & sollicitudines suas diutissime conferat.

Sexta Cardinalium nunciatio facta

Die 28. Septembris anni 1733.

A

CLEMENTE XII.

Duos continet Cardinales, qui sunt.

Marcellus Passari. Arianensis.
Joannes Baptista Spinula. Genuensis.

MAR-

(*a*) Tom. 1. Vitar. Arcadic. pag. 83.
(*b*) In Hist. Pandect. lib. 4. pag. 396. edit. Traject. ad Rhenum an. 1722.
(*c*) Antiquit. Gall. ep. 20.



XIV.

MARCELLUS PASSARI Arianensis ex optima, & spectatæ Nobilitatis Familia genitus, ut testimonium perhibent graves de Neapolitanis Familiis scriptores *Coronellus* (*a*) *Lumaga* (*b*) & *Pacichellus* (*c*), optimos item habuit genitores, *Ascanium* scilicet, & *Antoniam Intonti*. Ex iis in lucem editus est die 7. Junii anni 1678. Posito in Patria primo literarum tyrocinio, ut inde ad graviores facultates progrederetur, grandior factus Neapolim traducitur. Sub cura ibi Patrum Societa- A tis Jesu Philosophicis, & Theologicis Disciplinis navavit operam, Jurisprudentiæ item incubuit in publica illius Urbis Universitate.

Talibus imbutus Institutis in Patriam reversus est, sacerdotio quodam provisus, quod erat suæ Familiæ gentilitium. Anno inde 1702. in Cathedrali illius Civitatis Canonicatum obtinuit. Munus demum Pauperum Advocati, & Vicarii Generalis in illa Curia Episcopali laudabiliter implevit.

Anno 1709. Romam accersitur à quodam

ejus

(*a*) Bibliotheca Sacroprophana primæ editionis. (*b*) In Theatro Nobilitatis Europæ. (*c*) In descriptione Regni Neapolitani.

ejus consanguineo *Joanne de Leone*, qui Cardinalis *Laurentii Corsini* Assessor erat. Oblata apposite occasione *Marcellus* usus est, ut practicæ Jurisprudentiæ acrius incumberet. At evecto ad *Isserniæ* primum, deinde ad *Melphis* Episcopatum eodem *Joanne de Leone*, illi Cardinalis Corsinius *Marcellum* suffecit, eumque sibi à cognitionibus assumpsit. Eum præterea aliquot Monialium Cœnobiis præposuit, quorum idem Cardinalis Protector erat.


Benedictus XIII., qui dum Beneventanæ præerat Ecclesiæ, *Marcellum* noverat, Canonistam eum dixit Sacri Concilii Romani, ut acta tunc gestæ Synodi luculenter ostendunt. Ad Abellini etiam Episcopatum illum traducere cogitavit per dimissionem Cardinalis Finii, sed aliquot tunc obortis difficultatibus, res caruit eventu. Mortuo *Benedicto XIII.* Cardinalem Corsinium sequutus est Vaticana celebrantem Comitia, atque optima in eum officia contulit. Ipso verò ad Apostolatum assumpto sub nomine *Clementis XII.* illi fuit à Cognitionibus. Canonicatum etiam obtinuit Vaticanæ Basilicæ, quem ille modestissimè recusavit, subdens hujusmodi beneficia Equitibus Romanis dari solita, malè in exteros conferri. Hæc animi moderatio adeo Papæ arrisit, ut eum divitibus in Regno Neapolitano Sacerdotiis cumulaverit. Titulo etiam Archiepiscopi Nazianzeni decoratus est, & Sacræ Pœnitentiariæ Canonista est renunciatus. Demum hac die 28. Septemb. anni 1733. Cardinalis creatur sub Titulo Presbyterali *S. Mariæ in Ara Cœli*. Præterea Congregationibus adjicitur S. Officii, Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Examinis item Episcoporum, Indicis, Propagandæ Fidei, Immunitatis, SS. Rituum, & Signaturæ Gratiæ.

Inter Cardinales relatus in eodem perstitit Magistratu Papæ Assessoris cum Titulo *Pro-Auditoris*. Pluribus in Urbe locis piis Protector datus est, præsertim vero Hospitio S. Michaelis ad Ripam Fluminis, nec levia in illud contulit beneficia.

Adfuit Comitiis Vaticanis pro electione BENEDICTI XIV., sed anno 1741. in adversam incidit valetudinem. Ut morbo reficeretur, hujus anni mense Majo ad Ædem Sanctæ Mariæ Lauretanę iter instituit. Vix Romam remeavit, quod majori morbus impetu vires exeruit suas. Sævo viscerum dolore, & urinæ difficultate correptus, naturæ succubuit die 25. Septembris hujus anni 1741. Corpus ejus ad Ecclesiam suam Parrochialem delatum fuit Sanctę Mariæ in Porticu, ibique justis exequialibus expiatum adstante Sacro Cardinalium Cœtu, & Summo Pontifice BENEDICTO XIV. In eadem demum Ecclesia conditum fuit cum hoc Elogio, quod Præsul *Joseph Passari* ejus Fratris filius poni curavit.

D. O. M.
MARCELLO E VETVSTA PASSERIORVM
ARIANENSI FAMILIA
CVI CAROLVS CÆSAREO DIPLOMATE
AQVILAM GENTILITIO STEMMATI
ADDERE INDVLSIT
CLEMENTIS XII. P. O. M. AVDITORI
AC INDE
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI
TITVLI S. MARIÆ DE ARA COELI
PIETATE DOCTRINA ET PRVDENTIA
SPECTATISSIMO
VIX. ANN. LXIII. MENS. III. DIES XVIII.
OBIIT VII. KAL. OCTOB.
ANN. MDCCXLI.
IOSEPH ANTONIVS PASSARI
BENEDICTI XIV. P. O. M.
A CVBICVLO HONORIS
PATRVO BEN. P.





Ioannes Baptista Spinula Ianuensis Protonotarius Apostolicus Almæ Urbis Gubernator Vice=Camerarius S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SS.D.N. CLEMENTE PAPA XII. in Consistorio Secreto die 28. Septembris 1733.

Petrus Nelli del — *Roccus Pozzi sculp.*

Laurentius Philipp. de Rubeis Calcographus Vatic. Filius q. Dominici Hæredis Io Iacobi form R.ª ad T. S. M de Pace cũ Priv. S. P.

X V.

JOANNES BAPTISTA SPINVLA Genuensis die natus est 9. Julii anni 1681. Parentes habuit eximios, ac Patricios, scilicet *Franciscum*, & *Mariam Nigroni* ex Fratre neptem Cardinalis *Jo. Francisci Nigroni* à Ven. Innocentio XI. promoti, ut superius recensuimus. Præclara *Spinulorum* Familia genere, & nobilitate in Republica Genuensi maximè potens, varias in stirpes est propagata. Ea, ex qua *Jo. Baptista* ortum ducit, vulgari ea in Urbe cognomento = *dei Savii* = nuncupatur.

Sub eorumdem Parentum cura, atque amplissima Paterna in Domo, prima posuit literarum tyrocinia, officiisque Christiano homini

A impendentibus sedulo imbutus est. Mox quindecim annos natus Romam traducitur, atque in Collegio Romano Patribus Societatis Jesu datus est instituendus. Eloquentiæ naviter incubuit; Philosophiæ verò, & Theologiæ adeo impensam navavit operam, ut Theses suas in utraque facultate, data cuilibet arguendi copia, scitè atque eleganter propugnaverit. In utraque etiam facultate, Philosophiæ scilicet, & Theologiæ in ipsa Collegii Romani Universitate Doctoratus insignibus ornatus est.

B Exacta pubertate è Seminario eductus, ad acriorem palestram transiit, & in Domo ejusdem Cardinalis Nigroni Avunculi sui Jurispru-

den-

dentiæ tum Canonicæ, tum civili, atque illi A etiam, quæ à criminibus coercendis *criminalis* dicitur, intentum animum adjecit. Ad has disciplinas funditus assequendas optimis Causidicis *Philippo Boschetto*, & *Felice de Grandis* familiariter usus est. Præterea in Tribunali Auditoris Cameræ sub cura eximii Præsulis *Pompeii Aldrovandi* postea Cardinalis, atque in altero Tribunali Signaturæ Justitiæ sub celebri *Gabriele Philippuccio* ex abdicata magis, quàm ex adepta Cardinalitia dignitate præclaro, sedulò, atque utiliter versatus est. B Demum utriusque Juris in Romano Lycæo Lauream Doctoralem promeruit.

Anno 1707. à Clemente XI. Apostolici Cubiculi honore auctus fuit; demum die 20. Januarii anni 1711. referendis in Signatura Gratię, & Justitiæ libellis addictus est, & Præsul Papæ domesticus est renunciatus. Exeunte anno 1712. Beneventanæ Civitatis Prætor dicitur. Ut erat Justitiæ vindex, & infixam animo Religionem sedulo percolebat; sic apud Cardinalem *Ursinum* ea tempestate Archiepi- C scopum Beneventanum postea sub nomine *Benedicti XIII.* Summum Pontificem, authoritate viguit, & gratia.

Quinquennio hujus Regiminis laudabiliter exacto, Romam revocatur, & ad ferendum suffragium assumitur in Congregatione, quæ Consultationibus præest Status Ecclesiastici. Rursus hoc eodem retento officio à Cardinali *Jo. Baptista Spinula* Quæstore, seu S.R.E.Camerario, Assessor dicitur, & de rebus Cameræ Apostolicæ gravioribus, quas ejus fidei po- D tissimum credebat, particeps efficitur. A Cardinali *Annibale Albano*, qui in ipsa Quæstoris dignitate eidem Cardinali Spinula suffectus fuerat, in hoc Assessoris officio confirmatur.

At vero quum varia hæc munera strenuè obierit sub diuturno Clementis XI. Imperio, sub tribus tamen posterioribus Pontificibus ad maximos Urbis Magistratus continuo evectus est. Anno quippè 1722. ab *Innocentio XIII.* inter Clericos Cameræ Apostolicę cooptatur; mox à *Benedicto XIII.* à Secretis dicitur Sacræ Consultationis, parvoque interjecto tempore Prætor Urbis inauguratur; & quum ferè sexennio Ministerium hoc impleverit fide, ac prudentia singulari; à *Clemente XII.* hac celebri die 28. Septembris anni 1733. in S. Senatum invectus est. Diaconiam illi attribuit *S. Cæsarei*; & Congregationibus adjecit Concilii Tridentini, S.Consultæ, Aquarum, & Fabricæ S. Petri. Bononiæ demum de Latere Legatus dictus est. Illuc recta perrexit, temporibusque impeditissimis, quibus Hispani Gallis fœderati ex una, altera vero ex parte Germani milites maximam Italiæ partem armis obruerant, Provinciam administravit. Annona ingravescente, prudens rei frumentariæ prospexit, publicæque tranquillitati undequaque consuluit.

Postquam ferè septennio Bononiensi dictatura laudabiliter functus fuerat, Romam reversus est; Sacris Cardinalium Cœtibus, quibus fuerat adscriptus, frequens adesse non destitit. Novas illi Pontifex Congregationes superaddidit. Mortuo *Clemente XII.* Vaticana celebravit Comitia, atque electo Benedicto XIV. feliciter regnante, ab eo post mortem *Cardinalis Jacobi Lanfredini* Præfectura ornatus fuit Immunitatis Ecclesiasticæ, & rerum Jurisdictionalium. Sic pluribus Summis Pontificibus probatissimus vivit adhuc, polletque moribus integerrimis, & prudentia singulari. Dignus propterea, ut tantas animi dotes, tanta divinæ largitatis dona ad incrementum Divini Cultus diutissimè conferat.

Septima Cardinalium Creatio


IN EA

CLEMENS XII.

Die 24. *Martii anni* 1734.

Quatuor Cardinales Sacro Purpuratorum Patrum cœtui adscripsit. Eorum nomina sunt sequentia.

Pompejus Aldrovandus Almæ Urbis Gubernator. Bononiensis.
Seraphinus Cincius Archiepiscopus Beneventanus. Romanus.
Frater Petrus Maria Pierius Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis Prior Generalis. Senensis
Jacobus de Lanfredinis Sac. Congreg. Concilii Secretarius. Florentinus.



Pompejus Aldrovandus, Bononiensis, Patriarcha Hjerosolymitanus, Almæ Urbis Gubernator, et Vice-Camerarius, olim Sac. Rom. Rotæ Decanus S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmõ. D. N. CLEMENTE XII. in Consistorio secreto die 24. Martij 1734.

Jo Dom Campiglia del *Roccus Pozzi Sculp.*

Romæ ex Chalcographia R. C. A apud Pedem Marmoreum

X V I.

A POMPEIUS ALDROVANDUS Bononienſis die natus eſt 23. Septembris anni 1668. Eximios, ac Patricios habuit Parentes, ſcilicet Comitem *Herculem*, & *Mariam Juliam Albergati* lectiſſimam Matronam. Fervidi adoleſcens ingenii, ut liberalibus diſciplinis imbueretur, Romam primo in Seminario Romano, inde Senas in Collegio Nobilium *Ptolomæorum* nuncupato collocatus eſt, demum Bononiam remeavit, ibique emenſo Juriſprudentiæ curriculo, in Patriæ ſuæ Lycæo Doctoratus inſignibus ornatus eſt.

Die 23. Februarii anni 1696. in Pontificatu *Innocentii XII.* referendis in Signatura Gratiæ, & Juſtitiæ Libellis addictus eſt. Citò ejuſdem Pontificis ſibi gratiam conciliavit, & Auditor Signaturæ Juſtitiæ meruit renunciari. *Clemens XI.* vix ad Apoſtolatum aſſumptus Locumtenentem eum dixit Auditoris Cameræ, atque in hac Forenſium Controverſiarum Paleſtra, optimi, atque incorrupti Judicis ſibi nomen quæſivit.

B Evecto anno 1706. ad Sac. Purpuræ honorem *Alexandro Caprara*, illi Pompejus ſuffectus eſt, & inter *XII. Viros* Sacræ Rotæ relatus eſt. Ad ferendum etiam ſuffragium aſſumptus eſt

in

in Congregatione Immunitatis Ecclesiasticæ, tamquam *XII. Vir* Sacræ Rotæ, atque in ea anno 1711. Prosecretarii vices obivit.

Anno 1712. ad Philippum V. Regem Catholicum Nuncius Apostolicus allegatur, & Archiepiscopus dicitur Neocesariensis. Prius quam tamen Hispanias attingeret, *Ludovicum* Gallorum Regem adire jussus, cum eo de gravissimis Ecclesiæ rebus prudenter egit. Ut Matritum pervenit, graviora impendentia negocia feliciter absolvit. Sed obortis anno 1716. molestis aliquibus difficultatibus, Romam rediit; ineunte anno 1717. Pontificis Imperio Matritum remeare jussus est. At rursus occasione Maritimæ expeditionis à *Philippo* Rege in Sardiniam adornatæ, novis anno 1718. enatis dissidiis, Nuncius Apostolicus negotio submovetur, Regiisque Ministris interdicitur, ne cum eo domesticum usum habeant, vel familiaritatem. Quare cessante Pontificiæ Nunciaturæ Tribunali, veritus *Aldrovandus*, ne ipse quoque Regno pelleretur, inscio Pontifice in Italiam revertitur. *Clemens* propterea eum Italiæ oras attingentem Bononiam petere, ibique consistere jubet.

Ea in Urbe reliquo perstitit Clementis XI. Pontificatu; sed assumpto in Petri Solio *Innocentio XIII.* Romam revocatur, & ad suum *XII. Viri* Sacræ Rotæ Magistratum reducitur. Senior in eo evaserat, quem nostri *Decanum* dicunt. In Congregatione etiam Sacrorum Rituum allicitur, & Sacræ Pœnitentiariæ Regens renunciatur.

In Pontificatu *Benedicti XIII.* Consultor est habitus Sacræ, & Universalis Inquisitionis, suaque industria, & doctrina in maximam reductus hujus Pontificis familiaritatem, & gratiam, in gravioribus Urbis negotiis meruit adhiberi. Examinator Episcoporum dicitur, atque anno 1729. Patriarchæ Hierosolymitani titulo decoratur.

Eadem prorsus sub *Clemente XII.* viguit gratia, & authoritate. Anno 1733. assumpto inter Cardinales Præsule *Jo. Baptista Spinula*, illi *Pompejus* est substitutus in amplissima Gubernatoris Urbis dignitate, atque hac celebri die ipse quoque in S.Senatum invectus est. Titulum obtinuit Presbyteralem *S. Eusebii*. Et Congregationibus adjectus est Episcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Sacræ Consultæ, Propagandæ Fidei, & Visitationis Apostolicæ. Atque in Pontificatu Benedicti XIV. Congregationes etiam obtinuit S. Officii, Examinis Episcoporum, Sacrorum Rituum, & Rerum Consistorialium.


Munus Præfecti Urbis, quod laudabiliter obierat, exercuit etiam per aliquot menses cum Titulo Pro-Gubernatoris. Donec die 9. Julii ejusdem anni 1734. admotus fuit ad Ecclesiam Cornetanam, & Montis Falisci. Alacer statim ipse in Cathedræ suæ possessionem commeavit, eamque ornare non destitit mirificis operibus, & beneficiis singularibus. Ecclesiam Cathedralem *S. Glariani* nuncupatam, & Palatium Episcopale instauravit, & auxit. Civitatem Montis Falisci, atque alteram Corneti multipliciter ornavit. In hac postrema, effossa ubique terra, cavatoque litore, maris Portum aperuit ad navigia excipienda, commerciumque dilatandum satis idoneum. Plures vias stravit, atque ad Urbem Romam accessum faciliorem effecit.

Mortuo *Clemente XII.* Vaticana celebravit Comitia. In iis apud Collegas suos adeo præstitit opinione virtutis, ut per mensem, & ultra pro eo cunctatum fuerit. Ferè omnium votis visus est Summus Pontifex, numquam tamen emersit. Electo demum Benedicto XIV. Cive, & admiratore suo, Pro-Datarius assumptus est. Triennio in hoc Magistratu exacto Æmiliæ de Latere Legatus renunciatus est. Alioque exacto triennio in ea Provincia utiliter administranda, Bononiam Patriam suam demum revisit.

Ibi aliquandiu consedit, atque otii insolens, Sacellum magnificè extruxit in honorem Sancti Petronii, atque in Ecclesia huic Sancto dicata. In eodem Sacello caput adservatur ejusdem Sancti Titularis, & Protectoris in theca splendida, & eleganti, quam Benedictus XIV. fieri curavit. Hujus vero thecæ idem Summus Pontifex speciali Indulto tres retineri claves jussit, quarum unam Bononiæ pro tempore Archiepiscopo attribuit, alteram Capitulo ipsius Ecclesiæ, & tertiam Primogenito Familiæ *Aldrovandæ* similiter existenti concessit. Idque in memoriam hujus pręnobilis Sacelli multo ære à Cardinali Aldrovando extructi, in quo & nonnulla fundavit Sacerdotia, *Cappellanias* nuncupatas, quibus idoneos redditus constituit, & nobili erecto monumento sepulcrum sibi vivens elegit.

Vivit adhuc octogenario major, atque in actuosa, vigilique senectute in Montis Falisci Civitate, illius Ecclesiæ, & ditionis utilitatibus maximoperè studet.

Se-



XVII.

SERAPHINUS CINCIUS Romanus Filius *Francisci*, & *Justinæ Ripa* lectissimæ Matronæ die natus est 20. Maii anni 1676. Parem præstantissimis natalibus nactus est educationem, & sub optimis institutoribus liberalibus disciplinis, bonisque moribus imbutus fuit. Sub celebri Romani Lycæi Professore *Josepho Canuto* sedulam Jurisprudentiæ navavit operam. Mox eadem Romana Universitate in utroque Jure Laurea Doctorali ornatus fuit.

Ineunte *Clementis XI.* Pontificatu, die scilicet 16. Junii anni 1701. Præsulum Romanæ Curiæ amplexus est institutum, & referendis in Signatura Gratiæ, & Justitiæ Libellis non A mediocrem sibi nominis celebritatem quæsivit. Vix eum inter Præsules relatum, ad ferendum suffragium in Congregatione Fabricæ Divi Petri *Clemens XI.* assumpsit. Nec multo post *XII. Virum* illum dixit in Tribunali Signaturæ Justitiæ. Tandem ab eodem Pontifice anno 1712. Locumtenens dictus est Auditoris Cameræ. Strenue, multosque per annos difficili hoc Magistratu functus est; donec Petri Cathedram tenente *Innocentio XIII.*, ad munus Nuncii Apostolici advocatur in Regno B Neapolitano. Sed ille gravibus de causis oblata dignitate modestissime abstinuit. *Demum à Benedicto XIII.*, vix ad Apostolatum assumpto,

XII.


XII. Vir in Tribunali Sacræ Rotæ Romanæ est renunciatus. Decem per annos arduo muneri incubuit eximia integritate, & prudentia.

In Pontificatu demum *Clementis XII.* majora, ac paria laboribus præmia est assequutus. Siquidem Regens primo Sacræ Pænitentiariæ assumptus fuit, deinde die 18. Decembris anni 1733. post mortem Cardinalis *Sinibaldi ab Auria* Archiepiscopatui Beneventano admotus fuit. Demum hac solemni die 24. Martii 1734. inter Cardinales relatus est. Pileorum, aliaque Cardinalatus insignia illi perlata sunt ab ejus Agnato *Balthaxarre Cincio* tunc Papæ Cubiculario, nunc vero in Aula Romana Præsule magnæ spei, Ut Romam pervenit, Petasum obtinuit Cardinalitium, & Titulum Præsbyteralem *S. Agnetis extra mœnia*, sacrisque cœtibus adscriptus fuit Episcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Immunitatis Ecclesiasticæ, & Fabricæ Divi Petri.

Ad suam redux Ecclesiam vigilantia, atque integritate incredibili cultui Divino amplificando, lapsisque moribus corrigendis maximopere studuit, Magis tamen exemplo, quam legibus usus est. Hinc in Populum suum comis, & liberalis fuit, in pauperes vero effusissimus. Postquam Beneventanæ Ecclesiæ sexennio laudabiliter præfuerat; mortuo *Clemente XII.* ad Vaticana properavit Comitia. Ibi graviter ægrotare cœpit, morboque fere ad mensem protracto, sacris ritè munitus fuit. Die 23. Junii remissior visa est febris, ac ex pertinaci morbo fere convaluerat. Natali ipso die S. Joannis Baptistæ rem sacram peregit; inde in lectulum, ut paulisper quiesceret, se conjecit; in eoque paulo post, nemine id suspicante mortuus repertus est, Ejus corpus expositum fuit in Ecclesia *S. Thomæ ad Cincios*, quæ Patronatus jure ad hanc spectat vetustissimam Familiam. Inde ad Ecclesiam ejus Titularem translatum est Sanctæ Agnetis extra muros.



FRA-



XVIII.

FRATER PETRUS MARIA PIERIUS Senensis humili loco, humilibusque ortus Parentibus, nempe *Francisco* Patre, Matre vero *Elisabeth Maggiolini*, natalem aspexit lucem die 29. Septembris anni 1676. in Oppido nuncupato *Pian Castagnio* prope *Redicofanum* in Agro Senensi. Idcirco Senensis & ipse dictus est. Laborantibus ejus Genitoribus rei familiaris angustia, educationem nonnisi vulgarem nanciscebatur; & tamen rudimenta didicerat literarum. Quidam Pater *Ponzoli* ex ordine Servorum Beatæ Mariæ Virginis Civis suus noverat animum adolescentis ingenuum, piamque indolem prorsus suspexerat. Ne igi-

A tur desidia, & paupertate languesceret, ad assumendum ejus habitum religiosum illum adduxit. Sumptus illi ad assequendam sui Instituti vestem gratis dedit.

Anno igitur ætatis suæ 15. *Petrus* Florentiam traductus inter illos Confratres excipitur, atque in Cænobio illius Civitatis, quod *Sanctissimæ Annunciationis* nuncupatur, ad tyrocinium admittitur. Illo vero absoluto in ætate annorum 17. Romam venit in Collegio *Sancti Marcelli*. Philosophiæ, & Theologiæ in-
B cubuit sub disciplina P. Magistri *Lodigieri* nobili Urbevetani. Studiis hisce emensis, quum ipse 26. annum attigisset; Theses Theolo-

gicas sustinuit, quas Summo Pontifici *Clementi XI.* nuncupavit. Gratiam ab eo promeruit, qua Magister dictus est, licet 27. annum nondum explevisset, ad illius statuta Cœnobii. Magister renunciatus Florentiam remittitur Regens studiorum in eodem Cœnobio Sanctissimæ Annunciationis. Sed anno vix exacto, iterum Romam revocatur in Collegio S. Marcelli, in eodem munere Regentis studiorum, & Definitor dicitur Generalis Provinciæ Etruriæ.

A

Obierat eo tempore *P. Jo. Petrus Bertazzoli* e Massa Carrariæ Præses illius Ordinis Generalis. Novum idcirco honoris gradum *Pierius* est assequutus, & Vicarius Generalis eligitur usque ad Comitia noviter habenda. Comitiis demum coactis, *P. Castelli* cooptatus est in Præsidem Generalem. Is autem munere vix assumpto, *Pierium*, de quo non benè suspicabatur, ab officio Regentis exauctoravit. Ut autem injuriam prætenderet, evulgavit, *Pierium* sponte officium dimisisse. Molesto tamen animo contumeliam passus, ad Cardinalem Laurentium *Corsinium* ipse confugit sui Ordinis Protectorem. Querelas exposuit, & præsidium poposcit. In clientelam Cardinalis *Corsinii* receptus est, ejus Bibliothecarius, & Theologus declaratur sub annuo 50. aureorum stipendio. Præterea Sac. Congregationis Rituum, & Indicis Librorum prohibitorum Censor, seu Consultor *sub Benedicto XIII.* renunciatur. Item & Supremæ Inquisitionis Consultor, & Examinator Episcoporum efficitur.

B

C

Mortuo deinde in Civitate Neapolis *P. Castelli*, eidem in comitiis generalibus sufficitur *P. Cavalli*. *Pierius* vero patrocinio fretus Eminentissimi Protectoris Procurator Generalis eligitur, parvoque interjecto tempore, assumpto ad Episcopatum eodem *P. Cavallio*, per Breve Pontificium *Pierius* evulgatur Præses totius Ordinis Generalis. Sexennio Dignitatem exercuit; quo exacto, eamdem iterum Dignitatem obtinuit anno 1732. in comitiis generalibus ex unanimi Confratrum suffragio, quum jam ad Apostolatum assumptus esset idem Cardinalis Corsinius sub nomine *Clementis XII.*

D

Eximius iste Pontifex, & *Pierii* fautor egregius eum in hac Promotione diei 24. Martii anni 1734. inter Cardinales retulit sub Titulo Presbyterali *S. Joannis ante Portam Latinam.* Congregationibus præterea adscriptus fuit Episcoporum, & Regularium, Rituum, Examinis Episcoporum, & Disciplinæ Regularis. Diutino tandem morbo conflictatus, & difficultate spirandi vexatus, obiit Asthmaticus die 27. Junii anni 1743. ætatis suæ 67. Corpus ejus solemni elatum est pompa in Ecclesia S. Marcelli, exequiæque ductæ sunt adstante Sacro Collegio, & ipso Summo Pontifice BENEDICTO XIV. eximia, qua solet, religione. Et in laudem defuncti Cardinalis sequens adjecta est epigraphe à Confratribus sui Ordinis.

E

D. O. M.
FR. PETRO M. PIERIO SENENSI
ORDINIS SERVORVM B. M. VIRGINIS
TIT. S. IOANNIS ANTE PORTAM LATINAM
PRESB. CARDINALI RELIGIONE IN DEVM
IN TRANSFIXAM VIRGINEM PIETATE
MISERICORDIA IN PAVPERES
DOCTRINA PRVDENTIA RERVMQVE
GERENDARVM VSV
MIRIFICE PRÆDITO
ACCEPTISSIMO PROPTEREA
SVMMIS PONTIFICIBVS
CLEMENTI XI. ET BENEDICTO XIII.
AB EISQVE RENVNCIATO
SAC. CONGREGATIONVM
INDICIS SVPREMÆ INQVISITIONIS
AC RITVVM CENSORI ET CONSVLTORI
ATQVE EPISCOPORVM EXAMINATORI
ET SEDIS APOSTOLICÆ
NEGOTIIS GRAVISSIMIS EXPEDIENDIS
IN CONSILIVM ADHIBITO
A CLEMENTE VERO XII.
CVI ANTE PONTIFICATVM
A BIBLIOTHECA
THEOLOGISQVE STVDIIS FVERAT
IN SACRVM COLLEGIVM COOPTATO
ANNO MDCCXXXIV. DIE XXIV. MARTII
EIVSDEM ORDINIS SOCII
AMANTISSIMO QVONDAM FRATRI
VIGILANTISSIMO SEMEL ATQVE ITERVM
VNIVERSÆ FAMILIÆ PATRI
EMINENTISSIMO TANDEM BENEFACTORI
MORTE OBITA
ANNO MDCCXLIII. DIE XXVII IANVARII
ÆTATIS LXVII.
GRATI ANIMI MONVM. POSVERE



X I X.

JACOBUS LANFREDINIUS Florentinus Patriciis ortus Parentibus, nempe *Laurentio Maria*, & *Constantia* filia Senatoris *Jacobi Zati*, in lucem editus est die 26. Octobris anni 1680. Sanè *Lanfrediniam* Familiam etiam quo tempore Florentina stabat Respublica, optimos Cives edidiſſe constat. Quos inter in vita *Laurentii Medices* cognomento *Magnifici*, quæ nuper in lucem prodiit, illo tamen sæculo nitidè graviterque à *Nicolao Valorio* conscripta est (*a*) *Joannem* quemdam *Lanfredinium* reperio Romæ administrum

A ipsius *Laurentii Medices*, qui tunc eamdem Florentinam Rempublicam penè nutu suo moderabatur. Hic autem *Joannes Lanfredinius* in illis Italiæ perturbationibus sapienter egit cum *Innocentio VIII.* Romano Pontifice, atque ipsi præfatum *Laurentium Medicæum* ex inimicitia in gratiam restituit, & inter utrumque de Bello, & de Pace sequester fuit.

Jacobus igitur eminens à natura nactus ingenium, ut primum per ætatem licuit, intentum studio Literarum adjecit animum.
B Philosophiam didicit sub *Carolo Bindio* celebri

Theo-

(*a*) Hæc vita in Bibliotheca Mediceo - Laurentiana adservata prodiit anno 1740. studio Laurentii Mehus. De hoc Joanne Lanfredinio vide ibidem pag. 57.

Theologo; Theologiam vero sub Patre *Andrea à S. Sebastiano* Scholarum Piarum in Universitate Florentina Professore, & postea sui Ordinis Superiore Generali. Omnigenæ vero eruditioni incubuit sub clarissimo Viro *Antonio Maria Salvinio*. Latinas, Græcasque Literas adeo calluit, ut illarum usum numquam deseruerit in toto suæ vitæ cursu, gravibus licet occupationibus impedito, & in Forensibus negociis assiduè peracto. In patriis Literatorum hominum cœtibus publicum sapientiæ suæ non semel experimentum fecit, & nitidos vel latina, vel vernacula lingua sermones recitavit. Hinc ex munificentia *Cosmi III.* Etruriæ Magni Ducis Canonicatum obtinuit Metropolitanæ Florentinæ. Ejus verò præcipua cura in Jurisprudentiæ studio versabatur. Anno 1699. Pisas se contulit, atque in illa Universitate studia, quorum tam firma jecerat fundamenta, cumulatè explevit, absolvit. Celebris *Josephi Averanii* Auditor Legalibus exercitationibus naviter incubuit; ut huic facultati totus se dederet, Canonicatum dimisit, & Romam petiit.

B

Sub egregii nominis Advocato *Pomponio de Vecchis* naviter mentem appulit ad legem in actu, usuque positam. Brevi celeberrimus ipse Advocatus emersit, atque in Foro præcipuas egit controversias. Huic studiorum perpetuæ curæ, ac diligentiæ mores adjecerat intaminatos; eximium Dei amorem, ac proximi, & effusissimam in pauperes liberalitatem. Maximum, quod ex Advocati munere compendium quotannis referebat, omne in pauperes, aliosque pios usus erogabat. Istas vero largitiones clam, & in abscondito faciebat, quandoque etiam interposita quorumdam proborum hominum opera, ne author earumdem haberetur; sed nihil occultum, quod in lucem non prodeat, & certo testimonio patefiat. Tuta fides est, quod una die piæ Missionis domui, quam postea scripsit hæredem, decem millia ducatorum donaverit; nulli indulgebat solatio, vel animi remissioni, sed vitam assiduè ducebat gravem, piam, severam. Ille quidem ore, ac vestitu inelegans, consuetudine rudis, aditu inaccessibilis videbatur; sed qui funditus hominem noverat, modestia, integritate, facundia, scientiarum optimarum peritia, & rerum abditarum memoria singulari pollentem depræhendebat. Quare ejus doctrina certatim omnes utebantur. Plurium Cardinalium Assessor, seu Auditor fuit. Quinimo plurium Summorum Pontificum meruit admirationem. *Cosmus III.* Magnus Etruriæ Dux nihil inexpertum reliquit, ut eum in Patriam revocaret. Primarii sui Auditoris munus ultro illi obtulerat; recusavit tamen *Lanfredinius*, ut Romæ suâ fortunâ uteretur. Ejusdem tamen *Cosmi III.*, & Joannis Gastonis ejus filii Romæ fuit Causarum patronus.

Anno 1721. vacantem Præsulis dignitatem obtinuit, quæ ab Institutore *Amadorio* vulgo *Prælatura Amadoria* nuncupatur. Hæc autem

A

per concursum, ut dicitur, confertur à Sacræ Rotæ Auditoribus. Inter Candidatos *Jacobus* examini se subjecit, suæque doctrinæ periclitationem fecit; sed adeò sapienter, ut & competitores anteiverit, & ipsos quæsitores, qui malè interrogaverant, modestè, argutè tamen corripuerit, & in viam redire coegerit. Præsul renunciatus, Pauperum clientelam non intermisit, utpotè quia earumdem Causarum Patrocinium adnexum erat Præsulis dignitati, quam obtinuerat.

Brevi inter Præsules, qui in Congregatione Boni Regiminis suffragium ferunt, adscribitur. Assessor, seu Auditor deindè Cardinalis Quæsitoris seu Camerarii S. R. E. dictus est, & inter Præsules Congregationis Consistorialis admissus. In maximis Sanctæ Sedis negociis, atque in Fidei controversiis adhibitus fuit à tribus Summis Pontificibus *Innocentio XIII.*, *Benedicto XIII.*, *& Clemente XII.*, & scripto, ut plurimum suam sententiam proferebat, ejus tamen suppresso nomine, nec per modestiam sinebat, ut ejus licet doctissimæ consultationes in vulgus ederentur. Ejus tamen acutissima in Jure responsa studio prẹsertim collecta sunt eximii Præsulis *Josephi Feronii* Archiepiscopi Damasceni, & quod ea propè diem in lucem proferat sperandum est. Duæ ejus elegantissimæ Orationes, quas ad Sacrum Collegium habuit, Typis datæ sunt. Altera anno 1724. in funere *Innocentii XIII.*, altera vero anno 1730. pro novo eligendo Pontifice.

C

Anno 1728. Canonista electus est Sacræ Pœnitentiariæ, deindè ejusdem Tribunalis Datarius, & unus ex *XII. Viris*, qui in Signatura Gratiæ suffragium ferunt. Anno 1730. à *Clemente XII.* Canonicus Vaticanæ Basilicæ, & anno 1731. Secretarius Sacræ Congregationis Concilii renunciatur. Quo in munere novam fieri curavit impressionem Canonum, & Decretorum Sacri Concilii Tridentini castigatissimam, & cæteris anteactis præstantiorem, cum Patrum subscriptionibus antea ineditis. Hæc autem prodiit Romæ anno 1732. Adjecit ipse doctissimam Lectori præfationem; adjecit & notas, breves quidem, sed eruditissimas ad oras libri appositas. Et licet hujus eximii laboris lateat author, quia ipse, ut in more habuit, suum nomen reticuit; ipse tamen Auctor fuit, ut ego harum rerum Scriptor, testimonium perhibeo ex indubia instructus scientia, & Testis de visu (contubernalis enim eram cum eo, & ex munificentia Magni Ducis Etruriæ in eodem Palatio Medicæo morabamur).

D

E

Anno demum 1734. die 24 Martii ab eodem *Clemente XII.* inter Cardinales refertur, & Diaconia illi commendatur *S. Mariæ in Porticu*. Congregationibus præterea illum adjecit Sac. Congregationis Concilii, Immunitatis, Consistorialis, & Fabricæ Divi Petri.

F

Eodem anno vacanti Auximano Episcopatui admotus est, in cujus Ecclesiæ, & Diœcesis sedula administratione maximè emicuit. Ni-

A miæ tamen ſeveritatis nota traductus plures paſſus eſt querimonias, & nænias inobſequentium, qui ad Sacras Urbis Congregationes provocabant. Spectata tamen tanti Antiſtitis juſtitia, atque incorrupta Religio magis enituit. Quotannis Diœceſim luſtravit. Quinquies Synodum Diœceſanam coegit, & publici Juris fecit. Homiliæ, quas ad populum habuit, & Epiſtolæ Paſtorales Typis Æſii datæ ſunt; iterum Anconæ; & earum quampluri-mas caſtigatiſſimas, & ſaluberrimas pro Inſtructione ſuæ Diœceſis *Franciſcus Incontrius* B Florentiæ Archiepiſcopus vigilantiſſimus iterum evulgavit. Cæterum mirifica ſunt, quæ in Gregem ſibi creditum diffudit pietatis exempla. Sępè ad Populum conciones habebat pias, & graviſſimas. Crimina in vulgus gliſcentia, & diffluentium morum abuſus per eximiam humilitatem ſibi uni referebat Auctori. Peccata ſua palam confitebatur, & ut ſibi ignoſceret, Populum demiſsè efflagitabat. Sacrum Euchariſticum cibum ipſe deferebat ad infirmos, & morientes piiſsimis juvabat offi- C ciis. Egeſtate laborantibus liberali manu, & effuſiſſimè opitulabatur. Hæc fuit perpetua ejus vitæ ratio.

Virum numeris omnibus abſolutum Benedictus XIV. feliciter Regnans amore, atque exiſtimatione ſingulari proſequutus eſt. Eum Romam evocavit, & Sacræ Congregationis Immunitatis Præfectum eſſe juſsit; præterea Viſitatorem Generalem Noſocomii Sancti Spiritus in Saxia, & Viſitatorem Fabricæ S. Petri. Demum tantis feſſus laboribus, tenaci D paucorum dierum morbo correptus obiit die 16. Maii 1741. in ætate annorum 60. menſ. 6., & dier. 21. Ægrotantem adire voluit ipſe Summus Pontifex, ſed in agone poſitum, animamque agentem alloqui non potuit. Adſtitit tamen funeri, atque ipſe cum Sacro Collegio in Eccleſia *S. Joannis, & Pauli*, ubi mortui cadaver, ut Teſtamento caverat, illatum fuerat, juſta exequialia perſolvit. Sub veſperum vero idem cadaver ad Eccleſiam translatum Sacerdotum Miſſionariorum, ibidem ſepultum eſt. Eoſdem Sacerdotes, quos vivens maximis cumulaverat largitionibus, hæredes ex Aſſe inſtituit. Ipſe prænobilis Familiæ ſuæ ultimus fuit ſuperſtes maſculus. *Mariæ* Octaviæ ejus Sorori, quæ in Domo *Corboli* nupta erat, ſolum uſumfructum legavit illorum bonorum, quæ in Agro Florentino poſſidebat, eamque gravavit, ut poſt ejus mortem hæreditatem reſtitueret Sacerdotibus Miſſionariis Florentiæ exiſtentibus.

Qui vivens laudibus frequentiſſimis celebratus fuerat, laudatus etiam fuit in funere à *Jacobo Mar. Judicio* Canonico Auximano eleganti Oratione. Romæ vero in Eccleſia eorumdem Sacerdotum à Miſsionibus, ſupra Portam majorem à parte interiori, ejus ſtemma gentilitium erectum eſt, ubi hæc inciſa legitur Inſcriptio.

IACOBO S. MARIÆ IN PORTICV
DIACONO CARDINALI LANFREDINIO
QVOD
ÆDIBVS IAMPRIDEM AMPLIFICATIS
TEMPLVM A FVNDAMENTIS EXTRVXERIT
POSTREMO HANC MISSIONIS DOMVM
HÆREDEM SCRIPSERIT
CONGREGATIO
TOT BENEFICIIS CVMVLATA
P. C. A. S. MDCCXLI.

Vitam hujus Cardinalis diligentiſsimè ſcripſerunt egregii Viri *Joannes Lamius*, & hæc Typis data eſt, & *Salvinus Salvinius* Canonicus Metropolitanæ Florentinæ; ſed hæc nondum prodiit.

Octava Cardinalium nuncupatio habita


A

CLEMENTE XII.

Die 17. Januarii anni 1735.

Unum exhibet Cardinalem, qui ſequitur.

Jo-



Ioseph Spinelli, Neapolitanus, electus Archiepiscopalis Ecclesiæ Neapolitanæ, Sac. Cong. Episcoporum, et Regularium Secretarius S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo. D. N. CLEMENTE XII. in Consistorio secreto die 17. Ianuarij 1735.

X X.

JOSEPH SPINELLI Neapolitanus die natus eſt 1. Februarii anni 1694. Parentes habuit præſtantes, ac Patricios, ſcilicet *Jo. Baptiſtam* Marchionem *Fuſcaldi*, Principem *S. Arcangeli*, Ducem *Caivani* & Sancti *Marci*, & Dominum Civitatis *Paulæ*; Matrem vero Mariam *Imperiali* ex Principibus *Francavillæ*. Sub eorumdem diſciplina Chriſtianæ pietatis, & literarum prima jecit fundamenta. Tredecim annos natus Romam traducitur, & die 26. Aprilis 1708. in Seminario Romano Patribus Societatis Jeſu inſtituendus traditur. Emenſo ibi Rethoricæ, Philoſophiæ, & Theologiæ curriculo, plena demum pubertate è

A Seminario educitur; tunc ductui, & diſciplinæ adhærens *Joſephi Renati* Cardinalis Imperialis, adeo impenſam ſacris ſtudiis quadriennio navavit operam, ut quidquid ex Dogmatica Theologia, quidquid ex Sacra Hiſtoria utilius addiſci poteſt, feliciter pervaſerit.

Jam ut Dei ſervitio propius vacaret, & infixam animo Religionem percoleret, Eccleſiaſticum amplexus erat inſtitutum; jam Apoſtolici Cubiculi honore à *Clemente XI.* auctus fuerat. Sed dum in ſtudio literarum actuoſam

B prorſus degit vitam, in adverſam incidit valetudinem. Medicorum conſilio peregre abire impellitur. Occaſionem nactus eſt an. 1719.,

quum

quum ab eodem Summo Pontifice Viennam in Auſtria allegatur, ut *Georgio Spinulæ* Nuncio apud Cæſarem Apoſtolico, & nuper Sacra Purpura decorato, Pileolum deferret Cardinalatus inſigne. Poſtquam rem ſibi commiſſam ritè curaverat, cultiores inde Germaniæ Civitates luſtravit, mox Hollandiam, ac poſtremo Galliam peragravit. Ubique mores alienigenarum gentium inveſtigavit, ubique viris eruditione præſtantibus familiariter uſus eſt.

Exeunte anno 1720. eum Lutetiæ Pariſiorum agentem *Clemens XI.* Flandriæ Internuncium renunciavit, at quum mors ſupervenisſet Pontificis, nonniſi poſtquam electus fuerat *Innocentius XIII.*, Magiſtratum inire potuit. Quinquennio Apoſtolici miniſterii laudabiliter exacto anno 1725., quum Belgii Gubernatrix advenerit Sereniſſima *Maria Eliſabeth Caroli VI.* Cæſaris germana Soror, ipſe Nuncii Apoſtolici Dignitate, & Titulo Archiepiſcopi Corinthii decoratur. Eodem anno a *Thoma* Cardinali de Alſatia ritu ſolemni eſt conſecratus.

Catholicæ Religioni pluribus profuit nominibus. Miſſiones Apoſtolicæ in Fæderato Belgio, & in Diæceſi Boſchoducenſi, legitimis ſuperioribus deſtitutæ, ſumma ope impetravit, ut binis Vicariis Apoſtolicis regerentur. Et ſtatus Generales qui pertinaci nimium, atque obfirmato animo eoſdem Vicarios excipere recuſabant, adeo mollivit, ac flexit, ut in iiſdem Provinciis prædicti bini Apoſtolici Adminiſtri ſacro Miniſterio pacificè fungi poſſent.

Quinimo, ut pravæ doctrinæ, & nequitiæ ſemina penitus evellerentur, evicit, ut *Bernardus Zeperus Van-Eſpen* Janſeniana labe infectus, & fautor Cornelii *Stehenovii* temere, atque improbante Sede Apoſtolica, ad Archiepiſcopatum Trajecti ad Rhenum aſſumpti, Decreto Univerſitatis Lovanienſis ejiceretur.

Similique edicto, quod poſtmodum Sereniſſima Gubernatrix, & *Benedictus XIII.* ratum habuere, cautum fuit, nemini ad docendum in eo Gymnaſio, nemini ad Eccleſiaſtica Beneficia obtinenda aditum patere poſſe, niſi prius Sacramento obſtrictus Formularium *Alexandri VII.* juraſſet, & Conſtitutionem *Unigenitus* publicè amplexus eſſet.

His aliiſque pro Dei gloria ſtrenue geſtis, anno 1731. à *Clemente XII.* Romam revocatur, & à Secretis dicitur Congregationis Epiſcoporum, & Regularium. Eorumdem præterea Epiſcoporum Examinator renunciatur. Anno vero 1734. mortuo Cardinali *Franciſco Pignattello*, in Archiepiſcopatu Neapolitano ſufficitur. Demum hac die 17. Januarii an. 1735. inter Purpuratos Patres refertur. Titulo præterea decoratur Presbyterali *S. Pudentianæ*, & Congregationibus adjicitur Immunitatis Eccleſiaſticæ, Concilii Tridentini, Epiſcoporum, & Regularium, Propagandæ Fidei, & Indicis Librorum prohibitorum.

Ut in Cathedræ ſuæ poſſeſſionem advenit, ſtatim Paſtoralibus officiis vacare, & ſpirituali Diæcæſeos regimini manus admovere cœpit. At biennio vix elapſo ob varia inter Pontificem, Regemque Hiſpanum oborta diſſidia *Spinellius* Romam revocatur. Conquerebatur Romana Plebs, quod auderent Hiſpani variis in locis Urbis milites conſcribere. Populus hinc excitatus, non clamoribus modo, ſed etiam ſeceſſione, occultiſque colloquiis minitabatur. Furere in Hiſpanos, & tumultuari auſus eſt. Eademque prorſus licentia in oppidis Urbi finitimis idem populus ferebatur. Cardinalis *Trojanus Aquaviva* Regius in Urbe *Philippi V.* adminiſter, poſtquam diu de illata Catholico Regi injuria ſatisfieri poſtulaſſet, tandem anno 1736. ex Urbe exceſſit. Secum Hiſpani, & Neapolitani quotquot in Urbe erant, abjerunt. Quare aperta emerſit diſſenſio. Huic etiam ſuperacceſſit nova ab Hiſpanis, & Neapolitanis circa Immunitatem Eccleſiæ, & circa Beneficiorum collationem excitata querela.

Ut res nimium perturbatæ ad concordiam perducerentur, *Spinellius* utrimque acceptus Procurationem à Pontifice habuerat de univerſo negocio cum Cardinali *Aquaviva*, & cum Regiis adminiſtris tranſigendi. Ejus conſilio, & prudentia non parum profecerat; jam Neapolitani Regis flexerat animum, & conſilia pacis injecerat. Quare ut initia auſpicatæ concordiæ feliciter abſolveret, *Spinellius* Romam accerſitur. Brevi Cardinalis *Aquaviva* Romam rediit, & quotquot ex Urbe aberant Hiſpani, & Neapolitani redierunt. Quod reliquum erat contentionis *Spinellio*, & quatuor aliis prudentia, & doctrina præditis Cardinalibus diſceptandum traditur. Cuncta proſpere evenerunt. Initiſque aliquibus pactionibus ſcripto firmatis, atque in Tractatus, & Concordiæ formam redactis, exitus optatæ pacis affulſit.

Anno 1740. poſt mortem *Clementis XII.* Vaticana celebravit Comitia; electo vero Benedicto XIV. Neapolim remeavit. Tunc animo prorſus ſoluto Eccleſiæ, & Gregis ſibi commiſſi utilitatibus incubuit. Tabularium Archiepiſcopalis Curiæ, quod uſque adhuc vel pene diſſipatum, vel acervatim congeſtum jacebat, in ordinem redegit; pluteiſque ritè adjectis diſpoſuit. Pro cauſarum vero directione, earumque deciſione ſaluberrimas leges evulgavit. Et quum pro immenſitate cauſarum unus non ſufficeret Vicarius Generalis binos Judices adjecit, quos *Locumtenentes* dixit, iiſque de ſuo decentem annuam mercedem attribuit. Sportulas propterea ad modicam ſummam redegit, omneſque prorſus abuſus incuria temporum irreptos abolevit.

In Viſitatione ſuæ Diæceſeos mira ſunt, quæ præſtitit, & præſtat adhuc, ut Chriſtia-

næ

næ pietatis incremento, & sui Gregis utilitati consulat. Ad loca, in quibus Sacra Visitatio habenda est, impigros præmittit Verbi Dei Præcones *Missionarios* dictos, eosque alit ære suo. Inde ipse adveniens, atque suo sumptu sibi, suisque asseclis victum præbens, in mores, & doctrinam Clericorum, præsertim vero Sacerdotum, sedulo inquirit. Plura pro eorumdem instructione saluberrima evulgavit edicta. Nonnullas in Diæcesi pias domos aperuit, ibique lectas, probatasque mulieres transtulit, quæ puellas lanificio erudiant, eas vero præsertim fidei rudimenta edoceant. Similes pias ædes puellis, quibus imminet pudicitiæ periculum, assignavit. Pium hoc institutum tam prospere provexit, ut tercentum, & quinquaginta puellæ quotannis ibidem alantur. Mulieribus item lapsis, & ad pænitentiam traductis discretus locus datus est.

Nec minora in Urbe Neapolitana intulit Religioni compendia. Apud Patres *Sancti Philippi Nerii* Academiam instituit, in qua statis diebus de rebus Liturgicis, de Ecclesiastica Historia, & de dogmatica Theologia luculenter differitur. Quum satis amplum propè Cathedralem Ecclesiam extet Seminarium, aliud in Urbe pro Clericis Vicariis erectum voluit, eorumque numerus jam ad centesimum usque excrevit. Idque Seminarium *Diœcesanum* dixit, ut ab altero distingueretur, quod *Urbanum* nuncupatur. Et quasi hæc parva essent pro Cleri immensitate, sex Præceptores in suomet Archiepiscopali Palatio conduxit, idoneisque redditibus de suo providit, ut publice ab iis, & quotidie moralis, & Dogmatica Theologia, & Sacri Canones, item & Civilis Jurisprudentia, aliæque graviores disciplinæ omnibus universæ suæ Diæceseos Clericis traderentur.

Palatium Archiepiscopale multipliciter auxit, ornavit. Villam Suburbanam magnificè extruxit, sibi suisque in Cathedra Neapolitana successoribus ad vires à laboribus fractas reparandas, levandasque animi curas satis idoneam. Sacrarium Cathedralis Ecclesiæ multa illata pretiosa supellectile ditavit, & auxit.

Hoc tamen illi factum præcæteris memorabile existit quod eamdem Cathedralem Basilicam pluribus in locis antiquitate fatiscentem & exeunte antecessoris Cardinalis *Pignattelli* Pontificatu, diro terremotu concussam, vix reparari incœptam, ipse nedum instauravit, sed elegantiori adjecta structura, dataque forma nitidiori perfecerit. Chorum jam in media Ecclesiæ navi situm in imum tribunal transtulit, nitidisque marmoribus ornavit. Ejusque Tribunalis Apsidem auro, & egregiis picturis decoravit. Ipso in imo conspectu simulacrum positum est Mariæ Virginis in Cœlum Assumptæ (cui idem Templum dicatum est), illud quidem marmoreum, & Colosseum; Huic vero simulacro Altare majus subjacet similibus marmoribus auratisque metallis nitidissime extructum; atque universæ Ecclesiæ, & Presbyterii faciem digniorem, usum vero commodiorem effecit.

Tantam vigilantissimi Pastoris pietatem, & curam rependit Deus. Occasione namque hujusce magnifici ædificii Divina Providentia effecit, ut Episcoporum Neapolitanæ Urbis sanctitate præstantium, è terræ visceribus felix memoria erueretur. Eorumdem porro Sanctorum Neapolitanorum Antistitum notitia fere interierat, & cultus iisdem sanctis debitus injuria temporum, aut obliteratus, aut prætermissus extiterat. Duo feliciter reperta prægrandia saxa, quæ vetus exhibent Ecclesiæ Neapolitanæ Kalendarium nono æræ Christianæ sæculo incisum, notitiam quoque horum Sanctorum Præsulum exhibuerunt. Duas hasce Tabulas, quarum unaquæque Fastorum Neapolitanæ Ecclesiæ notitiam ad sex menses producit, parietibus sui domestici Sacelli Cardinalis *Spinellus* affigi fecit. Eas vero clarissimo viro Canonico *Alexio Mazochio* illustrandas obtulit. Atque ex iisdem Tabulis planè edoctus fuit, plures esse Neapolitanos Antistites Cælitum honoribus consecratos, quorum tamen memoria, & cultus interciderat. Itaque Catalogum fixit, in quo septem supra viginti sanctitate perspicui, duo vero Beati, Neapolitani Episcopi adnumerantur, quibus si addatur Venerabilis Cardinalis de Arretio, quem spes est inter sanctos propediem relatum iri, triginta Sancti Neapolitanæ Urbis Episcopi in totum recensentur. Iis profecto posthabitum antea cultum restituit, eorumque imagines marmoreas in ipsa Cathedrali Pilis affixas, atque in orbem dispositas, populo venerandas exhibuit.

Hæc pluraque alia, quæ nos brevitati studentes in acervum contraximus, protulit, atque in dies, qua pollet pietate, profert Cardinalis *Spinellius*. Digna profecto, ut postquam ad majus Religionis incrementum longævam exegerit ætatem, fusius, ac nitidius fere posteritati referantur.

No-

Nona Cardinalium renunciatio facta fuit

A

CLEMENTE XII.

Die 19. Decembris anni 1732.

Et in ea unus evulgatus fuit Cardinalis, qui sequitur.





Sereniſsimus Ludovicus Regius Hispaniarum Infans creatus S.R.E. Diaconus Cardinalis à SSmo. D.N. CLEMENTE PAPA XII. in Consistorio secreto die 19. Decembris 1735.

F. Dam. Carpentiers Bruxellen ed S. Bened. pinx — *Nicolaus Billy del. et sculp*

Laurentius Philipp de Rubeis Calcographus Vatican. Filius q. Dominici Hæredis Io. Iacobi form. Rª ad T. S. M. de Pace cũ Pr. S. P.

XXI.

LUDOVICUS Regius Hiſpaniarum Infans die naſcitur 25. Julii anni 1727. ex *Philippo V.* Catholico, & invicto Rege, & ex *Eliſabetha Farneſia* Hiſpaniarum Regina. Dum ejus germani Fratres ad nova fundanda Imperia vocabantur, *Carolumque* videt in utriuſque Siciliæ Regno locatum, & Philippum fratrem alterum ad poſſeſſionem avitæ Parmenſis Ditionis accitum; ipſe ingenito Religionis inſtinctu, & Regia parentum pietate exſtimulatus ad arripiendum Eccleſiæ inſtitutum ſe comparat. Propterea *Philippus V.*, ut Regio Infanti vacans Toletanus Archiepiſcopatus concederetur, Pontificem enixè rogavit.

A *Clemens* vero, cui ardua, ſacriſque Canonibus adverſa videbatur petitio, quod octenni Adoleſcenti, & ad ſtatum eligendum non ſatis idoneo, tam vaſtæ Diœceſeos regimen, & gubernium traderetur, mutata dumtaxat petitionis forma, Regis voluntati, ut cupiebat, indulſit. Sereniſſimus nempè Infans adminiſtrator dictus eſt, & Commendatarius ad tempus, uſquedum legitimam aſſequeretur ætatem Tituli Archiepiſcopalis. Viro interea eximio *Bernardo Froilano de Saavedra* Archiepiſcopo Lariſſæo renunciato, B Archiepiſcopalis adminiſtratio data eſt, ne quid ſpiritualis Juriſdictio detrimenti acciperet. Similique pro-

videntia à BENEDICTO XIV. vacantis etiam Hyspalensis. Archiepiscopatus illi est administratio commendata.

Ad ornamentum præterea Apostolici Senatus ipse Regius Infans Roma plaudente hac celebri die 19. Decembris anni 1735. inter Cardinales relatus est. Diaconia *S. Mariæ de Scala* illi est attributa. *Joannes Constantinus Caraccioli* ex Principibus de *Santobono*, qui A Apostolici Cubiculi honore fruebatur, Pileolum illi detulit, & Præsul *Aloysius Altovitus* secretus Papæ Cubicularius, ipsiusque Papæ Neptis germanus Frater, rubrum illi detulit Pileum Cardinalatus insigne. Atque ita sub tanto Principe ad maximas Ecclesiæ dignitates assumpto, eadem Ecclesia grande sibi præsidium pollicetur.

Decima Cardinalium Promotio facta
A
CLEMENTE XII.


Die 20. Decembris anni 1737.

Septem exhibet Cardinales, qui sunt.

Thomas de Almeyda. Lusitanus.
Henricus Osuvaldus à Turre ab Arvernia. Gallus.
Joseph Dominicus Lamberg. Germanus.
Frater Gaspar de Molina. Hispanus.
Jo. Alexander Lipski. Polonus.
Rainerius de Ilcio. Senensis.
Carolus Rezzonicus. Venetus.



THO-




XXII.

THOMAS DE ALMEYDA Lusitanus die natus est 11. Septembris anni 1670. *Patrem* habuit *Antonium de Almeyda* ex Comitibus *de Avintes* in Regno Portugalliæ Magnatibus; Matrem vero *Mariam de Borbon* Comitis *ab Arcu* filiam. Vix pueritiam egressus inter Regios S.Pauli Conimbricensis Collegii Alumnos liberalibus disciplinis, bonisque moribus institutus, in primo juventutis flore Doctorali Laurea meruit insigniri. Vir quippe ex tunc talis futurus apparuit, qualem ad res maxi- A mas benè gerendas adhuc eum tota Lusitania admiratur. Ipse enim quotquot in florentissimis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis præclara munera obeunda occurrunt, nullum ferè est ad commune bonum respiciens, quo egregiè functus non sit, vel adhuc optimè non fungatur. Eum quippe Regia Curia, acceptarum injuriarum Tribunal, eum supplicum Libellorum Aula spectabilem vidit Senatorem. In Ecclesia S. Laurentii Prior extitit vigilantissimus. In S. Officii, Conscientiæ, ac Milita- B rium

rium Ordinum curiis, rerum gerendarum expeditionem mira prudentia gessit. Regii ærarii Procurator, totius Regni Proto-Cancellarius, ac Sanctioris Consilii ad majora expedienda negocia constituti, moderator simul, ac Præfectus fuit. Ad Episcopatum Lamacensem anno 1707. admotus, & biennio post ad Portuensem Ecclesiam regendam vocatus, eamdem Urbem Ecclesiastico, ac militari regimine prudentissimè curavit. Demum anno 1716. ad Patriarchalem Ulyssiponensem Ecclesiam, A atque ad Proto-Cappellani dignitatem evectus est.

Virum hunc tantis mirificè functum muneribus, tantisque meritis commendatum ad preces ejusdem Regis in S. R. E. Cardinalium coetum *Clemens XII.* invexit hac die 20. Decembris anni 1737. Romam nondum advenit, maximosque Magistratus sibi creditos adhuc in Patria mirificè sustinet.



HEN-



Henricus Osuvaldus a Turre ab Aruernia Bullionius Gallus, Archiepiscopus Viennen. in Delphinatu, S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo D. N. CLEMENTE XII in Consistorio secreto die 20 Decembris 1737. Obiit die 23 Aprilis 1747.

Hieronymus Rossi sculp.

Romæ ex Calcographia jam de Rubeis, nunc R. C. A. apud Pedem Marmoreum

XXIII.

A HENRICUS OSUVALDUS A TURRE AB ARVERNIA BULLIONIUS Gallus, ex vetustissima, atque omni ævo clara, & potentissima Familia die natus est 4. Novembris anni 1672. Patrem habuit *Fridericum Mauritium à Turre* hujus nominis secundum, Ducem Bullionæum, Comitem de *Arvernia*, in Exercitibus Regiis Locumtenentem Generalem, & pro eodem Rege apud Lemovices Gubernatorem. Matrem vero *Henricam Franciscam de Zollern* filiam unicam *Friderici* Principis de *Hohenzollern*, & *Elisabeth* Marchionissæ de *Berg-op-zoon*.

Optimis puer datus est præceptoribus instituendus, atque in Universitate Parisiensi die 11. Maii anni 1695. in Theologica facultate Doctoratus insignibus ornatus est. Binis jam Sacerdotiis Regis munificentia ditatus; Abbas nempè Cluniacensis *S. Salvatoris de Rothono*, & Conchensis in Normannia fuerat renunciatus. *Emmanueli Theodosio* Cardinali Bullionæo ejus Patruo datus etiam fuerat Coadjutor in Abbatia Cluniacensi totius Ordinis Matre, & Magistra; hanc nonnisi post ipsius Patruì obitum possedit in Titulum anno 1715.

B Vicarius Generalis primum Arnaldi de *Montmorin* Archiepiscopi Viennensis in Delphinatu, indè Canonicus Ecclesiæ Argento-


ratensis, atque anno 1692. Præpositus ejusdem Ecclesiæ electus fuit. Canonicatum etiam obtinuit in Ecclesia Leodiensi. Novembri mense anni 1719. Archiepiscopus Turonensis, a dictus fuit; sed antequam Bullas Apostolicas hujus Ecclesiæ obtinuisset, Januario mense anni 1721. ad Archiepiscopatum Viennensem translatus fuit. Anno 1723. tamquam suæ Provinciæ deputatus, Comitia celebravit Cleri Gallicani Lutetiæ Parisiorum congregati. Iisdemque Comitiis tamquam unus ex Præsidentibus interfuit anno 1734.

a Tours.

Anno 1733. S. Spiritus Commendatarius renunciatur. Demum in hac solemni Cardinalium enunciatione ad Christianissimi Regis nominationem inter Cardinales refertur die 20. Decembris anni 1737.

Mortuo *Clemente XII.* ad Vaticana properavit Comitia. Demum electo BENEDICTO XIV. Rubro Galero, & Titulo Presbyterali *Sancti Calisti* fuit ab eo decoratus. Congregationibus etiam adjectus fuit Episcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Disciplinæ Regularium, & Sacrorum Rituum. Inde in Galliam redux assiduum, ut solebat, Ecclesiæ, & Regi exhibuit Ministerium, usque ad annum 1747., quo obiit Parisiis die 23. Aprilis.





XXIV.

JOSEPH DOMINICUS LAMBERG Germanus die natus eſt 8. Julii anni 1680. propè *Styram* in quodam ſuæ prænobilis Familiæ Feudo in Auſtria ſuperiori. Parentes habuit clariſſimos, nempè *Franciſcum*, qui in Aula Cæſaris per varios honorum gradus ad ſupremam ipſius Auſtriæ ſuperioris Præfecturam evectus fuit, & *Annam Mariam* Comitiſſam de *Trautmanſdorff*. Lincii ſuperioris Auſtriæ Metropoli in Gymnaſio Patrum Societatis Jeſu prima pietatis, & Literarum poſuit rudimenta. Germaniam indè, & Galliam peragravit. *Veſontione* Burgundiæ Metropoli benè cœptum ſtudiorum curriculum ſtrenuè proſe- A quutus eſt. Mox luſtrata Italia, Senis in Etruria aliquandiu conſedit. Romam demum pervenit annum agens decimumquartum, atque anno 1694. in Collegio Clementino à Clericis Regularibus Congregationis de Somaſcha exceptus eſt. Sub eorumdem diſciplina Theologiæ naviter incubuit.

Poſtquam ex ephebis exceſſerat è Collegio Clementino eductus eſt, atque ineunte *Clementis XI.* Pontificatu inter Papæ Præſules domeſticos eſt cooptatus, & referendis in Si- B gnatura Gratiæ, & Juſtitiæ libellis adſcriptus eſt; ſed à *Joanne Philippo* Cardinali *de Lamberg* ejus Patruo, & Epiſcopo Paſſavienſi in

Germaniam revocatus, anno 1703. Passaviẹ Canonicus renunciatur. Anno 1704. Sacerdotali Caractere insignitur. Postquam Comes *Franciscus de Harrach* ex officio Præpositi Passaviensis in Coadjutorem Archiepiscopi Salisburgensis assumptus fuit, tunc ea dignitas die 19. Octobris anni 1705. ad *Josephum Dominicum* est delata, & Passaviæ Præpositus dictus est. Mox Salisburgensis Canonicus renunciatur. Demum Seccoviensi Ecclesiẹ anno 1712. Episcopus datus est.

A

Decem, & ultra annis Pastorali vigilantia peramplæ illius Diœceseos spirituali incremento incubuit. Donec è vivis erepto *Raymundo Rabatta*, qui Cardinali *Joanni Philippo de Lamberg* ejus Patruo successerat in Cathedra Passaviensi; ipse illi sufficitur die 2. Januarii anni 1723., & Passaviæ Episcopus, & Princeps inauguratur. Plurima in Gregem suum saluberrima evulgavit edicta. Sublata præsertim Sacerdotiorum pluralitate, cavit, ut singuli singulis contenti degerent. Eos vero Sacerdotes, quos animarum Curæ duxit præponendos, nedum severo examini subjecit, sed

B

morum integritate, & apprimè in scientiis excultos voluit. Amplissimam Diœcesim perlustravit non obiter, aut per compendia, sed morosè, & sæpe cœlo incommodo.


Carolus VI. Cæsar, qui viri integritatem, pietatemque suspiciebat, Summum Pontificem urgere non destitit, ut eum Sacra Purpura decoraret. Præstitit id *Clemens* prorsus libenti animo; atque hac solemni die 20. Decembris anni 1737. in Sacrum Cardinalium cœtum illum invexit.

Joseph Dominicus nonnisi Romam advenit, quam mortuo eodem Pontifice *Clemente XII.* Vaticana celebravit Comitia pro electione Benedicti XIV. A quo vix ad Apostolatum assumpto Titulo Presbyterali donatus fuit *S. Petri in Monte Aureo*. Præterea Congregationibus adjectus fuit Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, Sacrorum Rituum, & Propagandæ Fidei.

Româ subinde ad Ecclesiam Passaviensem suam restitutus, vivit adhuc, ac pari semper vigilantia studet fovendæ Religioni, Cultuique Divino amplificando.



FRA-



X X V.

FRATER GASPAR DE MOLINA ET OVIEDO Hispanus in Civitate *Emeritæ Augustæ*, quæ *Merida* hodiè dicitur in Extremadura, natalia sortitus est die 6. Januarii anni 1679. nonnisi tamen quam die 28. ejusdem mensis, & anni sacris lustralibus aquis ablutus fuit. Filius fuit alterius *Gasparis de Molina*, qui in ipsa *Meridæ* Civitate fuit Rector perpetuus, & *Mariæ de Oviedo*. Vividum à pueritia ingenium, & ad discendum singularem alacritatem exhibuit. Pietatis tamen instinctu quatuordecim annos natus obsistentibus, atque invitis ejus Parentibus, Ordini Eremitarum Sancti Augustini nomen dedit. In Civitate Bada- A jochii [a] in eamdem familiam receptus fuit, habitumque Eremiticum suscepit die 14. Augusti anni 1694. Expleto probationis anno votis illius Ordinis anno 1695. se obstrinxit. Hispalim deindè traductus est, ut in magno illorum Confratrum Cœnobio Philosophiæ, & Theologiæ propius incumberet. Mox ipse ad docendum assumptus, in eadem Philosophica facultate triennio non parum præstitit, alioque triennio Theologiam docuit frequentissimos Auditores.

B Ab Hispalensi Cœnobio, Gades [b] advocatur, & Rector studiorum dicitur. Sexennio iisdem Confratribus Præses fuit, quem nostri usi-

[a] Badajoz.
[b] Cadice.

usitato vocabulo, *Priorem* dicunt. Suffragator indè, seu vulgari nomine *Definitor* ad Comitia habenda generalia constituitur. Hac de causa Romam venit. Tunc universæ ejus Provinciæ Præses renunciatur.

In Hispaniam rediens, munerique suo strenuè incumbens, gratiam quoque apud Regem Catholicum nactus est singularem. De rebus quippe Romanæ Curiæ apprimè instructus, si quæ inter Sacerdotium, & Regnum oriebantur dissidia, ipse Regis Consiliarius assurgebat, & Regalistarum opinionibus quam maximè favebat. His fretus auxiliis, *Assistens* Generalis totius Hispanicæ Monarchiæ, atque Indiarum conclamatur: Ut amplissimum hunc obiret Magistratum, Romam reversus est. *Benedicti XIII.* Romani Pontificis gratiam pariter iniit. Pro habendo Romano Lateranensi Concilio Papæ Theologus assumitur.

Die 24. Februarii anni 1733. ad Regis nominationem *Cubæ* in America Septentrionali Episcopus consecratur. Triduo postquam inunctus fuerat, ad ejusdem Regis nominationem vacanti Episcopatui Barchinonensi admovetur. Ecclesias tamen sibi commissas neutrubi invisit. Quia eodem anno die 19. Septembris Commissarius Generalis à Rege dicitur pii, ac celebris Instituti = *La Crociata* = nuncupati. Iterumque eodem anno Gubernator, seu Præses renunciatus est supremi, ac Regii Consilii Castellæ. Demum sequenti anno 1734. die 7. Januarii novis Regiæ Beneficentiæ argumentis cumulatus, retentis Commissarii Generalis *Cruciatæ*, & Præsidis Castellæ muneribus, Episcopus Malacensis inauguratur. Quare politicis distentus officiis, nec etiam postremam hanc Ecclesiam suam potuit invisere. In illam tamen liberalitatem suam multipliciter ostendit, atque egenis munificè opitulatus est. Tandem rogante eodem Rege ad Sacram Purpuram evectus est. Initio recusabat Pontifex votis obsequi *Philippi V.* Virum enim putabat alienum, ac quasi infensum Pontificiæ authoritati. Vicit tamen enixa Regis voluntas; atque hac die 20. Decembris anni 1737. Cardinalis est renunciatus.

Tunc ille Jura S. Sedis minùs asperè visus est administrare; & nonnulla in Hispaniis cum Apostolicis Administris suborta dissidia diremit. In amplissimis, quæ gessit, muneribus Justitiæ assertor, & propositi tenax fuit; cæterum nimis fortasse vehemens dum decernebat, & quæ decreverat, extemplo exequebatur.

Lectissimam Bibliothecam comparavit, quam priusquam naturæ concederet, Cœnobio reliquit Patrum Augustinianorum Civitatis Hispalensis, ubi nunc adservatur. Cardinalis effectus, Romam numquam advenit. Obiit Matriti repentina morte die 30. Augusti anni 1744., ætatis vero suæ sexagesimo quinto. Corpus ejus humatum fuit in Regia Ecclesia sui Ordinis Augustiniani *S. Philippi* nuncupata, juxta Aram maximam.





XXVI.

JOANNES ALEXANDER LIPSKI Polonus die natus est 15. Junii anni 1690. Binæ apud Sarmatas extant *Lipskiorum* Familiæ; utraque eximia nobilitate pollet; nulla tamen vicissim affinitate jungitur. Ea, ex qua Joannes Alexander descendit, *Grabiorum* antea vocabatur à verbo *Grabie*, quod latinè *Rastrum* dicitur, idque *Rastrum* adhuc in ejus stemmate conspicitur; indè à binis Oppidis *Lipe*, & *Lipski* à Majoribus suis propè *Calisiam* Palatinatus Calisiensis Metropolim ædificatis, relicta *Grabiorum* nomenclatura, *Lipskia*, eadem Familia est appellata (*a*). Patrem habuit Comitem *Venceslaum*, *Matrem* vero *Barbaram Miaskovvskam* lectissimam Matronam.

Ab his amplissimis Genitoribus Kuczkovviæ dicto die in lucem editus est, & rudimentis Literarum, Fideique Christianæ institutionibus est eruditus. Grammaticen Calisiis, eloquentiam Posnanię, Ecclesiastica vero studia in Seminario *Lovicensi*, sub oculis ipsius Regni Primatis sedulo pertractavit. Philosophiam indè in Universitate Leopoldino-Cæsarea *Uratislaviæ* audivit, Theologiam vero, Sacro-

(*a*) *Okuskio* in Orbe Polono Tom. I. Titulo Grabia, ubi fusius de origine, & præstantia hujus Familiæ.

A rumque Ecclesiæ Canonum quadriennalem cursum in Seminario Romano emensus est. Atque hæc demum studia Parisiis in Domo Sorbonica feliciter absolvit. Sic cultioribus Italiæ, Galliæ, & Germaniæ Provinciis utiliter peragratis, in Patriam rediit quinque linguarum possessor, & multiplici pollens eruditione.

Ultra insignem Præposituram *Choczkensen* suæ prænobilis Familiæ gentilitiam, Canonicatum cum Primiceriatu, seu Cantoratu Metropolitanæ Ecclesiæ *Gnesnensis* est assequutus. Præterea Regalis Ecclesiæ *Varsaviensis* custo- B diam, Præposituram Cathedralis *Posnaniensis*, Parochialem *Fraustadiensem*, seu *Usckoviensem*, & Abbatiam Commendatam *Claræ Tumbæ* Ordinis Cisterciensis, necnon Præposituram generalem commendatam *Mechoviensem* totius Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Sepulcri Custodum obtinuit. Præses etiam fuit Supremi totius Regni Tribunalis *Piotrkoviæ*, *&* *Lublini*. *Stanislao Szembek* Gnesnensi Archiepiscopo, totius Regni Primati, C & Reipublicæ Poloniæ primo Principi à Consiliis fuit, & à Theodoro *Potocki* in hac amplissima dignitate illius successore itidem à Consilijs, & Cancellarius Primatialis Dignitatis assumptus est.

Nedum variis hisce Ecclesiæ muneribus claruit, sed Regis etiam benevolentia clarere cœpit. Quippe ab *Augusto II.* Pro-Cancellarius Regni post obitum Comitis *Casimiri a Bokum* Episcopi Primisliensis renunciatus est. Inde Episcopatum *Luceoriensem*, & Senatoriam D Dignitatem Episcopatui necessario adnexam obtinuit. Sicque, & tanquam Senator, & tamquam Regius Administer duplicem in Senatu locum habuit. Ab eximio Præsule *Camillo Paluccio* tunc Poloniæ Nuncio Apostolico in Regia Collegiatâ Varsaviensi an. 1731. ritè consecratus est, adstante Rege, Regnique Magnatibus; Assistentibus vero *Andrea Zaluscki* Plocensi, & *Christophoro Szembek* Varmiensi Episcopo.

Obierat eodem anno *Joannes Szembek* Su- E premus Regni Cancellarius; quum vero propter Comitiorum generalium infructuosam celebrationem, ac sequutam anno 1733. ipsius Regis mortem Pro-Cancellarii munus cum Supremo Cancellariatu commutare non posset, seu ut dicunt, ex parvo ad magnum Regni sigillum gradum facere, (hæc enim commutatio nonnisi electo Comitiorum Mareschalcho fieri potest), uti Pro-Cancellarius ad annum usque 1736. utriusque Ministerii, Pro-Cancellariatus officia scilicet, & Cancellariatus exer- F cuit; etiamsi paullo ante ipsius Regis obitum ad Episcopatum Cracoviensem translatus fuisset, cui adnexus est Ducatus *Severiensis* vigore Constitutionum Regni cum sigillis incompatibilis.

Antequam anno 1732. insignibus, ac Regio Ordine Aquilæ Albæ ab eodem *Augusto II.* condecoratus esset, Torquem triplicem auream collo circumductam more antiquorum Regni Senatorum gestare consuevit. Postquam vero idem *Augustus II.* fato cesserat; in campo Electorali serenissimi ejus filii *Augusti III.* fortunæ adhæsit, spretisque æmuli sui minis, & muniis, ac grato animo recolens, quæ ab Augusto ejus Patre beneficia susceperat, præclara in eum contulit obsequii, & Fidei monumenta. Ipsum quippe *Augustum III.* & Serenissimam ejus Conjugem (cedente de proprio Jure *Stanislao Joseph Hosio* Episcopo Posnaniensi, cui absentibus Regni Primate, & Episcopo Cujaviensi Jus nominandi, & coronandi Reges tertio loco competit) die 17. Januarii 1734. in Cathedrali Cracoviensi Regem, & Reginam unxit, & coronavit. Adstitit etiam Regi consilio, & prudentia; & quæ adhuc inter Magnates dissidia supererant, mirifice composuit. Ad preces propterea ejusdem Regis eum *Clemens XII.* in hac solemni Cardinalium enunciatione in Sacrum Senatum libens invexit.

Primatialem dignitatem post obitum *Theodori Potoski* ultro sibi oblatam recusavit. Tranquillitati tamen consulens Reipublicæ, ut Serenissimo Regi *Stanislao Lenkzinsk'o* Bona ejus Patrimonialia redderentur, sedulo curavit. Sic suis præsertim artibus pace Reipublicæ restituta, insigni apud Regem viguit authoritate, & gratia usque ad annum 1746., quo die 20. Februarii florida in ætate annorum 56. obiit in *Kieke*, ubi sedem habebat, flebilis Regi, & Regno.


Quum Romam numquam advenerit, nec rubrum Galerum obtinuit, nec Sacris Cardinalium Congregationibus adscriptus fuit.

In Ecclesia Cracoviæ Cathedrali sepultus est cum hac Epigraphe.

IOANNES ALEXANDER
S. R. E. CARDINALIS LIPSKI
EPISCOPVS CRACOVIEN.
DVX SEVERIÆ SECVNDVS E DOMO SVA
HOC TVMVLO CLAVDITVR
MERITIS DE PATRIA ET ECCLESIA
FACILE PRIMVS
PRÆDECESSOREM SVVM ANDREAM
ÆQVAVIT INFVLIS EPISCOPVS
DICTVS REGNI PRO.
ET SVCCESSIVE CANCELLARIVS
PVRPVRA SVPERAVIT
S. R. E. CARDINALIS
FACTIS AVGVSTI III. ET MARIÆ IOSEPHÆ
REGVM POLON. CORONATOR
OBIIT KIELCIIS
DIE XX. FEBR. A. MDCCXLVI.
ÆTATIS SVÆ LVI.
IN CAPPELLA HAC
QVAM ÆRE SVO
REFORMARI FECIT
ET DOTE AVXIT
DIEM VLTIMVM EXPECTAT
QVI LEGIS HÆC
MORITVRVS IPSE
MORTVO PRECARE REQVIEM.

Joannes Alexander Lipskius fuit XIII. Nationis Poloniæ S. R. E. Cardinalis. XXXVIII. Episcopus Luceoriensis; LXIII. Episcopus Cracoviensis, & XXXIII. Dux Severiæ.

RAY-



XXVII.

RAYNERIUS DE ILCIO Senensis germen est vetustissimæ *Pannocchieschiæ* Familiæ, quæ à Castro de *Ilcio*, præcipuo hujus præclaræ Gentis Feudo, eadem quoque Familia de *Ilcio* nuncupatur. Pater illi fuit *Philippus* Marchio *Monticiani*, & Comes de *Ilcio*, Mater vero *Francisca Torrigiania*. Ex his amplissimis Genitoribus in lucem prodiit Florentiæ die 7. Martii anni 1670. Eorumdem Parentum diligentia, ac cura primum Paterna in Domo piè, & liberaliter institutus; Senas indè traductus, in Collegio nobilium Ptolomæorum, gravioribus disciplinis imbutus fuit. Ut easdem disciplinas funditus attingeret, præsertim vero

A Jurisprudentiæ naviter incumberet, Pisas se contulit. In celebri illa Universitate impensam in studio Literarum navavit operam. Consilio, & cura potissimum regebatur Patrui sui *Francisci de Ilcio* Pisarum Archiepiscopi præstantissimi, qui *Scipioni de Ilcio* Cardinali eximio ex Fratre Nepos erat, & immediatus in eadem Cathedra Successor. Demum *Raynerius* noster Senas rediit, ibique postquam practicæ Jurisprudentiæ intentum animum adjecerat, publicasque Theses propugnaverat,
B Doctoratus insignibus ornatus est.

Sedente *Innocentio XII.* Romam venit, optimisque usus est Caussidicis, ut in Foro, & in lega-

legalibus controversiis magis proficeret. Demum die 27. Maii anni 1700. inter Præsules Romanæ Curiæ, referendis in Signatura Gratiæ, & Justitiæ libellis addictus est.

Cito in variis Urbis muneribus cœpit adhiberi. Fuit unus ex Præsulibus, qui pio operi incumbunt *S. Hieronymi Charitatis*; præfuit etiam alteri pio Instituto *S. Jacobi Incurabilium*. Et nulli pepercit labori, ut Cultui Divino inserviret, & infixam animo Religionem percoleret.

Anno 1701. à *Clemente XI.* Pro-Legatus dictus fuit Provinciæ Æmiliæ. Quadriennio ibi laudabiliter perstitit. Indè *Fani Fortunæ* Civitati datus est Prætor. Mox Romam revocatus est, & ad ferendum suffragium assumptus est in Congregatione, quæ Consultationibus præest Status Ecclesiastici. Demum ad Civitatem Lauretanam cum eadem Gubernatoris dignitate translatus est.

Idem *Clemens XI.*, qui Viri noverat integritatem, atque prudentiam, de eo ad majora provehendo serius cogitavit. Anno itaque 1711. Fidei Quæsitorem in Insulam Melitensem eum allegavit. Mox Romam iterum revocatum inter Clericos Cameræ Apostolicæ recensuit. Plura ibi munera strenuè obivit. Præfectus enim fuit Archivis totius ditionis Ecclesiasticæ: Præses etiam, & à Secretis Riparum. Indè vero Ædilis, quem Romæ usitato nomine *Grasciæ Præsidem* dicunt, meruit renunciari. Anno demum 1719. Avenionis, & totius Status Venaissini dictus est Pro-Legatus.

In hoc amplissimo Magistratu difficillimis temporibus vigilantiam, & liberalitatem suam patefecit. Anno 1721. Massiliæ Urbem pestilentia invaserat. Ditio etiam Avenionensis eodem morbo laboravit. Huc etiam, ut solet, superaccesserat maxima Annonæ caritas. Omnibus in rebus præsto erat *Raynerius*; ægrotos, & miserè in plateis, & in domibus morientes omnibus juvit Christianæ pietatis officiis. Et tamen Vir tot auctus meritis, in hoc licet spectabili Magistratu diutissimè perstitit; toto scilicet *Innocentii XIII.*, & *Benedicti XIII.* Pontificatu.

Tandem evecto ad Apostolatum *Clemente XII.*, statim ad Gallos Nuncius Apostolicus admotus est, & titulo decoratus est Archiepiscopi Rhodiensis. Spartam, quam nactus, fuit septennio ornavit. Donec anno 1737. Romam revocatus, & Archiepiscopus dictus Ferrariensis in hac solemni Cardinalium enunciatione die 20. Decembris hujus anni 1737. Sacra Purpura fuit insignitus. Eum tamen diu Pontifex in pectore, ut ajunt, retinuit, ac nonnisi evulgavit, quam die 23. Junii anni 1738. Titulum etiam addidit Presbyteralem *S. Sabinæ*, & Congregationibus adjecit Episcoporum, & Regularium, Immunitatis Ecclesiasticæ, Sacræ Consultæ, & Visitationis Apostolicæ.

Ferrariæ, ut dictum, est Archiepiscopus renunciatus; ipse tamen licet moribus esset integerrimis ab Episcopali dignitate quam maximè abhorrebat. Sæpè, atque enixè Pontificem rogaverat, ut ab hoc onere eximeretur. At vero eum Pontifex ne diutius obsisteret, imperii Religione deterruit. Tunc spe ad recusandum sublata, Ferrariam petiit. Pluribus ibi profuit nominibus præstanti illi Ecclesiæ, & cura, ac sollicitudine incredibili partes omnes vigilantissimi Pastoris implevit.

Anno 1746. Vaticana celebravit Comitia, adfuitque electioni Benedicti XIV., sed eo vix electo, stimulis iterum actus conscientiæ intus latentis, atque animi renitentis formidine, Ferrariæ Archiepiscopatum libere in manibus Papæ dimisit. Et licet decenti redditinum Ecclesiasticorum portione minime provisus esset, nequidem obulo dimissam Ecclesiam gravatam voluit.

Benedictus XIV. Ferrariæ tunc de Latere Legatum eum dixit. Quod munus ipsi insperato oblatum, libenti animo absolvit, & cum maximo Justitiæ publicæque utilitatis incremento. Demum triennio suæ Legationis exacto, Romam rediit. Ibi soluto animo vitam ducit prorsus piam, & Dei servitio dumtaxat addictam. Congregationibus, quibus adjectus fuit, adest assidue.

Anno 1747. in ordine Episcopali, Sabinensis Episcopus emersit retento Titulo Presbyterali S. Sabinæ. Hanc autem Dignitatem, quod illi senioritatis jure contigisset, libentissime admisit. Atque in ea eximia instaurat exempla virtutum, & cultui Divino amplificando maximopere studet.



Romæ ex Calcographia jam de Rubeis, nunc R. C. A. apud Pedem Marmoreum

XXVIII.

CAROLUS REZZONICUS *Venetus*, ex *Joanne Baptista & Victoria Barbadica* præstantibus, ac patriciis Genitoribus in lucem editus est die 7. Martii anni 1693. Decennis Bononiam traductus est, & in Collegio Sancti Francisci Xaverii sub cura Patrum Societatis Jesu Rethoricæ, & Philosophiæ naviter incubuit. Inde in Patriam redux, biennio Jurisprudentiæ, & dogmaticæ Theologiæ impensam navavit operam. Mox in celebri Universitate Patavina Doctoratus insignibus ornatus est. Demum annos natus 22. Romam venit, & in Academia Ecclesiastica exceptus est, quo loci Nobiles adolescentes institui solent,

A qui servitio Romanæ Ecclesiæ student mancipari.

Utrique Juri evolvendo intentum adjecit animum; atque ut magis in legali facultate proficeret, optimis usus est Caussidicis; præsertim vero *Jacobo Lanfredinio* Advocato ea tempestate clarissimo, qui in dignitate Cardinalitia paullo ante *Carolo* nostro præivit, ut patet ex vita ejusdem Jacobi Cardinalis superius exposita. Tandem die 28. Maii anni 1716. Præsulum Romanæ Curiæ amplexus est institutum, & inter Prothonotarios de numero participantium meruit recenseri.

B Citò regendis Ditionis Ecclesiasticæ Civita-

tibus

tibus addicitur. Reatinæ primum, inde vero anno 1721. Fani Fortunæ Civitati datus est Prætor. Munera sibi imposita postquam plures per annos singulari probitate, ac prudentia administravit, anno 1725. Romam revocatur, & ad ferendum suffragium assumitur in Congregatione, quę Consultationibus præest Status Ecclesiastici. Demum exeunte *Benedicti XIII.* Pontificatu, anno nempè 1729. *XII. Vir* Rotæ Romanæ renunciatur. Octennio Magistratum gessit ea integritate, ac fide, qua Justitiæ undequaque prospexit, & nominis sibi celebritatem conciliavit.

A

Ideo *Clemens XII.* ejus meritis excitatus, ut Venetæ etiam Reipublicę benevolentiam suam testaretur; hunc ejusdem Reipublicæ filium in hac celebri Cardinalium enunciatione in Sacrum Senatum invexit. Diaconiam illi attribuit *S. Nicolai in Carcere Tulliano*, eumque Congregationibus adjecit Sacri Concilii Tridentini, Propagandæ Fidei, Sacræ Consultationis, Visitationis Apostolicæ, Episcoporum, & Regularium, & Fabricæ Divi Petri.

B

Mortuo *Clemente XII.* Vaticana celebravit Comitia, suoque calculo electioni Benedicti XIV. feliciter Regnantis suffragatus est.

C

Diaconiam *S. Nicolai* dimisit, & in Ordine Presbyterali Titulum optavit *Sanctæ Mariæ in Ara Cœli*. Die 11. Martii anni 1743. mortuo *Joanni Otthobono* suffectus est in Episcopatu Patavino. Illuc statim se contulit, & præclaram illam Ecclesiam, moribus ornat integerrimis, exemplo, & legibus saluberrimis emendat. Vastam Diœcesim lustrare non desinit, in omnes providus, in pauperes misericors. Pietate, & doctrina præstantes Viros inquirit, Cleri reformationi, præsertim vero Sacerdotum, & Parochorum vehementer incumbit. Et ut nova proborum Sacerdotum progenies indesinenter assurgat, Seminarium Episcopale ad tantam extensionem auget, & producit, ut Civitati ornamento, & Ecclesiæ Patavinæ præsidio singulari sit futurum. Jam in veteri domicilio supra centum quinquaginta adolescentes quotannis aluntur. Nova vero, atque ingens ædificii moles majori habitantium numero, eorumque commodo, & utilitati magis apta, eminenter attollitur. Jure igitur Gens Patavina pro ejus incolumitate vota nuncupat sua, ut eximia pietatis opera, quorum tam firma jecit fundamenta, possit absolvere.

Undecima Cardinalium enunciatio

QUAM HABUIT


CLEMENS XII.

Die 23. Junii anni 1738.

Unum exhibet Cardinalem, nempe.



Do-



Dominicus Passionei Forosemproniensis Archiepiscopus Ephesinus, Apostolicarum Literarum in forma Brevis Secretarius, S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo. D.N. CLEMENTE XII. in Consistorio secreto die 23 Junii 1738

Romæ ex Calcographia jam de Rubeis nunc R C A apud Pedem Marmoreum

XXIX.

DOMINICUS PASSIONEI Forosemproniensis die natus est 2. Decembris an. 1682. Parentes habuit eximios, ac Patricios, scilicet Comitem Joannem Benedictum, & *Virginiam Sabbatelli*. Præclara hæc Familia originaria est Urbini; & inter Patricias ejusdem Civitatis ab anno 1251. recensetur (*a*). Dominici nomen in Baptismate sortitus est, ut memoriam excitaret *Dominici* ejus Avi, qui ad assequenda eloquentiæ rudimenta Perusium traductus, celebris ea tempestate humaniorum literarum Professoris *Marci Antonii Bonciarii* auditor fuit (*b*). Nomen etiam redintegravit alterius *Dominici* Tritavi sui, qui die 8. Septembris anni 1551. Uxorem duxit Magdalenam filiam *Aranini Cybo*, qui ex Fratre pronepos fuit *Innocentii VIII.*, & *Catharinæ Cybo* Camertium Ducissæ, item & *Laurentii* primi Massæ Marchionis sobrinus fuit. Ex hisce amplissimis nuptiis, filii eximia virtute præstantes prodierunt. Quos inter *Paulus* affulsit Eques Ordinis Hierosolymitani, & vir-

(*a*) Patet hoc ex Transactione, & Contractu hoc anno inito inter hanc Civitatem, atque alteram Eugubii, in quo unus ex Gente Passionea cum aliis Nobilibus Urbinatibus nomine ejusdem Civitatis Sacramentum fidelitatis exhibuit.
(*b*) Ex Bonciarii Epistolis editis anno 1603.

tute militari perſpicuus, & *Marcus*, qui ut infixam animo Religionem percoleret, veſtem induit Fratrum Minorum Sancti Franciſci Cappuccinorum, Chriſtianiſque virtutibus, morumque ſeveritate adeo claruit, ut indubiam ſanctitatis famam promeruit (*a*).

Tredecim annos natus Romam Dominicus accitus eſt a Præſule, & Patruo ſuo præſtantiſſimo *Guidone Paſſioneo*, qui fuit Clementi XI. ab Epiſtolis arcanis notis conſcriptis, & Sacri Collegii, & Congregationis item Conſiſtorialis a Secretis. Clericis Regularibus Congregationis de Somaſcha in Collegio Clementino datus eſt inſtituendus. Fervidi adoleſcens ingenii eloquentiæ, & Philoſophiæ naviter incubuit. Theſeſque ſuas ex univerſa Philoſophia depromptas, atque in unum Volumen digeſtas, ac Typis datas anno 1701. adeo ſcite, atque eleganter propugnavit, data cuilibet arguendi facultate, ut talis a prima ætate viſus fuerit, qualem exitus poſtea comprobavit.

Plena demum pubertate è collegio eductus duorum in Urbe Roma maxima eruditione præſtantium ductui, ac diſciplinæ potiſſimum adhæſit; *Joſephii* ſcilicet de *Thomaſiis* tunc inter Clericos Theatinos pietate, & doctrina celebris, poſtea Cardinalis, nunc vero titulo *Venerabilis* perſpicui, & Præſulis eximii Juſti *Fontanini* Archiepiſcopi Ancyrani. Dogmaticæ Theologiæ, atque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ adeo intentum adjecit animum, ut quanti in hiſce ampliſſimis facultatibus profecerit, idem *Fontaninius* faſſus fuerit in Vindiciis, quas edidit anno 1705. adverſus *Bartholomæum Germonium* qui Joannis *Mabillonii* celebre opus *de re Diplomatica* cenſoria nota reprehenderat. Hujus enim tam ſplendidæ defenſionis *Fontaninius* & auſpicem, & hortatorem habuit *Dominicum Paſſioneum*, ut ipſe Archiepiſcopus Ancyranus non ſemel fatetur; ejuſque liber uberius declarat eidem Dominico integre inſcriptus.

Latinas præterea, Græcaſque literas funditus introſpexit, atque hominum eruditione præſtantium in deliciis fuit, & familiaritate. Evulgaverat eodem anno 1705. ipſe *Fontaninius* Epiſtolam quamdam hactenus ineditam *Alcuini* ad *Eambaldum II.* Archiepiſcopum Eboracenſem cum notis a Paſſioneo in eamdem Epiſtolam collatis (*b*). Hæc vero Epiſtola, quæ in *Alcuini* operibus uſque adhuc deſiderabatur, adjecta eſt cum Paſſionei criticis notis in nova editione operum Alcuini *a Jacobo Baſnagio* anno 1725. adornata. Ea in Epiſtola Epiſcopi munus, & partes Eambaldum diſcipulum ſuum docet *Alcuinus*. Paſſioneus vero in ſuis animadverſionibus benè diſtinguit duos *Eambaldos* Archiepiſcopos Eboracenſes, & Epocham figit hujus Epiſtolæ ſcriptæ ad *Eambaldum* ſecundum, ſive Juniorem anno Domini 796. Multa præterea eruditione vetus hoc monumentum illuſtrat, ac detegit.

Nova etiam *A. Gellii* editio, quæ nitidior, cæteriſque præſtantior Lugduni Batavorum anno 1706. a *Jacobo Gronovio* eſt evulgata, non ſine præcipuo Paſſionei auxilio potuit abſolvi. Paſſioneus enim certior factus a claro viro *Antonio Magliabequio* de hac A. Gellii editione, quam Gronovius adornabat, ſtatim eidem literas dedit, illique ſignificavit extare in ſua ditiſſima Bibliotheca Gellium ipſa *Scioppii* manu adnotatum, & variantibus lectionibus non uno in loco interpretatum. Cum hac igitur *Gaſparis Scioppii* collatione, aliorumque doctorum hominum commentariis, & caſtigationibus hæc nitidiſſima editio perfecta eſt, ut ipſe Gronovius fatetur in Epiſtola nuncupatoria, quæ eidem *Dominico Paſſioneo* inſcribitur. Locum etiam ipſius Gellii perobſcurum in *lib.* 1. *cap.* 13., & in anteactis editionibus diverſimode expoſitum, idem Paſsioneus collatis pluribus Vaticanæ, Ottobonianæ, aliarumque Bibliothecarum codicibus, recognitiſque etiam *Salmaſio*, *Lipſio*, aliiſque authoribus illuſtravit, & quomodo tutiſsime legi poſſet, aperuit (*c*).

Clariſsimus Bernardus Montefalconius in Paleographia Græca Pariſiis edita anno 1708., ubi de veteri Græca ſcriptura, de initio, de mutationibus, fortuniſque ejus, de caracterum diverſitate per omne ſæculum inducta, differit eruditiſsime, pagina 290. ſpecimina ſeptem exhibet undecimi ſeculi deſumpta ex Codicibus Dominici Paſsionei, quem ſibi amiciſsimum dicit.

Licet vero adeo valida in ſtudio liberalium diſciplinarum jeciſſet fundamenta, flagrantiſsime tamen concupibat longinquas inire peregrinationes, ut quas etiam extra ſepta Italiæ doctorum hominum amicitias inſtituerat, propius percoleret, eorumque colloquio familiariter uteretur; occaſionem nactus eſt, quum eodem Patruo promovente a Clemente XI. Apoſtolici Cubiculi honore fuit inſignitus, & ab ipſo Summo Pontifice an. 1706. Pariſios allegatus eſt, ut Philippo Gualtierio ad Gallos Nuncio Apoſtolico, ejuſque Paſsionei conſanguineo, & nuper Sacra purpura decorato, Pileolum deferret Cardinalatus inſigne.

Poſtquam rem ſibi commiſſam rite curaverat, ſumma ope nixus eſt, ut ſtudia liberalium facultatum, quæ naviter inchoaverat, felicius abſolveret. In Sorbonicam domum frequentia doctorum hominum celebratam, conveniebat aſsidue. Præterea quos omnes ſapientiæ fama regia in illa Urbe præſtare noverat, longa ſibi conſuetudine, ac familiaritate devinxit. Præſertim vero *Mabillonium*, *Montefalconium* alioſque Benedictinæ Congregationis S. Mauri præſtantes viros; Fratrem

Le-

(*a*) Ex ejus Vita impreſſa in tertio Volumine Annalium hujus Ordinis.
(*b*) Extat hæc Epiſtola cum notis Paſſionæi in dictis Vindiciis Fontaninii in appendice pag. 266.
(*c*) In Epiſtola Gronovii Dedicatoria circa medium.

A *Lequien* ex Dominicana familia; *Danielem*, Harduinum e Societate Jeſu: *Renodotium*, *Bignonium*, *Clementium*, *Boivinium*, *Tourcilium*, *Ludovicum de Longuerve*, *Nicolaum Boilau* Galliæ vatem clariſsimum, alioſque omnigena eruditione perſpicuos, ut patet ex luculenta ejuſdem Paſsionei Epiſtola, qua Cardinalem de Colloredo de morte *Joannis Mabillonii* amiciſsimi ſui certiorem facit (*a*).

Biennio apud Gallos exacto, Belgium, atque Hollandiam peragravit. In Angliam quoque trajecit. B Literatoſque ubique homines, quorum ad amicitiam ſe contulerat, cominus, ac familiariter eſt proſequutus. Præſertim vèro *Jacobum Gronovium*, quem ſupra memoravimus, *Perizzonium*, *Burmannum*, *Vitriarium*, *Clericum*, *Cuperum*, *Relandum*, cujus extat nitida Elegia ad ipſum *Paſſioneum*, qui quum *Cuperum* conveniſſet, inter Harderovicum & Daventriam curru excuſſus, & ſolo alliſus, crus ſibi læſerat (*b*).

Clemens XI. præcipuus Paſsionei admirator, C eum in Hollandia gratia & authoritate pollentem, jamque Hagæ Comitum an. 1708. confidentem, ut primus ſanciendæ pacis inter Europæ Principes bello diſsidentes rumor inceſsit, in ipſa Hagæ Civitate juſsit ſubſiſtere. Privatim *Dominicus* agebat, nullaque publici Miniſterii dignitate a Pontifice auctus fuerat. Et tamen adeo comiter a Proceribus Statuum Generalium exceptus eſt, ut Decurionum Civitatis Decreto, immunitas illi Victualium, aliarumque rerum in Urbem invehendarum tamquam publico adminiſtro data ſit. D Quadriennio ea in Urbe verſatus eſt. Mox anno 1712. indictis Comitiis generalibus, cæteriſque Principum Oratoribus Trajectum ad Rhenum contendentibus, illuc quoque *Dominicus* convenit. Atque ut Juribus Sanctæ Sedis utilius præeſſe poſſet, ex Epiſtolis Cardinalis *Paulutii*, tunc Papæ ſanctioris Conſilii a Secretis, certior eſt factus de munere ſibi collato Adminiſtri Apoſtolici, vetitum tamen illi erat ne Dignitatem publice E exhiberet.

Optata votis omnium pax hoc anno eſt conſequuta. Hanc Paſſioneus enixe provexit, & quæ Hæretici moliebantur Hortodoxæ Religioni diſpendia, prudens avertit. His porro negotiis ritè, atque ex Papæ ſententia abſolutis, Auguſtam Taurinorum contendere juſſus erat, ut gravia tunc oborta diſſidia inter S. Sedem, & Sabaudiæ Ducem componere niteretur. Sed quum Romam perveniſſet, ut rerum curandarum procurationem acciperet, F & quum nulla concordiæ ſpes affulſiſſet, Romæ perſtitit, ibique anno 1713. ſecretus Papæ Cubicularius, & Præſul Domeſticus eſt renunciatus.

Ineunte anno 1714. evulgati fuerant articuli, ut dicunt, *præliminares* pacis Cæſarem inter, Gallorumque Regem ſingulariter ineundæ. Locus habendo Conventui *Baden* Helvetiorum oppidum decretus erat. Illuc rurſus Pontificis imperio adfuit Paſſioneus, & pro re nata Juribus S. Sedis opitulatus eſt. Septembri menſe hujus anni vix eadem Pax fuerat conſtituta quum *Solodurum* [a] iterum allegatur, ut fœderi hæreditario, quod ab Helvetiis cum Rege Galliarum confirmabatur, pariter intereſſet.

[a] *Soleure* Italicæ *Soletta* in Helvetia unus ex ſeptem Pagis Catholicis.

Variis hiſce muneribus egregie functus, nondum animo ſoluto erat, ac libero; quum Turcico ſæviente bello, Romam Paſſioneus revocatur, ut ad Inſulam Melitenſem, quo cura, ac ſtudio Chriſtianorum Principum auxiliaria claſſis, eaque validiſſima, inſtruebatur, quantocitius properaret. Sed ſecum animo reputans, quid poſt tanta negotia ſedulo curata, ſibi melius expediret, ab hoc novo munere capeſſendo abſtinendum cenſuit. Exeunte anno 1719. Romam rediit, atque anno 1720. plures per menſes in Congregatione Propagandæ Fidei Pro-Secretarii vices obivit.

Novus interea in Apoſtolatu Succeſſor Innocentius XIII., qui ad Conventum Cameracenſem Dominicum allegare decreverat; quum aliis de cauſis exequi propoſitum opus nequiviſſet, eum Archiepiſcopum dixit Epheſinum, & ad Helvetios miſit Nuncium Apoſtolicum. Pluribus profuit nominibus Catholicæ Fidei, atque Eccleſiæ immunitati diverſimode ab Helvetiis impetitæ. Plura firmo, ac conſtanti pectore ſuſtinuit, ut impetum teneret Lucernenſis Magiſtratus, qui obdurato nimis animo ad Laica Tribunalia Clericos, alioſque Eccleſiæ adminiſtros adducere pertentabat. Clericorum diſciplinæ conſuluit; atque hæreticos ad Catholicam fidem reducere piis, aſſiduiſque conatibus advigilavit. Hujus potiſſimum rei ſplendidum extat teſtimonium in converſione *Joannis Georgii ab Eckart* ſcriptoris celeberrimi, qui clariſſimo *Godefrido Leibnitio* in ſtudiis Hiſtoricis, & Chronologicis Hanoveræ adiutor fuit, & poſtea in eodem labore ſucceſſor. Is Leibnitio felicior, poſtquam Coloniæ Agrippinæ ejuratis Lutheranæ pravitatis erroribus Catholicæ veritati nomen dederat; ſtatim per epiſtolam ſuam Paſſioneum ad Helvetiorum Rempublicam Apocriſarium certiorem fecit de ſua mirabili converſione. Hanc vero epiſtolam cum ejuſdem Paſsionei ad Eckardum humaniſsimo reſponſo typis Romanis evulgavit anno 1724. *Juſtus Fontaninius* Archiepiſcopus Ancyranus, brevemque ſuam præfationem addidit. Paſsioneus autem non modo ſtudiis omnibus Eckardum eſt proſequutus; ſed animo prorſus geſtiente tranſactum negotium nunciavit *Innocentio XIII.* Summo Pontifici, qui non minori perfuſus lætitia eidem Nuncio Apoſtolico edixit,

(*a*) Hæc epiſtola edita eſt inter opera poſthuma ejuſdem Mabillonii pag. 542.
(*b*) Extat hæc elegia in Diariis Literatorum Italiæ anni 1719. pag. 21.

xit, curaret omnimodè, ut nulla adjecta mora Eckardus Romam peteret. Id ſi fieret, & munus ſuæ vitæ generi idoneum, & ſibi decentem alimoniam ſe daturum pollicebatur. Sed dum hæc agebantur, à Præſule eximio *Chriſtophoro de Schoemborn* Epiſcopo Wirceburgenſi (*a*) conductus honorifico ſtipendio, piam, literiſque, ut antea ſolebat, deditam vitam tranſegit uſque ad annum 1730., quo è vivis exceſsit Catholicæ Romanæ Fidei firmiſsime adhærens, ut conſtat ex Epitaphio, quod ultimo ejus operi *De rebus Franciæ Orientalis* inſertum eſt (*b*).

Paſtoralis vero ſollicitudinis, quam ſedulo Paſsioneus adhibuit in hoc Apoſtolico Miniſterio, perenne ſupereſt monumentum in libro, qui primo *Tugii* prodiit, inde anno 1738. iterum Romæ cuſus eſt, & Titulum exhibet = *Acta Apoſtolicæ Legationis Helveticæ ab anno* 1723. ad annum 1729.

Evecto demum ad Supremi Apoſtolatus apicem *Clemente XII.*, altera ſtatim ornatur Legatione, atque anno 1730. Præſuli præſtantiſsimo *Hieronymo Grimaldo* ſufficitur in Cæſarea Nunciatura. Viennæ in Auſtria, fidum Pontifici exhibens miniſterium, maxima etiam apud Cæſarem authoritate viguit, & gratia. *Mariam Thereſiam* Caroli VI. natam majorem, Regnorumque Auſtriacæ Domus hæredem conjugio junxit cum *Franciſco* Lotharingiæ Duce, nunc ſub nomine *Franciſci I.* Romanorum Imperatore. Cum Principe *Eugenio de Sabaudia* Cæſareorum olim exercituum ſupremo, atque invicto Moderatore, familiarem conſuetudinem inſtituerat. Eum vita functum eleganti, ac copioſa laudavit Oratione. Quæ quidem Oratio Italice ſcripta, in varia idiomata converſa, ac translata, hominibus eruditione præſtantibus quammaxime probatur.

Sed inter res Viennæ a Paſsioneo præclare geſtas, hæc præſertim monumentis ſempiternis conſecranda videtur, quod Principem *Aloyſium* de Virtemberg ex Lutheri erroribus ad lucem Catholicæ Religionis adduxerit. Cum hoc eximio Principe virtute militari, & magnæ Indolis præſtantia probatiſsimo, eo potiſsimum conſilio Paſsioneus familiarem inierat conſuetudinem, ut eum ab hæreſi, qua parentibus irretitis natus fuerat, & imbutus adoleverat, ad Catholicam lucem evocaret. Colloquia condiebat ſuavitate ſermonis, multiplici eruditione, totaque mente incumbebat, ut dogmata veræ fidei Principem egregium edoceret. Ille vero, ut ſponte ſua, ſinceraque fide ad veritatem inveſtigandam ferebatur, ſic tandem divino Conſilio factum eſt, ut ſuperato, poſt maturam plurium menſium deliberationem, obverſantium moleſtiarum ingenti numero; Lutheranam pravitatem ejuraverit, & fidem Catholico-Romanam in manibus ejuſdem Nuntii & in Palatio Nunciaturæ Apoſtolicæ profeſſus fuerit. Ne vero malevoli, ut ſolent, verſutique veteratores eum humanis ductum rationibus tantum opus egiſſe ſuſpicarentur, (Ductor enim erat Cæſareorum exercituum), Paſsioneum data fide obſtrinxit, ne glorioſum factum evulgaret. Ritè promiſsis ſtetit Paſsioneus, ſed quum paucis exinde menſibus in bello Italico, & in pugna prope Guaſtallam commiſſa egregius Princeps cæſus fuerit; evulgavit ſtatim mirificam illius converſionem, cujus non levia vivens indicia dederat. In Templis enim Catholicorum erat aſsiduus, & cum iis pietatis exercitia percolebat. Suam Fidei profeſsionem manu ejuſdem Principis obſignatam in tabularia, & in acta publica S. Sedis Paſsioneus retulit; & de ea *Clementem XII.* Summum Pontificem (poſtquam Princeps naturæ conceſsit) certiorem fecit.

Virum propterea ſingularis virtutis commendatione ſibi dilectum *Clemens XII.* Romam revocatum, atque ineunte anno 1738. Apoſtolicis Diplomatibus præfectum, hac demum die 23. Junii ejuſdem anni 1738. in Sacrum Senatum invexit. Titulum illi attribuit S. Bernardi ad Thermas, & Congregationibus adjecit Rituum, Propagandæ Fidei, Indulgentiarum, Rerum Conſiſtorialium, Rerum Cæremonialium, Indicis Librorum prohibitorum, Commercii Anconæ, & Correctionis librorum Orientalium. Protector etiam datus fuit univerſo Ordini Ciſtercienſium Reformatorum.

In hiſce ampliſsimis muneribus actuoſam degit vitam in ſua mirifica Bibliotheca libris aut vetuſtate, aut eruditione, & doctrina, aut caſtigatione undequaque inſtructiſsima. Hanc *Dominici* ſtudio perenni, & cura incredibili comparatam, nullo pepercit ſumptui, ut in immenſum amplificaret. Jamque illa admiranda prorſus effecta eſt, quum ad quadraginta, & ultra voluminum millia excreverit.

Hujus vero ampliſsimi Cardinalis Dotes, quæ clariſsimos etiam a prima ætate laudatores habuerunt, ſilentio præterire non licet. Præſertim quia poſt tot magiſtratus ſtrenue geſtos maximum virtutibus ejus addidit incrementum. Sed ne vera laus a nobis detracta, neque falſa affictа videatur, qui Hiſtorici partes exequimur; eas ipſas præſtat audire a celeberrimo viro *Bernardo Montefalconio*, qui de Dominico Paſsioneo juvenilem ætatem nondum egreſſo ſic loquitur (*c*) = *Ex Bibliotheca Illuſtriſſimi viri Dominici Paſſionei, qui annos viginti quatuor vix emenſus, incredibili fulget rerum, diſciplinarumque notitia, Græcis, latiniſque literis apprime eruditus, Bibliothecamque numeroſam manuſcriptorum, editorumque exemplarium comparavit, libro-*

rum

(*a*) Herbipolis in Franconia. (*b*) Hoc Epitaphium legitur in libro ipſius Jo. Georgii ab Eckrt ſub titulo Commentarii de rebus Franciæ Orientalis, & Epiſcopatus Wirceburgenſis - edit. Wirceburgeſ. anni 1729. poſt præfationem.

(*c*) In Paleographia Græca pag. 290. edition. Pariſienſ. anni 1708.

rum delectu cum paucis numerandam. Literatorum commodis sic advigilans, ut quæ vel penes se habet, vel amicorum ope nancisci potest, quibusvis Literariæ rei operam dantibus, nec rogatus offerat.

Ob. apoplexia morbo [illegible] in [illegible] 3. Non. [illegible] 1751.

Duodecima Cardinalium nuncupatio

QUAM HABUIT

CLEMENS XII.

Die 19. Decembris anni 1738.

Unum exhibet Cardinalem, qui sequitur.





X X X.

A Sylvius Valenti Gonzaga Mantuanus Patriciis Parentibus Marchione *Carolo*, & *Barbara Andreasi* natus est die 1. Martii anni 1690. Magnis ejus Familia clara est affinitatibus in utraque Cispadanæ, & Transpadanæ Galliæ Provinciâ. Ipse vero undecim annos natus amisso Patre Parmam traducitur, atque in Collegio Nobilium sub cura Patrum Societatis Jesu prima magnę Indolis specimina exhibuit, moribusque, ac literis præstare cœpit. Septennio eâ in Urbe exacto, emensoque eloquentiæ, & Philosophiæ curriculo, Mantuam reversus est.

Aliquot exindè annis paternâ in Domo Theologiæ, aliisque ingenuis disciplinis intentum adjecit animum. Mox lustratis cultioribus Italiæ Civitatibus, moribusque eorum introspectis, plenâ pubertate Romam venit. Dubius ille ferebatur, an Romæ subsisteret, an vero in ea Metropoli gravioribus dumtaxat studiis magis excolendum se dederet. At vero dum incertus deliberat, utrumque est assequutus. Nam, & severioribus disciplinis, & Historiæ Ecclesiasticæ sub Præsule eximio, ac Philosopho præstantissimo *Cœlestino Gallianio* totus B incubuit, & à *Clemente XI.* Apostolici Cubiculi honore auctus fuit.

Anno hinc 1719. Viennam in Austria allega-

tur,

tur, ut Cardinali *Michaeli Friderico de Althan* nuper Sacrâ Purpurâ decorato, Pileolum deferret Cardinalatus insigne. Quare opportunus adfuit anno 1720. Viennam advenienti Præsuli *Alexandro Albano* Clementis XI. Fratris filio, nunc pariter inter Cardinales relato. Longâ quippe illi acceptus consuetudine, jussuque Pontificis rerum gravissimarum, quæ à Nepote apud Cæsarem agebantur, particeps factus, operam illi suam adjunxit, suumque in earumdem rerum procurationem nec leve, nec segne contulit Ministerium. Ipsi propterea Pontifici habitus in dies acceptior, Augustam Taurinorum mitti designabatur, ut res inter Sanctam Sedem, Regemque Sardiniæ maximè perturbatas ad concordiam perduceret. Quod si prosperè evenisset, Apostolicæ in Sabaudia Nunciaturæ Tribunal illi creditum fuisset, primusque amplissimum Magistratum iniisset.

Hæc secum animo reputans Romam rediit; sed vix Urbem ingressus Pontificem è vivis nudius tertius ereptum intelligit. Similis porro illi suberat spes sub successore *Innocentio XIII.*, sed quum nulla perficiendæ voluntatis Pontificiæ occasio affulserit; summâ ope nixus est, ut optatum ad exitum perduceret renunciationem *Archimandritatus* Messanensis, quam Præsul *Ascanius Gonzaga* affinis suus jamdiu ad ejus favorem absolvendam decreverat. Hoc sane negotium variis dudum de causis infectum, nonnisi quam ineunte *Benedicti XIII.* Pontificatu completum fuit. Anno interea 1724. die 24 Junii inter Præsules Romanę Curiæ relatus est.

Hac re probè, & ut sibi in votis fuerat, curatâ; parum hæsit animo, statimque in Siciliam se contulit, ut inflicta, antecessorum desidiâ, fructibus & jurisdictioni hujus ditissimi Sacerdotii vulnera, præsens mederetur. Duabus potissimum litibus tenebatur; quarum una cum Archiepiscopo Messanensi erat, altera cum Castris sibi subjectis. Una memoratæ ejus Episcopali Jurisdictioni adversabatur, altera eorumdem fructuum dispendium fecerat. Utrumque litigium prudenti concordia sustulit. Honestis enim conditionibus cum iisdem Castris suæ Dioeceseos convenit, pluribusque nominibus suæ Mensæ redditus amplificavit. Similique concordia cum Archiepiscopo, & Capitulo Messanensi pepigit, ne jus suum Ordinarium, & verè *nullius Jurisdictionis* imposterum in discrimen vocaretur. Hanc autem concordiam *Clemens XII.* confirmavit Apostolica, ac peculiari suâ Constitutione, quæ jussu Regio in acta publica Siculorum Tribunalium relata est.

Dum vero in Siciliam moraretur, id illi potissimum tempus fuit, quo tranquillam nactus solitudinem, literario in otio adeo studiis vacavit suis, & quidquid bonarum artium fuit, adeo intrinsecus pervasit, ut mirum sit res tam multiplices, tam varias unius hominis intelligentiâ contineri.

Mortuo interea *Benedicto XIII.* Romam remeavit, adfuitque electioni *Clementis XII.*, quæ sub iisdem ferme diebus vulgata fuit. Eum excepit Pontifex comiter, ac perurbanè, illique edixit, ut nullâ interpositâ morâ ad agendum se compareret. Decreverat enim *Clemens* uti ejus operâ in Apostolico Ministerio. Revera paucis exinde mensibus Nicænum eum dixit Archiepiscopum, & Nuncium Apostolicum ad Belgas allegavit. Vix Bruxellas pervenerat, cum statim molestam quandam, diuque Partium studio enutritam controversiam ademit, de recipiendis *Brevibus*, ut ajunt *facultativis*. Hæc imposterum recipi obtinuit eo fermè modo, quo recipi consueverant, quando Belgium Hispano suberat imperio. Evicit etiam apud Batavos, ut Diploma Jubilæi à *Clemente XII.* pro petenda pace indicti, Amstelodami evulgaretur, publicæque omnipotenti Deo haberentur gratiæ, postquam eadem votis omnium optata pax est consequuta.

Morte interea Præsulis *Vincentii Alamanni* vacaverat in Hispaniis anno 1736. munus Nuncii Apostolici. Illi *Sylvius* sufficitur, & secundâ ornatus Legatione, antequam per consuetam Promotionem vacatio obtigisset, statim ad Hispanos contendit; sed Romæ eo tempore importuna quædam oborta dissidia inter Pontificem, Catholicumque Regem, ab ingressu finium Hispanorum novum Papæ administrum prohibuerunt. Bajonæ subsistere jussus, ubi jamdiu morabatur *Anna Maria Neoburgensis* Caroli II. Vidua Regina; tantam apud eam existimationem, & gratiam est assequutus, ut magnum opus exegerit, & Pontificio administro planè dignum. Illi quippe in animum induxit, ut abjectâ suspicione, Catholici Regis Philippi V. administris familiarius uteretur. Atque hinc porro consilium illi incessit Matritum remeandi. Quod quum paulo post factum fuerit, illam *Philippus* Rex, ejusque Conjux *Elisabeth* Regina exceperunt pompâ, ac benevolentia incredibili.

Nec multo post ipse Hispaniarum Nuncius ad munus suum administrandum admissus, mirificâ apud Regem viguit existimatione. Rebus idcircò inter S. Sedem, Catholicumque Regem brevi compositis, statim omnium consensu Matritum advocatur. In Aula Regis exceptus, crevit in dies prudentiæ famâ, & nominis celebritate. Atque eo triennio, quo gerendo Apostolico ministerio naviter incubuit, nulla prorsus dissidii occasio suborta est, cunctæque illæ concertationes siluerunt, quæ inter Ecclesiasticam, Laicamque potestatem passim emergere consueverant.

Propterea *Clemens XII.* postquam inter Cardinales retulerat Nuncium ad Gallos Apostolicum, alterumque apud Cæsarem simili functum Magistratu; hunc etiam eximium Præsulem, qui idem prorsus munus apud Hispanos obiverat, Sacrâ similiter Purpurâ augendum censuit. Hac ergo die 19. Decembris anni 1738. solus in S. Senatum invectus est.

Car-

Cardinalis jam renunciatus aliquamdiu tamen in Hispania subsedit, Apostolico adhuc vacans Ministerio. Quo tempore eum *Clemens* Bononiæ de Latere Legatum dixit. Quare dum ad iter Italiæ capessendum se comparat, mors supervenit Pontificis. Decretum iter ocyus festinavit. Et tamen nondum Romam advenit, nisi duos post menses, quam Vaticana Comitia celebrari essent cœpta. Iis demum absolutis, electoque BENEDICTO XIV., statim ab eo sanctioris consilii à Secretis assumitur, & primus Status administer. Præterea omnibus Urbis Congregationibus adscribitur, & Titulo decoratur *S. Priscæ*, quem postea in alium immutavit *S. Calisti*. Nec intra hos fines dumtaxat Pontificia in eum largitas passa est contineri. Vacante enim anno 1747. per liberam dimissionem Cardinalis *Annibalis Albani* Quæstoris officio, seu *Cameriaratu S. R. E.*, ille ne rogans quidem, sed nec tale quid cogitans, huic maximo muneri admovetur. Præfectus etiam Congregationi de Propaganda Fide datus fuit; aliorumque in Urbe Locorum Piorum Protector est designatus.

Tantis ille oneribus, utcumque inter se discretis, tantæque Pontificis benevolentiæ cumulatè respondit. Patiens enim laboris, atque otii insolens cum eodem Pontifice arcana dirigit Ecclesiastici imperii, longoque usu edoctus, & Populi, & Principum ferre mores, Urbis studet tranquillitati. Difficillimis temporibus quibus Hispano, Germanoque milite Italia cuncta tenebatur, atque in terris Ecclesiæ, & apud Velitras, & quasi apud Urbis mœnia dimicabatur, nullam declinans in partem, impetum exterorum à pernicie Ecclesiasticæ ditionis avertit. In rebus gerendis promptus, atque in excogitandis solers, plures consilio vicit, neminem fraude cœpit.

Lectissimam comparavit Bibliothecam, multiplicesque libros, aut vetustate, aut eruditione, aut castigatione conspicuos. Item & illustrium virorum effigies, & insignium Artificum picturas. Venerandæ antiquitatis adeo est amator, ut nullâ re magis capiatur. Tali fretus amore celeberrimas in ævum *Raphaelis Sanzii* Urbinatis picturas, aliaque admiranda in muris ac Peristyliis Vaticani Palatii, vel fatiscentia vetustate, vel temporis hominumque injuria deturbata, manu peritissimi Artificis delineavit, eaque jam delineata, nunc exactissimâ imitatione æneis tabulis viriculo cælare facit, ne tantarum rerum exolescat memoria. His potissimum studiis, si quando eum graviorum negotiorum satietas cœperit, delectatur.

Decimatertia Cardinalium enunciatio facta
A
CLEMENTE XII.

Die 23. *Februarii anni* 1739.

Duos habet Cardinales, quorum nomina recensentur.

Cajetanus Stampa. Mediolanensis.
Petrus de Guerin de Tencin, Gallus.



CA-



XXXI.

CAJETANUS STAMPA Mediolanensis Filius Comitis *Cristerni*, & *Justinæ Borromeæ*, natalem adspexit lucem die 1. Novembris anni 1677. Præstanti, ac Patricio satus genere, pari fuit sollicitudine paterna in Domo institutus. Pietatis & literarum edoctus rudimenta, duodecim annos natus Romam traductus est. A Patribus Societatis Jesu in Seminario Romano anno 1689. exceptus, sedulam majoribus disciplinis navavit operam. Exacto demum plures per annos Philosophiæ, & Theologiæ curriculo, ex eodem Seminario educitur, ut Jurisprudentiæ addiscendæ naviter incumberet. Huic pariter facultati sub

A optimis Caussidicis intentum adjecit animum; tandem Laurea Doctorali insignitus inter Præsules Romanæ Curiæ meruit recenseri.

Die 28. Maii anni 1705. referendis in Signatura Gratiæ, & Justitiæ Libellis à *Clemente XI.* addictus est. Mox inter Papę Præsules domesticos receptus, nonnullis Ecclesiasticæ ditionis Civitatibus datus est Præses. Quæsitor inde Fidei in Insulam Melitensem allegatur. Quo munere aliquot per annos strenuè gesto, Archiepiscopus dicitur Calcedonensis, & Florentiam

B mittitur Nuncius Apostolicus ad *Cosmum III.* Magnum Etruriæ Ducem. Demum Nuncius pariter Apostolicus ad Venetam Rem-

publicam traducitur. Atque in hisce amplissimis muneribus fidum Pontificiæ Sedi exhibuit Ministerium.

Nonnisi anno 1735. postquam eximius Præsul *Joseph Spinelli à Clemente XII.* inter Cardinales relatus fuerat, Romam revocatus est, atque illi suffectus est in præstanti Magistratu Secretarii Episcoporum, & Regularium. Die 6. Maii anni 1737. vacanti Archiepiscopatui Mediolanensi admovetur. Quare Sacra Purpura nondum decoratus Mediolanum pergere cogitur; sed paullò post meritum laboribus præmium est assequutus, atque hac die 23. Februarii 1739. Sacro Purpuratorum Patrum Collegio est adjectus.


Pileolum illi, atque insignia Cardinalatus perlata sunt à *Dominico Vulpio* Papæ Cubiculario. Indè anno sequenti ob mortem Pontificis, Romam se contulit, ut Vaticanis adesset Comitiis. Benedicto XIV. feliciter Regnanti & ipse suffragatus est. Mox Titulum obtinuit Presbyteralem *S. Alexii*, & Congregationibus adjectus fuit Episcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Immunitatis Ecclesiasticæ, & Sacrorum Rituum.

Ad suam demum redux Ecclesiam biennio supervixit. Spirandi enim difficultate laborabat; quo tandem morbo vires suas in dies exerente, semel, atque iterum correptus, diuque cum eo vario eventu colluctatus, tandem obiit Asthmaticus die 23. Decembris anni 1742., & in sua majori Ecclesia Mediolanensi sepultus est.

Moribus ipse fuit integerrimis; Vitæ genere splendidus, ac magnificus, animi vero dotibus comis, ingenuus, & veritatis amicus. Sibi hinc singularem pepererat benevolentiam, & obsequium.



Pe-



Petrus Guerin de Tencin Archiepiscopus Ebrodunensis, Gallus, S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo. D.N. CLEMENTE PAPA XII in Consistorio secreto, die 23. Februarij 1739.

Nicolaus Billy Sculp.

Romæ ex Calcographia jam de Rubeis, nunc R C A apud Pedem Marmoreum

XXXII.

A PETRUS DE GUERIN DE TENCIN Gallus Gratianopoli natus est die 22. Augusti anni 1679. Ea in Urbe *Guerinia* Familia vetustissima pollet nobilitate. Ibi Pater ejus Præses Infulatus fuit; primus etiam Præses fuit Senatus Camberiacensis; postquam *Ludovicus XIV.* magnus Gallorum Rex Sabaudiæ Provinciam suo adjecerat Imperio. Matrem etiam habuit præclara in Delphinatu nobilitate præstantem.

Sub cura Patrum Oratorii prima posuit Literarum rudimenta; inde apud Patres Societatis Jesu impensam eloquentiæ, & Philosophiæ navavit operam. Demum ut in Theologicis disciplinis magis proficeret, Parisios traductus est. In celebri exceptus Sorbonica Domo adeo prudentia præstitit, atque sacris adeo intentum studiis adjecit animum, ut in funestis dissidiis, & contentionibus, quibus eâ tempestate Domus illa discindebatur, unanimi prorsus assensu, Societatis illius Prior anno 1702. fuerit renunciatus.

Cardinalis *Stephanus le Camus* post mortem *Innocentii XII.* Vaticana celebraturus Comitia, eum biennio ante, scilicet anno 1700., itineris B socium habuit, atque in Conclave perduxit. Eumque *Clemens XI.* paulo post Summus Pontifex electus, excepit comitate, ac clemen-

tia incredibili; quasi divinaret id, quod evenit, hunc, nempè magnæ spei adolescentem, famigeratæ, ac memorandæ ejus Constitutionis *Unigenitus* fore aliquando Propugnatorem eximium.

Parisios reversus Theses suas exposuit, propugnavitque adeo scitè, atque eleganter, ut Regis beneficio anno 1702. Abbas Vezeliacensis dici promeruerit. Doctoratus insignia retulit anno 1705. Archidiaconus indè emersit Ecclesię Senonensis; & demum ejusdem Ecclesiæ, & Diœcefeos officium Vicarii generalis strenuè obivit.

His porrò muneribus functus est usque ad annum 1719., quo cum Cardinali Henrico *de Bissy* Romam remeavit. Mortuo *Clemente XI.* Conclavista hujus Cardinalis assumptus, ad Vaticana iterum accessit Comitia. Electo *Innocentio XIII.* Regis Christianissimi negotiis est Præpositus. Resque sibi commissas ritè administravit usque ad annum 1724., quo ab eodem Rege nominatus Archiepiscopus Ebredunensis, postea à *Benedicto XIII.* nuper ad Apostolatum assumpto, mense Julio illius anni ritè est consecratus.

Ut in Cathedræ suæ possessionem advenit, Catholicæ Religioni pluribus profuit nominibus, Cultuique Divino amplificando maximoperè studuit. In eo vero ejus pietas, & constantia præsertim enituit, quod Sanitensem Antistitem pravæ adhærentem doctrinæ in Provinciali Concilio Ebreduni ab eodem *Petro de Tencin*, & quatuordecim Episcopis coacto, publico interdicto, Romano annuente Pontifice, ab administranda Diœcesi suspenderit. Ipse enim Sanitensis Episcopus *Michaelis Baii*, *Cornelii Jansenii*, *& Pascalis Quesnellii* erroribus pervicaciter incumbens, quinimo accersitus, & Concilio præsens, monitus & convictus, numquam à proposito dimoveri passus est. Acta Concilii Ebredunensis probavit *Benedictus XIII.*, ipsumque Ebredunensem Antistitem maximis laudibus est prosequutus.

Anno 1728. nominationem obtinuerat *Jacobi III.* Magnæ Brittanniæ Regis, ut à *Benedicto XIII.* inter Purpuratos Patres referretur; sed quoniam ex sæpius patefacta animi sui magnitudine, plurimorum subierat invidiam; hinc molestis calamitatibus exagitatus, dilata laborum præmia patienter tulit. Demum hac celebri die 23. Februarii hujus anni 1739. ad ipsius Brittannici Regis nominationem eum *Clemens XII.* in Sacrum Senatum invexit.

Pileolum rubrum *Ludovicus XV.* illi manu sua superimposuit. Mox Romam petens, in itinere certior fit de nova Regis beneficentia, qua Abbatiam trium *Fontium* nuncupatam illi contulerat. Paulisper Ebreduni consedit. Ibi *Gregorium Aurelii* Secretum Papæ Cubicularium obvium habuit, biretum sibi afferentem Cardinalatus insigne. Ut Romam pervenit, galerum obtinuit, & Titulum Presbyteralem *SS. Nerei, & Achillei*. Præterea Congregationibus adjectus fuit Propagandæ Fidei, Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium, item Examinis Episcoporum, Indicis Librorum prohibitorum, & Rerum Consistorialium. Protector etiam est dictus insignis Ordinis Hierosolymitani, & Monialium Visitationis S. Mariæ.

Mirificam *Clementis XII.* sibi gratiam conciliaverat. Ab eo privilegium obtinuit, quod *Indultum* vocant, quo Regi Christianissimo nominatio data est ad quæcumque in Lotharingiæ Ducatu Ecclesiastica Beneficia. Mox Regius in Urbe Administer electus est, sociusque, & comes datus est Duci *S. Agnani* publico Galliarum Regis Oratori, qui tamen usque ad annum 1741. Gallici Regni negotia curavit.

Postquam è vivis excessit *Clemens XII.*, Cardinalis de *Tencin* die 18. Februarii anni 1740. Vaticanum Conclave ingressus est; suoque calculo electioni BENEDICTI XIV. feliciter Regnantis suffragatus est. Officiis porrò suis animum sibi novi Pontificis ad benevolentiam conciliavit. Precibus ejus assensit Pontifex, ne Pareciæ Brittanniæ Minoris in posterum per concursum Romæ habendum conferrentur, ut hactenus fieri consueverat.

Tempore Comitiorum nova in eum beneficia contulit Gallorum Rex, Abbatiam nempè illi attribuit *S. Pauli* Verdunensis. Mox Septembri mense anni 1740. Archiepiscopum dixit Lugdunensem. Demum ineunte anno 1742. Regii Ordinis S. Spiritus Commendator instituitur.

Eodem anno 1742. veniam à Rege obtinuerat, ut suam invisere posset Ecclesiam; idque eo consilio efflagitaverat, ut postquam Pastorali vacasset Ministerio, Romam redire posset; sed vix Lugdunum pervenit, quod die 26. Augusti ejusmet anni, Regis Beneficio locum nactus est inter ejus Status Administros. Mortuo Cardinali de *Rohan*, vacanti Provisoris officio in Domo Sorbonica admotus est unanimi cœtus illius assensu, plausuque incredibili.

His porrò muneribus distentus actuosam degit vitam, dignus propterea, ut tanta Divinæ largitatis dona in Ecclesiæ, & Regni utilitatem diutissimè conferat.

Decimaquarta Cardinalium evulgatio


Quam die 15. Julii 1739.

HABUIT

CLEMENS XII.

Unum exhibet Cardinalem, qui sequitur.

MAR-



Marcellinus Corius Mediolanensis Almæ Urbis Gubernator, et Vice-Camerarius S. R. E Diaconus Cardinalis, creatus à SSmo. D. N. CLEMENTE XII. in Consistorio secreto die 15. Julij 1739.
Obijt die 21 Februarij 1742.
Hieronymus Rossi sculp
Romæ ex Calcographia jam de Rubeis nunc R C A apud Pedem Marmoreum

XXXIII.

A MARCELLINUS CORIUS Mediolanensis die natus est 6. Septembris anni 1664. Nobiles, ac Patricios habuit Genitores, *Philippum* nempè, & *Lauram Ayroldi*. In Patria sub optimis institutoribus pietatis, & Literarum hausit rudimenta. Jurisprudentiæ inde addiscendæ impensam navavit operam. In Mediolanensi Academia anno 1686. Laurea Doctorali ornatus fuit. Adeo demum inter suos existimatione succrevit, & nominis celebritate, ut in Collegium Jurisconsultorum Mediolanensium adscitus fuerit.

B Ut ex ephebis excessit, Romam se transtulit. Plura, atque insignia obtinuit Sacerdotia; & S. Consistorialis Aulæ Advocatus meruit renunciari. Inde ad majora progrediens die 16. Maii anni 1715. inter Præsules Romanæ Curiæ relatus est, & brevi inter *XII. Viros* Signaturæ Justitiæ locum obtinuit. Mox admoto ad Sac. Purpuram eximio Præsule *Bernardino Scotto*, illi *Marcellinus* sufficitur in amplissimo munere *XII. Viri* Rotæ Romanæ. Ibi Justitiæ vindex multos per annos sedit, usquedum senior, & Decanus in illo Tribunali emersit.

Anno 1733. à *Clemente XII.* Regens Sacræ Pœnitentiariæ nuncupatus est, atque anno 1734. postquam *Pompejus Aldrovandus* inter

Cardinales, relatus fuit, ipſe ad ſupremum Magiſtratum vocatus eſt Prætoris Urbis. Arduam Præfecturam quinquennio laudabiliter implevit. Demum hac die 15. Julii 1739., & ipſe inter Cardinales aſſumptus eſt. Diaconiam obtinuit *S. Hadriani*; & Congregationibus adjectus fuit Concilii Tridentini, Sacrorum Rituum Immunitatis Eccleſiaſticæ, Fabricæ Divi Petri, & Sacræ Conſultæ. Protector etiam fuit Nationis Mediolanenſis.

Vaticana celebravit Comitia pro electione Benedicti XIV. Tandem ætate, ac laboribus conſumptus, atque in hydropem lapſus obiit die 20. Februarii anni 1742. Corpus ejus ad Eccleſiam nationalem translatum fuit Sancti Caroli ad Curſum, ibique exequialibus juſtis expiatum fuit, adſtante Summo Pontifice Benedicto XIV., atque univerſo Cardinalium Cœtu. Demum, ut ipſe Teſtamento ſuo caverat, in eadem Eccleſia humatum fuit cum hac Epigraphe.

MARCELLINO CORIO
PATRICIO MEDIOLANENSI
CONSISTORIALIS AVLÆ ADVOCATO
XII. VIRO SIGNATVRÆ IVSTITIÆ
ROMANÆ ROTÆ DECANO
ALMÆ VRBIS GVBERNATORI
S. R. E. DIACONO CARDINALI
VIRO DOCTRINA PRVDENTIA IVSTITIA
SPECTATISSIMO
PROBITATE ET CANDORE ANIMI
INCOMPARABILI
PHILIPPVS COMES CALDERARIVS
IN MAGISTRATV ORDINARIO MEDIOLANENSI
REGIVS QVÆSTOR
AVVNCVLO SVO OPTIMO ET AMANTISSIMO
HÆRES EX ASSE POSVIT
VIXIT ANNOS LXXVII. MENS. V. DIES XV.
OB. NONO KAL. MARTII
ANNO DOMINI MDCCXLII.

Ultima, & Decimaquinta
CLEMENTIS XII.
Cardinalium renunciatio facta fuit die 30. Septembris anni 1739., & in ea duo evulgati ſunt Cardinales, quorum nomina recenſentur.

Proſper Columna. Romanus.
Carolus Sacripantes. Romanus.



Pro-



Prosper Columna Romanus, Reverendæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, S. R. E. Diaconus Cardinalis creatus à SS.mo D. N. CLEMENTE XII. in Consistorio secreto die 30 Septembris 1739

Obyt die 4 Marty 1743.

Hieronymus Rossi Sculp.

Romæ ex Calcographia jam de Rubeis, nunc R. C. A. apud Pedem Marmoreum

XXXIV.

PROSPER COLUMNA Romanus in *Mariana* A *Villa*, quam nunc Marinum dicunt, die natus est 17. Novembris anno 167[illegible]. Parentes habuit Patricios, ac clarissimos, *Philippum* nempe Principem *Sonnini*, & *Possi*, & *Cleriam Cæsariniam*. Idem Pater ejus, qui filius erat secundogenitus *Marci Antonii* Paliani Ducis, & Neapolitani Regni Magni Comestabilis, novam hanc Columnensium progeniem propagavit.

Paterna *Prosper* in Domo piè, ac liberaliter institutus, mox in Universitate Romana Doctoratus insignibus donatus, demum die 26. Junii anni 1694. inter Præsules Romanæ Curiæ relatus, & Prothonotarius dictus est de numero Participantium.

Ineunte *Clementis XI.* Pontificatu, Prolegatus Ferrariæ renunciatur. Romam inde revocatur, & inter Clericos Cameræ Apostolicæ recensetur; Præses etiam Aquarum dicitur;

atque

atque anno 1721. postquam Cardinalis *Camillus Cybo* tunc Cameræ Apostolicæ Auditor Generalis hoc Magistratu se abdicavit, in hoc amplissimo munere illi *Prosper Columna* suffectus est. Hac demum die eum *Clemens XII.* inter Cardinales retulit, & Diaconiam illi attribuit, *S. Angeli in Foro Piscium*. Eum præterea Congregationibus adjecit Sacræ Consultæ, Fabricæ Divi Petri, Confinium, Signaturæ Gratiæ, & Rerum Cæremonialium.

A

Die 3. Martii anni 1743. naturæ concessit. Corpus ejus elatum fuit ad Ecclesiam SS. XII. Apostolorum, ibique justis exequialibus à Benedicto XIV., & Sacro Cardinalium cœtu peractis; tandem ad Ecclesiam S. Joannis in Laterano translatum fuit, & in Choro hujus Basilicæ, atque in sepulcro inclitæ hujus Domus gentilitio sepultum fuit.





XXXV.

CAROLUS MARIA SACRIPANTES Romanus die natus est 19. Septembris anni 1689. ex *Philippo* Insigni Jurisconsulto, & Sac. Consistorialis Aulæ, Fisci, & Cameræ Apostolicæ Advocato, & ex *Vincentia Maria Vitutia* Patriciis Narniensibus. Josephi alterius Cardinalis *Sacripantis* ex Fratre Nepos existit.

Patri primum in Advocatione Consistoriali à *Clemente XI.* mense Septembri anni 1709. datus est Coadjutor; mortuo exinde Patre mense Aprili anni 1714., ab eodem Summo Pontifice in illius locum suffectus est in Advocatione inclyti Populi Romani. Et die 28. Novembris anni 1718. inter Præsules Romanæ Curiæ cooptatus, statim XII. Vir est renunciatus in Tribunali Signaturæ Justitiæ. Demum Februario mense anni 1721. inter Clericos Cameræ Apostolicæ meruit referri.

Varia hæc munera quum strenue, multosque per annos obierit; singulari Decreto totius Cardinalium Collegii in Sacrario Principis Apostolorum coacti, ut justa funebria *Benedicto XIII.* nuper defuncto persolveret, ad eximium Prothesaurarii Generalis Magistra-

tum admotus est die 23. Februarii anni 1730., A cautumque fuit, ut Ærarii munus, quod sub nomine Thesaurarii Generalis Cameræ Apostolicæ famigeratum in Urbe est, exerceret cum facultatibus, & honoribus consuetis. Mox ad Apostolatum evecto *Clemente XII.*, ab isto statim mense Julio ejusdem anni Ærarius, seu Thesaurarius Generalis efficitur. Decennio laudabiliter perstitit in hac amplissima Dignitate. Demum in hac postrema Cardinalium enunciatione, in Sacrum Senatum invectus est. Diaconia illi collata fuit *S. Mariæ in Aquiro*, ex qua ad alteram inde gradum fecit *S. Mariæ in Porticu*, atque hac etiam dimissa, alteram demum optavit *S. Mariæ ad Martyres*. Congregationibus adjectus est Concilii Tridentini, Boni Regiminis, Immunitatis Ecclesiasticæ, Aquarum, Rituum, Sacræ Consultæ, Propagandæ Fidei, Signaturæ Gratiæ, Visitationis Apostolicæ, Satisfactionis Missarum, Riparum Tyberis, & Viarum.

Comitiis quum adfuerit Vaticanis pro electione Benedicti XIV. feliciter Regnantis, B vivit valida in ætate, vigilique, atque alacri ingenio, ejusque Deus incolumitatem diutissime servet.



Cardinales mortui in toto Clementis XII. Pontificatu.

1 Benedictus Pamphilius Romanus Tituli S. Mariæ in Via primus Diaconus, creatus ab Innocentio XI. die prima Februarii 1681., obiit Romæ die 22. Martii 1730. tempore Sedis vacantis.

2 Dom. Bernardus de Comitibus Romanus Tituli S. Bernardi ad Thermas, creat. ab Innocentio XIII. die 16. Junii 1721., obiit Romæ tempore Sedis vacantis die 23. Aprilis 1730.

3 Innicus Caracciolus Neapolitanus Tituli S. Agathæ ad Suburram, creatus à Clemente XI. die 29. Maii 1715., ob. Romæ die 6. Septembris 1730.

4 Carolus Collicola Spoletinus Tituli Sanctæ Mariæ in Porticu creatus à Benedicto XIII. die 9. Decembris 1726., obiit Romæ die 19. Octobris 1730.

5 Augustinus Cusanus Mediolanensis Tituli S. Mariæ de Populo creatus à Clemente XI. die 18. Maii 1712., ob. Mediolani die 27. Decembris 1730.

6 Jacobus Boncompagnus Bononiensis Episcopus Albani, & Archiepiscopus Bononiæ creatus ab Innocentio XII. die 12. Decembris 1695., obiit Romæ die 24 Martii 1731.

7 Prosper Marefuschius Maceratensis Tituli S. Silvestri in Capite, Papæ Vicarius creatus à Benedicto XIII. die 20. Decembris 1724., obiit Romæ die 14. Februarii 1732.

8 Emericus Czakius Hungarus Tituli S. Eusebii Archiepiscopus Colocensis, & Ecclesiæ Varadinensis Administrator creatus à Clemente XI. die 12. Julii 1717., ob. in Oppido *Schalka* nuncupato prope Waradinum die 28. Augusti 1732.

9 Cornelius Bentivolus Ferrariensis Tituli Sanctæ Cæciliæ creatus à Clemente XI. die 29. Novembris 1719., obiit Romæ die 30. Decembris 1732.

10 Alemannus Salviatus Florentinus Tituli S. Mariæ in Ara Cœli Præfectus Signaturæ Justitiæ, creatus à Benedicto XIII. die 8. Februarii 1730., ob. Romæ die 25. Februarii 1733.

11 Carolus Borgia ex Gandiæ Ducibus Hispanus Tituli S. Pudentianæ creatus à Clemente XI. die 29. Novembris 1719., obiit in Regia Villa S. Idelfonsi propè Matritum die 8. Augusti 1733.

12 Antonius Banchierius Pistoriensis Tituli Sancti Nicolai in Carcere Tulliano creatus à Benedicto XIII. die 9. Decembris 1726., obiit Pistorii die 16. Septembris 1733.

13 Hieronymus Grimaldus Januensis Tituli S. Balbinæ creat. à Clem. XII. die 2. Octobris 1730., ob. in Navi Neapolim pergens die 18. Novembris 1733.

14 Sinibaldus ab Auria Januensis Tituli Sancti Hieronymi Illyricorum Archiepiscopus Beneventanus creatus à Clemente XII. die 24. Septembris 1731., obiit Beneventi die 2. Decembris 1733.

15 Alexander Falconerius Romanus Tituli Sanctæ Mariæ de Schala creatus à Benedicto XIII. die 11. Septembris 1724., obiit Romæ die 26. Januarii 1734.

16 Didacus de Astorga Hispanus sine Titulo creatus à Benedicto XIII. die 26. Novembris 1726., obiit Matriti die 8. Februarii 1734.

17 Michael Fridericus de Althan Germanus Tituli Sanctæ Sabinæ Episcopus Vaccien. in Hungaria creatus à Clemente XI die 29. Novemb. 1719., ob. Vacciæ die 20. Junii 1734.

18 Alexander Aldobrandinus Florentinus Tituli SS. Quatuor Coronatorum creatus à Clemente XII. die 2. Octobris 1730., obiit Ferrariæ, ubi erat de Latere Legatus die 24. Augusti 1734.

19 Franciscus Pignattellius Neapolitanus, Sac. Collegii Decanus, & Archiepiscopus Neapolis creatus à Clemente XI die 17. Decembris 1703., obiit die 15. Decembris 1734.

20 Nicolaus Spinula Genuensis Tituli Sanctorum Nerei, & Achillei creatus à Clemente XI. die 16. Decembris 1715., obiit Romæ die 12. Aprilis 1735.

21 Joseph Renatus Imperiali Genuensis Tituli S. Laurentii in Lucina creatus ab Alexandro VIII. die 13. Novembris 1690., obiit Romæ die 15. Januarii 1730.

22 Curtius Origo Romanus Tituli Sancti Eustachii creatus à Clemente XI. die 18. Maii 1712., obiit Romæ die 18. Martii 1737.

23 Enricus de Thiard de Bissy Gallus Tituli SS. Quirici, & Julittæ creatus à Clemente XI. die 30. Januarii 1713., obiit Parisiis die 26. Julii 1737.

24 Antonius Felix Zondadarius Senensis Tituli Sanctæ Praxedis creatus à Clemente XI. die 18. Maii 1712., obiit Senis die 22. Novembris 1737.

25 Fabius Oliverius Pisaurensis Tituli SS. Viti, & Modesti creatus à Clemente XI. die 8. Maii 1715., obiit Romæ die 9. Februarii 1738.

26 Wolfangus Hannibal de Schrattembach Germanus Tituli S. Marcelli creatus à Clemente XI. die 18. Maii 1712., obiit die 22. Julii 1738.

27 Franciscus Barberinus Romanus Episcopus Ostiensis, & Veliternus, & Sac. Collelegii Decanus creatus ab Alexandro VIII. die 13. Novembris 1690., obiit Romæ die 17. Augusti 1738.

28 Joseph Pereyra de Lacerda Lusitanus Tituli S. Susannæ Episcopus Faraoniensis creatus à Clemente XI. die 19. Novem-

bris 1719., obiit in suo Episcopatu die 28. Septembris 1738.

29 Georgius Spinula Januensis Episc. Prænestinus creatus à Clemente XI. die 29. Novembris 1719., obiit Romæ die 17. Januarii 1739.

30 Alvarus Cienfuegos è Societate Jesu Hispanus Tituli S. Bartholomæi in Insula creatus à Clemente XI. die 30. Septembris 1720., obiit Romæ die 19. Augusti 1739.

31 Joannes Antonius de Via Bononiensis Tituli S. Laurentii in Lucina Episcopus Arimini creatus à Clemente XI., obiit Romæ die 11. Januarii 1740.

32 Gibertus Borromæus Mediolanensis Tituli S. Alexii Episcopus Novariæ creatus à Clemente XI., obiit Novariæ die 22. Januarii 1740.

Clemens XII. quum ad Apostolatum pervenit tres invenerat Sedes vacuas in Sac. Collegio; altera ex ejus assumptione vacavit. Hinc quum duo supra triginta Cardinales objerint in toto ejus Pontificatu. Ipse vero quinque supra triginta Cardinalium sedes impleverit. Unam propterea sedem vacuam reliquit in Sacro Senatu.



Nu-

Numismata præstantiora.

I.

CLEMENS XII. PONT. M.

RECTIS CORDE LÆTITIA = in exergo = MDCCXXX. Otho Ham.

Tanta probitatis, & Justitiæ specimina ediderat in minoribus Clemens XII., dum maximis Urbis muneribus functus esset, ut ex ejus ad Apostolatum assumptione spem magnam Viris probis affulsisse, atque in eo bonos omnes præsidium invenisse Numisma testetur. Cusum autem Numisma fuit, cum veteri Ecclesiæ ritu die 19. Novembris anni 1730. è Vaticano ad Lateranensem accessit Basilicam, ut Romani Episcopatus possessionem acciperet.

II.

CLEMENS XII. P. M. A. I.

PORTÆ INFERI NON PRÆVALEBVNT = inferius = MDCCXXXI.

Pontificis constantiam, ejusque animi magnitudinem in difficillimis Ecclesiæ temporibus patefactam, Numisma refert.

III.

CLEMENS XII. PONT. MAX.

DIE QVA FVNDAMENTA IACTA SVNT TEMPLI MDCCXXXI. = in exergo = IN HONOREM INFANTIS IESV.

Monialium Cœnobium *Infantis Jesu* vocatarum Clemens, quum Cardinalis esset, suo foverat patrocinio. Vt vero Summus Pontifex fuit renunciatus novam illius Ecclesiam ab imo erexit.

IV.

CLEMENS XII. PONT. M. A. II.

ADIVTOR IN OPPORTVNITATIBVS MDCCXXXII.

Aspectum Anconitanæ Urbis, ejusque Portus postica exhibet. Plura enim Clemens in eamdem Civitatem, & Portum contulit beneficia, ut inferius etiam patebit.

V.

CLEMENS XII. PONT. MAX.

IVSTITIA FIRMATVR SOLIVM ANNO SALVTIS MDCCXXXII. PONT. ANNO III.

In exergo stemma Gentilitium Cardinalis *Trojani Aquaviva* tunc domui Pontificiæ Præfecti, & postea Cardinalis. Ipse enim quum Palatium, quod vulgo *S. Consultæ* dicitur, ædificari cœptum est, hoc Numisma in ædium fundamenta jecit.

VI.

CLEMENS XII. PONT. MAX.

OB MEMOR. CHRISTIAN. SECVRIT. REST. = in exergo = MDCCXXXIII. O. H.

Arcus Constantini Magni propè Amphiteatrum Flavii Vespasianii spectandus est in postica. Hic penè vetustate consumptus erat. Deerat præterea una ex octo columnis è flavo marmore *giallo antico* nuncupato; & deerant tandem, ut notum est, statuarum, nempè Servorum capita, quæ *Laurentius Medices* detraxerat, & Florentiam asportaverat. Accusatus propterea à *Francisco Maria Molsa*, qui Poetæ eximii laude ineunte Sæculo XVI. inclaruit, à Populo Romano idem *Laurentius Medices* proscriptus fuit. Et quoniam hæc contumeliosa capitum abscisio perperam à nonnullis in dubium revocatur, de qua tamen meminit eruditus *Rodulphinus Venuti* (*a*); ut facti veritas clarius elucescat, præstat audire *Paulum Jovium* (*b*) coævum Authorem ita loquentem = *Sempiternam ingenii laudem retulit (Molsa) non jucundo tantum carmine, quo lasciviſſe videtur, sed pedestri etiam, gravique facundiâ, qua Laurentium Medicem nefaria libidine antiquis statuis noctu illustria capita detrahentem, apud Romanos ab ea injuria dolore percitos accusavit. Eâ enim præscripta oratione Laurentium usque adeo pudore, & metu perennis probri consternatum ferunt, ut atroci animo, quo inustam ignominiæ notam novitate facinoris obscuraret, interficiendi Principis, amicique singularis immane consilium susceperit, scilicet, ut Diis invitis Patriæ libertas pararetur* = Novum autem, graviusque facinus, quod Laurentius Medices ad antecedens obtegendum perpetravit (de quo *Jovius* obscurè loquitur) fuit meditata cædes *Alexandri Medicei* Ducis Florentiæ, sibique affinitate, veterique amicitiâ conjuncti, quem anno 1537. in suomet Palatio dolosè obtruncavit.

Hæc igitur vetusta capita à dicto Laurentio Mediceo Cive suo olim abscisa, Clemens XII. restituit, eaque sculpsit *Petrus Braccius*, qui integram etiam unius Servi statuam refecit disjectam, penitusque contritam. Columnas præterea instauravit, plateam circa Arcum laxavit, atque Inscriptionem adjecit, quam *Franciscus Valesius* præstanti clarus doctrinâ elucubraverat.

Siglæ O.H., quæ in exergo aspiciuntur, Othonem *Hameranum* significant artificem eximium, & Lupa in eodem exergo notata, ipsius cusoris est signum.

VII.

CLEMENS XII. PONT. MAX.

PRIMO IMPOSITO LAPIDE XV. KAL. IVNII SACELLVM IN HONOREM S. ANDREÆ CORSINI IN LATERAN. BASIL. CONSTRVCTVM = in exergo = ANNO SALVTIS MDCCXXXIII. PONT. SVI ANNO III.

S. Andreæ Corsinio Gentili suo magnificum ex-

(*a*) Numismat. Romanorum Pontificum pag. 355. in fin.
(*b*) Paulus Jovius in Elogiis cap. CIV. pag. mih. 243, & 244.

extruxit Sacellum Clemens XII. in Lateranensi Basilica. Et in hujus Sacelli fundamenta jactum fuit hoc Numisma.

VIII.

CLEMENS XII. PONT. MAXIMVS AN. III.

SACELLO IN LATERANEN. BASIL. S. ANDREÆ CORSINIO ÆDIFICATO = in exergo = A. S. CIƆIƆCCXXXIII.

Absoluto hujus excelsi Sacelli ædificio alterum hoc Numisma cusum fuit.

IX.

CLEMENS XII. PONTIFEX MAXIMVS.

PVBLICÆ INCOLVMITATIS PRÆSIDIO = in exergo = DORICÆ VRBIS LOEMOCOMIVM 1734. O. H. cum Lupa, quæ signum est eximii cusoris Othonis Hameranii.

Loemocomium Anconitanum exhibet postica, quod ad expurgandas Naves pestis suspicione notatas Clemens extruxit. Portum etiam aquarum accessu, refluoque illarum cursu terrâ oblinitum, marinisque sordibus redundantem, tutiorem reddidit; remissisque aliquot vectigalibus commercium propagavit.

X.

CLEMENS XII. PONT. M. AN. IV.

Inferius = Hamerani = MVLTIPLICASTI MAGNIFICENTIAM = in exergo = VETERIBVS SIGNIS IN CAPITOLIO ERECTIS.

Elegans hoc Numisma mulierem exhibet in postica sedentem supra Globum, in quo 1734. Eadem est galeata, lævâque mammillâ denudata; sceptrum sinistrâ, geniumque alatum dexterâ tenet, qui ei coronam præbet, & cornucopiæ habet inversum.

Inter Clementis XII. præclara facinora, hoc præsertim monumentis sempiternis consecrandum videtur, quod veteres statuas, aliasque venerandæ antiquitatis reliquias sedulo collegerit, atque avidissimè conquisierit, & in Capitolium invexerit. Locum iis, sedemque attribuit magnificam, & tutissimam, quam nec imber edax, nec Aquilo impotens, aut fuga temporum possit diruere; ut in ejus Vita Tom.2. pag.584.

XI.

CLEMENS XII. PONTIFEX MAXIMVS.

ADORATE DOMINVM IN ATRIO SANCTO EIVS = supernè = CLEMENS XII. P. M. A. IV. CHRISTO SALVATORI, ET SS. IOAN. BAPT. ET EV. = inferius = LATERAN. BASIL. PORTICVS = in exergo = Alexander Galileus.

Inter egregia monumenta, quæ extruxit Clemens XII., hoc certè maximum est ac perenne; quod magnificam Lateranensis Ecclesiæ Porticum, & Frontem erexerit. Id porro significat hoc elegans, & maximi moduli Numisma.

XII.

CLEMENS XII. P. M. A. V.

SECVRITAS POPVL. RAVEN. = Mulier jacens ante Pini arborem. E lateribus duæ Urnæ perenniter aquam effundentes, ac duo flumina exprimentes. Altera Urna epigraphem habet MONTO, altera vero RONCHVS = in exergo = MDCCXXXV.

Ravennates solitâ aquarum inundatio ne laborantes munificè Clemens juvit, & duo illa flumina *Vitis*, *&* *Bedesis*, nunc *Monto*, *&* *Ronchus*, quæ Ravennam duabus ex partibus subluebant, atque inundabant, in unum alveum conjecit, eaque ab Urbe removit; ut dixi Tom.2. pag.

XIII.

CLEMENS XII. PONT. MAX.

EX COLLATICIA PROBATAQVE MONETA = in exergo = PVBLICÆ FIDEI MONVMENTVM MDCCXXXV.

Alias explicatum est hoc Numisma sub Epigraphe = *Assagium generale* = cuditur vero in Officina Monetali, quum publico experimento aureæ, argenteæque monetæ puritas probatur.

XIV.

CLEMENS XII. PONT. MAX. A. V.

FONTE AQVÆ VIRGINIS ORNATO = inferius = MDCCXXXVI.

Fontis Trivii, sive Aquæ Virginis aspectum Numisma refert. Celeberrima hæc Aqua, quæ Virginis dicitur, sive à *Virgine*, quæ eam invenit, militibusque Romanis monstravit, ut *Frontinus* ait, sive à *Virginea* sua puritate, ut putat Cassiodorus (*a*); licet à Romanis Imperatoribus, & Summis Pontificibus instaurata, ejus tamen ductus multifariam eversos habebat. Eos Clemens iterum instaurandos duxit. Provinciam delegavit *Francisco Salvio* Architecto Urbis eximio, qui corrivatis ad caput aquis hac, illacque perfluentibus, ductibusque restitutis, atque ampliatis, pelvim ornatissimam, imo lacum ad aquas excipiendas idoneum extruxit. Ipse vero egregius Artifex mirandum opus, quod sub Clemente inchoaverat, demum sub BENEDICTO XIV. penitus absolvit.

XV.

CLEMENS XII. PONT. MAX.

SACERDOS MAGNVS IN DIEBVS SVIS CORROBORAVIT TEMPLVM. *Eccles.50.* 1736.

Ædificium Sodalitii SS. Nominis Mariæ propè Columnam Trajanam extrui cœptum sub auspiciis Cardinalis *Ludovici Pici*, Pontificia inde liberalitate prosequutum, & absolutum fuit.

XVI.

CLEMENS XII. PONT. MAX. A. VI.

ADMINISTRORVM COMODO ET EQVITVM STATIONIBVS = in exergo = O. MDCCXXXVII. H.

Exhibet postica Palatium, quod Clemens ab imo erexit, quodque incolendum dedit Secretario Diplomatum Apostolicorum, & Secretario illarum Consultationum, quæ fieri solent pro recta Ecclesiasticæ Ditionis admi-

(*a*) Lib.7. Epist.6.

A administratione. Ideoque *S. Consultæ* Palatium nuncupatur, ut dixi superius num. IV. Stipatores prçterea Pontificii in eodem Palatio excipiuntur, Equites nempè loricati, & levis armaturæ, idque innuit Numismatis Epigraphè.

XVII.

CLEMENS XII. PONT. MAX. A. VII.

ILLOS ET GLORIFICAVIT.

Quatuor Dei Servos virtutibus, miraculisque præstantes anno 1737. Clemens XII. in Ecclesia Lateranensi Sanctorum Canoni adscri-
B psit; nempè *Franciscum Regis* Gallum è Societate Jesu, *Vincentium de Paulis* item Gallum, & Congregationis Missionariorum Fundatorem, *Catharinam Fliscam Adorni* Genuensem, & *Julianam de Falconieriis* Florentinam, ut dictum est in ejus Vita Tom. 2. pag.

XVIII.

CLEMENS XII. PONT. MAX. ANN. IX.

PIA DOMO SERVATA.

C Pontificem postica exhibet stantem, & supernè à Spiritu Sancto irradiatum. Eum vero Charitas antecedit sub mulieris specie cum tribus pueris; eumdem abundantia sequitur sub specie viri cornucopiam tenentis. Procul aspectus Xenodochii S. Spiritus in Saxia, & nonnulli egeni genuflexi. Totum hoc, egregiam Pontificis liberalitatem significat, quâ idem Xenodochium immani ære alieno pressum multipliciter juvit; novâque inductâ methodo rei domesticæ præfecit Cardinalem *Porzia* cum titulo, & potestate Visitatoris, ut latius dixi Tom. 2. pag.

XIX.

CLEMENS XII. PONT. MAX.

Sanctus Lucas pingens habetur in postica, ad exprimendum Patrocinium, quo Clemens ingenuas artes tutatus est. Idemque Numisma majori explicatione non indiget, utpotè in aliis etiam Pontificibus satis explicatum.

XX.

CLEMENS XII. PONT. MAX.

NON QVÆRIT QVÆ SVA SVNT.

Sub mulieris specie, quæ puerum lactat, alterumque circumspicit, ac fovet; Charitas Pontificis exprimitur. Idque in aliis etiam Pontificibus passim est observatum.

XXI.

CLEMENS XII. PONT. MAX.

TV DOMINVS ET MAGISTER = inferius = EXEMPLVM DEDI VOBIS.

Christum S. Petri lavantem pedes habet postica; ad cujus exemplum Romanus Pontifex feria V. in Cœna Domini Peregrinorum pedes lavare solet.

Finis Secundi Tomi.



